K. VII. nº 6.



ROMÆ: Typis Ignatij de Lazzeris, Superiorum Permiſsu. MDCLVI.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/debasilicaetpatr00rasp

SANCTISS. D. N.

D. ALEXANDRO SEPTIMO

PONT. OPT. MAX.

CAESAR RASPONVS F.

COMMENTARIVM de rebus Lateranenſibus, quem ego, ſtudio, ac pietati erga principem terrarum Eccleſiam dum effuſius indulgeo, meique ſacerdotij munus in eius collegio paulò vberius implere geſtio, annis hiſce præteritis elucubraui, in conſpectum, & clientelam tuam exhi-

hibeo BEATISSIME PATER. Neque enim hanc obſequij mei victimam aliter fas erat ad aram omnium religioſiſsimam, atque ſanctiſsimam admoueri, quam vt auſpicijs tuis conſecraretur, tuæque benignitatis inſignibus coronata, atque exornata prodiret; quandoquidem tuæ gentis, tuiquè nominis amplitudini iampridem debere cœpit ſuam incolumitatem, ac dignitatem vetus huiuſce Baſilicæ memoria, ex quo opera Ioannis Diaconi laudatiſsimi, vt illa ferebant tempora, huius argumenti ſcriptoris Alexandrum Tertium Romanum Pontificem ad ſui ornamentum, ac præſidium aduocauit, quem Principem ſui ſæculi, ſuiquè ordinis longe clariſsimum inter numeroſas quas tuæ domus amplitudo compræhendit,

dit, imagines præſulgentem colendum tibi, atque imitandum, communicata nominis auguſtiſsimi gloria, ſuſcepiſti. Nec verò alium adoptare mihi patronum licuiſset per ampliſsima tua munera, atquè iudicia in me profecta; quorum eximium certè illud eſt, quod cum operam, fidemque meam inter inſtrumenta principalium curarum tuarum pro tua ſumma humanitate habere digneris, ad fructum haud vulgarem deſtinatæ tibi à conſenſu gentium omnium immortalis gloriæ vocatum quodammodo me ſentio, quantum tamen homini modico, nec alia re, quàm Principis obſequio de Re-publica benemerenti ſperare fas eſt. Sed quid ego ſtudia mea erga Principem, eiuſquè viciſsim beneficia, & merita priua-

torum

torum cōmodorum meorum momentis expendo? Longè pluris apud me ſunt Beatissime Pater, eximia incrementa quibus auctam ſe, atque amplificatam comunis rei Chriſtianæ dignitas ab ingentibus tui Pontificatus initiis agnoſcit, quodquè inde ad me quoque tanquam priuatum Eccleſiæ filium, & vnum ex reipublicæ ciuibus accedit. Quantum enim eſt Beatissime Pater, quod tibi Chriſtianorum natio vniuerſa debet, quod ad parandum tibi honorem omnis humanæ magnitudinis modum excedentem nihil aliud quam mores ſummæ fortunæ egregiè reſpondentes, & pares tantæ moli vires ingenij contuliſti? quod ſecurum te omnis tui proceſſus, ac negligentem, deque vnis Eccleſiæ commodis vnicè ſollicitum

citum mirati ſunt nuper homines, dum optimo cuique ſimpliciter, & ex animo ſuffragabare? quod nemo eſt, cui ſpectata virtus tua fidem planè non faceret alieni, atque abhorrentis à grandibus hiſce curis animi, dum vitæ tranquillioris amœniſsimos fructus identidem commemorabas, quos tibi non tam ceſſatio à rebus gerendis, quàm recordatio præclarè antea geſtarum, & inde quæſitæ laudis conſcientia decerpendos præberet? quod poſtquam à priuatæ vitæ, muſarumquè tuarum iucundiſsimis, quarum tibi ſolatium proponebas, amplexibus publico generis humani bono auulſus es, atque in ſupremo iſto, rerum humanarum faſtigio vniuerſis ampliſsimi Ordinis ſuffragijs collocatus, nullum indicium elati, nul-

 lum

lum exultantis, minime vero omnium imparis, aut ſub accepto faſce deficientis animi dediſti? quod tunc maxime mortalem te cogitaſti, eiuſquè conditionis argumentum efficaciſsimum quaſi machinam tuæ memoriæ, ſemper admotam eſſe voluiſti, cum iam omnes mortalitatis iniurias euaſiſſe viderì poteras? quodquè imò extinctum planè te omnibus huius vitæ commodis, omnibuſquè priuatis cupiditatibus, nec aliud quam populi tibi crediti ſalutem ſpirare profeſſus es? His, & huiuſcemodi ſanctiſsimis artibus collecto proſperæ famæ, & bonæ exiſtimationis præſidio, quod ad res humanas gubernandas validiſsimum eſt, facilè deinde erit Sanctitati tuæ cœptis ingentibus, quæ erecti tuæ virtutis opi-

opinione mortales expectant; efficaces iſtas, & maximarum rerum tractatione exercitas manus admouere; vnde breui pax gentium, Eccleſiæ dignitas, & bonorum omnium lætitia conſequatur. Interea, quando per ardua quæque ſemper occupatum, gerendiſquè rebus intentum animum continenter habere difficilè eſt, non dubito quin Sanctitas tua, qua eſt, humanitate, ac erga antiquitatem Eccleſiaſticam ſtudio, vna cum cæteris ſuis eruditis remiſsionibus hoc etiam litterarum genus, meumquè opus, qualecunque eſt, ſua cura, & cognitione dignetur, & quo ſolet auctorem, vultu, & comitate complectatur; non ſine grandi profecto operæ pretio, dum priſca illa Sanctorum Pontificum veſtigia, quæ antiquis Pa-

§§ 2 triarchij

triarchij noſtri ruderibus mecum euol-
uendis interdum offendet, in ſuis mori-
bus,ſtudijſque, & inſtituis expreſſa,atquè
efformata contemplabitur,

PRAE-

PRAEFATIO.

ECCLESIAE *Lateranenſis initia, reſquè memoratu dignas à Pontificibus, cæteriſque Chriſtianæ religionis proceribus antiquitùs in ea geſtas rudi quamuis, & impolita dicendi ratione, perſcribere animus eſt; qua item fortuna inter veteres Vrbis Romæ clades vſa ſit, quibus defuncta caſibus, quas paſſa calamitates, quibus ruinis oppreſſa, quam munificos, quamque religioſos omnium ordinum mortales experta ſemper emerſerit, atque in hanc ſpeciem, & maieſtatem excreuerit, quam optimus quiſque Summorum Pontificum toties ædificatæ perfectæque circumdedit. Neque verò exiguum operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi collectis, quæ ſparſim de principe omnis pietatis, omniſque religionis Eccleſia apud probatiſſimum quemque rerum Eccleſiaſticarum ſcriptorem habentur, ſtudioſis Chriſtianæ antiquitatis hominibus moleſtum inquirendi ſingula laborem demam, omnem huius argumenti hiſtoriam tamquam in vniùs tabulæ modum contractam legentium animis intuendam exhibendo, cultuiquè, ac venerationi huius auguſtiſſimi Sacrarij in mentibus fidelium excitandæ, retinendæquè pro mea virili cunſultum velim. Quod qnidem à me ſtudium non commune ſolùm Chriſtiani hominis officium, ac pietas exigit, verùm etiam eximia quædam animi ſe ſe excitantis, ac geſtientis alacritas, qua me in hanc mentem impelli mirificè ſentio, quoties ad perſoluendas Deo laudes cum cætero ſacerdotum huius Templi, miniſtrorumque collegio ex mei muneris ratione conuenio, eximia cum animi voluptate mecum ipſe identidem reputando propitiatum hoc loci ſanctiſſimis maiorum noſtrorum votis, ac precibus Chriſtum Dominum Romanæ Eccleſiæ dignitati, ae amplitudini*

adeò

adeò indulgenter, effuſequè fauiſſe, vt eam ſupra omne humanæ magnitudinis faſtigium non ipſa re ſolùm, ſed etiam decore, ac ſpecie, hoc eſt omnium gentium ſtudio, cultuquè, ac veneratione collocarit: hanc eſſe illam Cathedram ex qua de religione, de moribus, de recta viuendi ratione ſaluberrima, ſapientiſſimaquè præcepta manarunt: his ex adytis ſanctiſſimorum myſteriorum in omnes nationes miracula diſſeminata: hac ex arce in omnes terras Euangelij præcones emiſſos, quorum opera, ſudoribusquè effectum eſt, vt ſuauiſſimum diuinæ legis iugum vniuerſum propè genus humanum acciperet; vt nuſquam luculentiùs, magisquè cumulatè obligatam olim Chriſtus Dominus ſuæ ſponſæ liberaſſe ſit viſus fidem ſuam, qua trepido adhuc, & ex proximo Paſtoris diſceſſu diffidenti gregi fidelium ſuum numen ſemper præſens, propitiumq; futurum ſpoponderat. His, & huiuſmodi cogitationibus animum oblectandi plus olim ſpatij vacatio mihi à republica, vel certè inter occupationes non admodum crebras, ac moleſtas vberior quies, otiumquè præbebat, vt inter antiquos collegij noſtri commentarios commodiùs verſari, ſcriptoresquè nonnullos ad hæc idoneos appellare, & cognoſcere, atque ab ijs tradita cum ipſis antiquitatis veſtigijs, etiam nunc apud Lateranum extantibus, conferre liceret. Præcipua verò cura Ioannis Diaconi Lateranenſis Canonici monumentis euoluendis fuit, qui non indiligenter in hac eadem materia, quam nos ſuſcipimus, iuſudauit in eo libello, quem Alexandro Tertio Pontifici Maximo nuncupauit; Item Anaſtaſii Bibliothecarii, cuius operæ, induſtriæquè inſigniorum quarumquè à veteribus Chriſtianis geſtarum rerum memoriam debemus, etſi non admodum eleganti orationis genere, fide tamen egregia, ſtudioq; ad poſteros tranſmiſſā; nec pauca fuere huius propoſiti, quæ in Cencio Camerario, cæterisquè antiquis rituum Eccleſiæ Romanæ ſcriptoribus animaduerti. Itaquè primò cœpi nonnulla memoriæ cauſa paulò diligentiùs adnotare, deinde, cum ſatis intelligerem non multum vtilitatis allatura, quæ litteris mandaſsem, niſi eo inter ſe ordine dirigenda, & collocanda curaſsem, vt inquirenti ſtatim occurrere, & ad manum quodammodo eſse poſsent, factum eſt, vt res paulatim procedendo incrementum haud contemnendum acciperet, tum iuſti propè operis habere ſpeciem videretur, denique amicorum (qui apud me plurimùm poſsunt) ſtudiis luci iam publicæ deſtinari inciperet. Qua quidem in mente aliquandiù verſatus maturiori limæ totum opus committere ſtatueram, ac otium, quo tum abundabam ei labori vniuerſum dicare ſumma cum animi voluptate meditabar;

cum

cum interuenere occupationes, quæ me Muſis, omniquè tranquillioris vitæ oblectationi, ipſi denique mihi eripuere, longinquis primùm peregrinationibus implicando, deinde ipſa in Vrbe intentiori vitæ rationi, magisquè ad res gerendas, quàm ad excolendum animum accommodatæ addicendo. Donec ſpem omnem priſtinæ meæ ſecuritatis repetendæ penitus exemit commiſſa mihi pridem à ſummo Pontifice prouincia de ſcribendis Epiſtolis, quæ à publico regendæ Eccleſiaſticæ ditionis conſilio dimittuntur, dequè diligentiore omnium rerum, quæ ad id pertinent, adminiſtratione, cuius muneris rectè, & cùm fide obeundi amor omne meum ſtudium, omnemquè cogitationem, à complexu humaniorum litterarum, omnisquè eruditionis, cui ſemper ab adoleſcentia fui deditus, abſtraxit. Venia igitur ab ijs, quos hæc vtcumque in vulgus edita ſua cura dignari contigerit, opus habeo, vt ſi quæ parum eleganter explicata, minus accuratè diſpoſita, & collocata, ſcriptaque, & impreſſa animaduertent, non ſolum auctoris ingenium, induſtriamquè dignitati, & ſplendori, materiæ minimè riſpondentem, verum etiam temporis anguſtias, in quas eum occupationum ſuarum neceſſitudo coniecit, & inſtituti, vitæque a curis id generis alienæ rationem cogitet. Sed iam rem ipſam aggrediamur.

Im-

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiſſ. Patri Sacri Palatij Apoſt. Mag.

M. Oddus Viceſg.

Imprimatur,
Fr. Raymundus Capiſuccus Sac. Apoſt. Pal. Magiſtri Ord. Præd.

INDEX CAPITVM HVIVS OPERIS

LIBRI PRIMI.

Cap I. De Fundatore, & fundatione Baſilicæ, atque Aedium Lateranenſium. pag. 1
Cap. II. De varijs nominibus huius Baſilicæ. 9
Cap. III. De Dignitate huius Baſilicæ. 11
Cap. IV. Recenſentur ea, quæ ex antiquis monumentis, inſcriptionibus, & diplomatibus de dignitate huius Baſilicæ habentur. 14

§§§ Cap.V.

Cap. V. Quinam aut reſtituerint Lateranenſem Baſilicam, aut aliquid in ea ædificauerint. 26
Cap. VI. De Situ, & forma Lateranenſis Baſilicæ ante Innocentij Decimi reparationem, & primùm de eius Porticu. 33
Cap. VII. De quinque Nauibus Baſilicæ Lateranenſis. 37
Cap. VIII. De Naui tranſuerſa Lateranenſis Baſilicæ, quam Crucem vocamus. 39
Cap. IX. De Baſilicæ Lateranenſis Apſide. 41
Cap. X. De Altaribus, & Reliquijs huius Baſilicæ Lateranenſis, & primò de Ara eius maxima. 44
Cap. XI. De Altari Diuæ Mariæ Magdalenæ. 50
Cap. XII. De alijs Altaribus, quæ olim in hac Baſilica fuerunt, præter illa, quæ ante incendium numerauimus.

mus. 53
Cap. XIII. De Aris, quæ poſt incendium in hac Baſilica fuerunt, & de his, quæ in ea hodiequè ſuperſunt. 54
Cap. XIV. De Altaribus, & Sacellis minoris Nauis verſus Meridiem. 60
Cap. XV. De Altaribus minoris Nauis ad Septemtrionem. 65
Cap. XVI. De Oratorio Sancti Pancratij, quod fuit vetus Sacrarium, ac de nouo Sacrario. 68
Cap. XVII. De Porticu verſus Septemtrionem, & de Obeliſco à Sixto Quinto erecto. 70
Cap. XVIII. De Summis Pontificibus, qui in Lateranenſe Baſilica ſepulti ſunt. 73
Cap. XIX. De Noua Baſilicæ Lateranenſis Inſtauratione. 79

INDEX.

LIBRI SECVNDI.

Cap. I. De Miniſtris Diuini Cultus in Eccleſia Lateranenſe. 89
Cap. II. De Archipresbyteris Baſilicæ Lateranenſis. 96
Cap. III. De Baſilicæ Lateranenſis ornamentis. 100
Cap. IV. De alijs Donis Lateranenſi Baſilicæ collatis. 106
Cap. V. De temporali Iuriſdictione Baſilicæ Lateranenſis. 120
Cap. VI. De Spirituali Iuriſdictione Lateranensis Baſilicæ. 123
Cap. VII. De Baſilicæ Lateranenſis Priuilegijs. 126
Cap. VIII. De functionibus Romanorum Pontificum in Eccleſia Lateranenſi, dequè Miniſtris, & Apparitoribus earum. 136

Cap. IX.

CAPITVM.

Cap. IX. De Stationibus tùm antiquis, tùm recentibus Baſilicæ Lateranenſis. 149
Cap. X. De ſolemni ritu Pœnitentes recipiendi in Lateranenſe Baſilica. 155
Cap. XI. De Concilijs habitis in Baſilica Lateranenſe. 157
Cap. XII. De ritu conſecrandi in Eccleſia Lateranenſi Summi Pontificis. 177
Cap. XIII. Memorabilia quædam peracta in Lateranenſi Baſilica, deque eiuſdem veneratione. 182
Cap. XIV. De Indulgentijs Baſilicæ Lateranensis. 204

INDEX

LIBRI TERTII.

Cap. I. De Basilicæ Lateranensis Baptiſterio, & de illius ornamentis. 208
Cap. II. De Baptiſterij Lateranensis forma, & varijs eius ſtructuris. 212
Cap. III. De reditibus, ſeù annuis prouentibus Baptiſterij Lateranensis: 215
Cap: IV: Quid Romanus Pontifex in Baptiſterio Lateranensi olim agere conſueuerit: 217
Cap: V: De Porticu S: Venantij, ſeù de Oratorio Sanctorum Ruffinæ, & Secundæ: 220
Cap: VI: Quid à Pontifice Romano in Porticu Sancti Venantij peragi conſueuerit: 223
Cap. VII. De duobus Oratorijs Baptiſte-

ſterij Lateranenſis, & primum de Oratorio S. Ioannis Baptiſtæ, eiuſquè Donarijs. 225
Cap. VIII. De Oratorio Sancti Ioannis Euangeliſtæ. 229
Cap. IX. De Oratorio Sanctæ Crucis. 232
Cap X. De Oratorio S. Stephani in Baptiſterio Lateranenſi. 234
Cap. XI. De Oratorio S. Gregorij propè fontem Lateranenſem. 235
Cap. XII. De Oratorio ſiuè Eccleſia Sancti Venantij, cui etiam Deiparæ Virginis ad Fontes nomen indicitur. 236
Cap XIII. De Monaſterio Honorij Papæ iuxta Lateranum. 240
Cap. XIV. De Bibliotheca Lateranenſi. 241
Cap. XV. De Bibliothecarijs Apoſtolicæ Sedis. 246
Cap. XVI. Bibliothecarij Apoſtolicæ
Se-

Sedis, quorum in antiquis monumentis mentio extat. 248
Cap. XVII. De officijs Lateranenſis Baſilicæ & Palatij. 260
Cap. XVIII. De ſeptem Palatinis Officijs, ſiuè Iudicibus. 269

CAPITVM.

LIBRI QVARTI.

Cap. I. De Patriarchij exædificatione. 280

Cap. II. Quænam acciderint memoram digna, & quæ fieri conſueuerint in Patriarchio Lateranenſi. 296

Cap. III. De Presbyterio, & quando, aut quo loco à Pontificibus conferri conſueuerit. 308

Cap. IV. De Concilijs in Lateranenſi Patriarchio celebratis. 316

Cap. V. De Porticu Lateranensi. 323

Cap: VI: De Basilica Leoniana, quæ appellabatur Aula Concilij: 325

Cap: VII: De Pulpito Bonifacij Octaui: 327

Cap: VIII: De Oratorio S: Silueſtri: 328

Cap. IX: De Basilica Zachariæ: 329

Cap: X:

Cap. X. De Scalis Sanctis. 331
Cap. XI. De Triclinio ſeu Baſilica Leoniana, quæ appellabatur Baſilica Maior. 334
Cap. XII. De Oratorio Sancti Nicolai, & de Veſtiario. 348
Cap. XIII. De Oratorio S. Cæſarei. 349
Cap. XIV. De Baſilica Iulia. 351
Cap. XV. De Oratorio S. Sebaſtiani, ſeu de Baſilica Theodori Papæ. 353
Cap. XVI. De Oratorio S. Gregorij. 355
Cap: XVII. De Baſilica Vigilij Papæ. 356
Cap. XVIII: De alijs Baſilicis, & Oratorijs Lateranenſis Palatij: 357
Cap: XIX: De Oratorio Sancti Laurentij, quod nunc appellatur Sancta Sanctorum; 361

Cap: XX:

C A P I T V M.
Cap: X X: De nouo Lateranenſi Palatio : 385

DE BASILICA
ET PATRIARCHIO LATERANENSI.
LIBER PRIMVS.
De Fundatore, & ſundatione Baſilicæ, atque Aedium Lateranenſium.
CAPVT I.

INTER immanem illam tempeſtatem Diocletiano, & Maximiano Principibus aduerſus Eccleſiam excitatam, afflictæ iam propemodùm rei Chriſtianæ haud dubium tranquillitatis initium, præſagiumquè in Conſtantij Chlori Cæſaris manſuetudine, atque humanitate fuit: is namque improbata vehementer ea crudelitate aduerſus gentem, cuius amplitudo haud contemnendam generis humani partem iam comprehenderat, adeò à Chriſtianorum ſanguine abſtinendum ſibi ſtatuerat, vt eorum conſtantia in retinendo, quem ſuſceperant, ritu eximiè delectatus eſſe dicatur; Vt qui memorabili illo prudentiæ, & grauitatis exemplo, quos ex cohorte amicorum, Chriſtiani cultus conuictos à Religione transfugiſſe edicti Imperatorij metu cognouit, indignos ſuæ beneuolentiæ honorumque, quos gerebant, commodis iudicarit, continuoquè à ſuo comitatu faceſſere iuſſerit. Solerter interpretatus nequaquam meliore fide erga homines futuros, quàm religione, ac pietate erga Deum fuiſſent, eos Ciues, qui tanta animi leuitate in rebus maximi ponderis, ac momenti ſint vſi. Conſtantius ex Helena ſummo inter Britannos loco nata Conſtantinum filium liberorum omnium natu maximum ſuſcepit, cuius nomine non aliud, lætiore, aut gratiore memoria Chriſtiana poſteritas celebrat, vt pote qui ſqualllore omnium antiquarum calamitatum Eccleſiam abſterſit, fulgoremquè illi, ac maieſtatem, qua nunc exteriore quoque habitu, cultuquè fruitur, circumdedit. Dignum prorſus Imperatoria fortuna Conſtantinum ab in-

eunte adoleſcentia fuiſſe memorant, cum propter egregiam indolem, quam à natura, tum propter liberaliſſimam inſtitutionem, quam à parentibus accepit, euaſuruſquè ſine dubio ad earum laudum, virtutumque faſtigium putabatur, quæ Magni cognomento ad cæteros eius titulos mox acceſſuro congruerent. Nec ſanè illi conſueta magnarum rerum initijs pericula defuere, inuidorum inſidijs, prauitatequè conflata, namque poſt eiuratum à Diocletiano, Maximianoquè Imperium, liberumquè rei Romanæ arbitrium ad Conſtántium Patrem, & Collegam eius Galerium delatum, cum fortè apud Vrbem, ac per Italiam verſaretur procul paternis ab opibus, qui ſe vltimis Occidentis Prouincijs contentus in Britanniam abdiderat, haud occultis inſidijs peti cœptus eſt à Galerio vehementer ſibi ab eximia adoleſcentis virtute, ac manifeſtis in eum hominum ſtudijs metuente. Diſpoſitæ ergo ſumma cum diſſimulatione cuſtodiæ, quæ omnes eius egreſſus obſeruarent, non dubius contra Britanicarum legionum potentiam obſes habebatur. Verùm nequaquam adeò diligens cuſtodum ſolertia fuit, vt debitam populo Chriſtiano felicitatem ab eius magnitudine ſua primordia capturam morari potuerit; Namque fruſtratis omnibus inſidiatoris artibus, verſutijsque, ſumma adhibita celeritate paternos ad exercitus euaſit, opportunèquè ſub ipſum parentis exitum Eboracum aduectus eſt, nec vlla ſane mora in militibus fuit, quin Imperator continuò ſalutaretur, omnibus vno ſtudio non minùs extincti deſiderio commotis, quàm adoleſcentis indolem virtutemquè mirantibus.

Sub idem tempus Prætorianæ cohortes, quæ apud Vrbem agebant Maxentio (ſiue is, filius Maximiani, quem Imperio abdicatum diximus, ſiue quod apud certiores auctores reperio, gener fuerit) Imperium detulere, qui quidem incipiente potentia quamuis immanem animum ſubdola manſuetudine recondebat, ſimulata præſertim erga Chriſtianos beneuolentia, quo eius ordinis ſtudijs ad incrementum ſuarum opum, ac potentiæ vteretur; tamen adſumptam temporis gratia alienam perſonam impotens illud, ac violentum ingenium minimè diù ferre potuit: Præſertim poſtquam oppreſſo, interfectoque Seuero Cæſare, qui contra eam Prætorianorum defectionem cum exercitu a Galerio ſubmiſſus fuerat, fortunæ ſuæ cœpit, opibusquè confidere. Itaque breui tot flagitijs, atque ſceleribus vniuerſam Ciuitatem fædauit, vt ferendus non videretur, properisquè omnium ordinum

num nuncijs ad opem afflictæ patriæ ferendam Conſtantinus eſt euocatus, qui alienum ratus ab ea gloria, quam à deuictis interim Francis, Alemaniſquè clariſſimam ſibi parauerat, miſerorum ciuium preces, lacrymaſquè contemnere, ſe ſe confeſtim ad iter cum expeditis legionibus accinxit. Quo in itinere obducta iamdudum ſplendori Eccleſiæ nubes odio gentium, Regumquè inſectatione collecta, eiuſdem ſalutaris ſigni beneficio diſſipari cœpta eſt, per quod vmbra mortis, & laqueus iniquitatis generi mortalium ademptus eſt. Namque vniuerſæ multitudinis oculis manifeſta Crucis imago ſe ſe obtulit meridiani ſolis radijs exornata inclyto illo cum Epigrammate ἐν τούτῳ νίκα. *In hoc vince*, quo ex prodigio adeò bona ſpe, ſolliciti alioqui futuri expectatione, non minus Imperator, quàm exercitus repleti ſunt; vt contempta aduerſariorum multitudine, quam omnino metuendam hominum rumor, conſultique ea de re Haruſpices prædicabant, ſumma cum alacritate expeditioni ſe ſe, itineriquè crediderint. Adſumpto itaquè in omen conceptæ fiduciæ demonſtrato cælitùs vexillo infamem ad eam diem apud gentes ſeruilis imaginem ſupplicij aquilis iam, cæteriſquè ſignis militaribus anteponunt, tantumquè ſecuritatis, atquè animorum inde concipiunt, vt deuoratis omnibus longiſſimæ viæ difficultatibus, quæ ſe ſe, in Alpium tranſitum obiecerant, tanquam ad certam, exploratamquè victoriam properarent.

Viſus ea militum alacritate Cæſar non dubitauit in oppoſitas quaſquè Tyranni munitiones impetum facere, profligatiſquè omnium aduerſarum partium præſidiis victricium legionum terrorem per vniuerſam Italiam latè circumferens, ad Pontem deniquè Miluium concurſuras ſupremo diſcrimine copias admouit. Facilè Tyrannus parum ſibi in aperta vi præſidii eſſe reliquum intelligebat aduerſus militem rerum geſtarum ſucceſſu, præſumptaquè felicitatis futuræ opinione ferocem. Itaque ad inſidias, fraudeſquè conuerſus machinamentum comminiſcitur, cuius ope cedente tranſeuntium oneri totius pontis ædificio, Conſtantinus cum magna ſuorum parte à ſubter fluentis Tyberis gurgitibus hauriretur. Nec tamen eò ſecius Conſtantinianis, antequam flumini aduoluerentur, occurrit, excepitquè venientium impetum, breuiquè ſuſtinuit, nec incruentam omnino victoriam ſibi auferri paſſus eſt, donec vrgente fœdiſſimum animum, ſimul hoſtium terrore, ſimul ſcelerum, quibus agitabatur, conſcientia, eiſdem furiis in fugam, inquè paratas aduerſario inſidias per obliuionem, atquè im-

prudentiam adactus eſt. Igitur Conſtantinus manifeſtum erga ſe cœli fauorem expertus, egregiè gratum erga tanti beneficii auctorem animum geſſiſſe traditur per omnem eius victoriæ gratulationem, quam adeó celebrem, effuſamquè fuiſſe conſtat, vt arcus omnium, qui in Vrbe viſuntur, elegantiſſimus, maximusque ab Senatu eius rei monumento decretus ſit, commemorato haud obſcurè cæleſti Crucis prodigio in eo titulo, qui hodieque in eius vtraque fronte conſpicitur, in hæc verba.

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO
P. F. AVGVSTO S. P. Q. R.
QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS
MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO
TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS
FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS
REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS
ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

Quin etiam ſublimem haſtam, quæ Crucis formam referebat, in manu ſimulacri ſui poſitam addidit ſequenti cum elogio,

SALVTARI HOC SIGNO
TANQVAM VERÆ VIRTVTIS ET FORTITVDINIS ARGVMENTO
VRBEM VESTRAM IVGO TYRANNI EREPTAM LIBERAVI
S. P. Q. R.
AVCTORITATI PRISTINÆ DIGNITÁTIQVE RESTITVI
IMP. CÆS. FL. CONSTANTINVS MAXIMVS
P. F. AVGVSTVS.

Paſſimque omnium oculis occurrebat inſcriptio.

SALVTARI HOC SIGNO
IMPERIVM ROMANVM CVSTODITVR

Multa alia Conſtantinus erga Chriſtianam Religionem, recenti victoriæ Maxentianæ memoria, magnifica, honoraquè conſtituit. Namque liberam vbique terrarum Chriſti palam colendi facultatem

tem impertiuit, Haruſpices vetuſtiſsimum Imperij Sacerdotium, cumque ipſa Vrbe natum conſuli, coliquè prohibuit, Chriſtianorum inopiæ proximarum calamitatum acerbitate contractæ attributa ex Fiſco grandi pecunia ſubuenit, Eccleſiarum ſplendori, redditis antiquis earum poſſeſſionibus, Clericorum otio, ne qua re Diuinis obeundis à Myſteriis auocarentur, onerum, munerumquè vacatione conſuluit; donec inſito diuturnæ dominationis vitio, nimiaquè fortunæ indulgentia corruptus procedente tempore à nouo cultu in dies videri alienior, plurimum de ſuſcepta pietate remittere; peſſimo cuique, & rei Chriſtianæ inſenſiſſimo aures præbere; tandem reuocato per edictum antiquo Augurum vſu, aliiſquè pronioris erga veterem Romanorum ſuperſtitionem animi argumentis editis, tantum audaciæ, atque animorum antiquis noſtræ fidei aduerſariis addidit, vt iam Diocletianeorum temporum calamitates à ſollicitis vbiquè fidelibus timerentur, ipſequè Syluester Pontifex ſalutem ſuam Soractis ſaltus latebris, ac ſolitudini credere cogeretur. Vnde poſtea à Conſtantino poſt memorabiles illas amicorum, filiiquè, & coniugis cædes, in quos (exigente id ab eo pœnarũ Diuinæ iuſtitiæ Numine) interim imprudens ſæuierat; poſtq; agitata de cruẽto illo lauacro in lepræ remediũ conſilia accitus eſt, vt aquis ſalutaribus Sacroſancti Baptiſmatis non lepræ ſolùm exterioris ab eo inquinamenta, ſed etiam animi ſordes tot polluti ſceleribus, flagitiiſquè dilueret. Quod factum omnium quidem, quæ nobis vetus memoria tradidit, longè celeberrimum ſecuta eſt ſumma Chriſtianæ Religionis ſecuritas, dignitaſquè excitatis per omnes Imperii prouincias Chriſto Domino, Virginiquè Deiparæ, ac cæteris cœleſtium ordinum proceribus religioſiſſimis, opulentiſſimiſquè templis. Inter quæ ſiuè moles ædificii ſpectanda ſit, ſiuè ſtructuræ elegantia, opumquè in vaſa, veſteſquè, ac inſtrumenta collatarum magnitudo, præcipua ſine dubio fuere Ædes Sancti Pauli in via Oſtienſi, Sancti Petri in agro Vaticano, vtraque extra Vrbis mœnia. Et hæc ipſa, de qua nobis in præſens eſt ſermo Baſilica Saluatoris intra Vrbem contiguo Ædibus Imperatoriis Lateranenſibus loco ædificata, quas quidem Ædes inſigni erga Eccleſiam liberalitate proprium Romanorum Pontificum domicilium eſſe iuſſit. Eius aream propriis manibus ſarculo admotis ipſe deſcripſit, perfectamquè deinde præcipuo ſupra cæteras honore Conſtantinianam appellauit, doniſquè ad ſacram ſupellectilem ad inſtrumenta Sacramentorum, miniſtrorumquè alimenta, cæte-

rum-

rumq;diuinis muneribus obeundis cultũ magnificentiſſimè decorauit.Secuta eſt ſolemnis Ædis à Sancto Syluestro Pontifice Maximo dedicatio quinto Idus Nouembris publicè celebrata, vnde poſtea cæteras quoquè Chriſtianas Eccleſias dedicandi ritus manauit, ſtatutæquè ſunt certæ precationum, cæremoniarumquè formulæ, ac rationes, quibus Epiſcopi ſoli videlicet eius rei miniſtri ad propitiandam pacem cœleſtium, populiquè venerationem ſacris ædibus conciliandam vtuntur.

Huius autem Baſilicæ pręter Damaſum Papam, & Anaſtaſium Bibliothecarium multi ex antiquis Patribus meminere, inter quos primo loco recenſeamus Diuum Hieronymum in epitaphio Fabiolæ, cuius verba ſunt.

Quis hoc crederet? vt poſt mortem ſecundi viri in ſemet reuerſa, quo tempore ſolent viduæ negligentes iugo ſeruitutis excuſſo agere ſe liberiùs, adire balnea, volitare per plateas; ſaccum indueret, & errorem publice fateretur, & tota Vrbe ſpectante Romana ante diem Paſchæ in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in ordine pœnitentium? Sequitur Prudentius, eiusdem cum Hieronymo temporis Poeta, qui libro priore in Symmachum Vrbis Præfectum, vbi plebem Romanam Chriſti cultum amplexam commemorat, hæc habet;

Poſt hinc ad populum conuerte oculos, quis in Vrbe eſt,
Qui Iouis infectam ſanie non deſpuat aram?
Omnis, qui celſa ſcandit cœnacula vulgus,
Quique terit ſilicem varijs diſcurſibus atrum,
Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis,
Aut Vaticano tumulum ſub Monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obſes,
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Vnde ſacrum referat regali Chriſmate ſignum.

In regiſtro perantiquo Sanctæ Romanę Eccleſiæ conſcripto tempore Damaſi Papę, cuius exemplar dedit Marcellus Secundus Honuphrio Panuino, hæc mentio extat Baſilicæ Lateranenſis ſub Liberij obitu, & Damaſi electione.

Liberio Papa mortuo Cleri, & Populi pars Vrſicinum Diaconum in Baſilica Iulij elegit, & conſecrari fecit, pars verò in Lucinis Damaſum Preſbyterum renunciarunt, qui die ab electione ſeptimo in Baſilica La-

Lateranenſi Epiſcopus eſt ordinatus: ſic in eo regiſtro.

Ex Symmachi Præfecti Vrbis epiſtola ad Honorium Imperatorem de otto in Romana Eccleſia poſt obitum Zoſimi Pontificis inter Bonifacium, & Eulalium. Schiſmate,

Cum vir ſanctus Eulalius (inquit) *ad Eccleſiam Lateranenſem de exequijs Prioris Epiſcopi à populo, & à Clericis fuiſſet adductus, ibi per biduum cum maxima multitudine, & quamplurimis ſacerdotibus remoratus eſt, vt expectaretur dies conſtitutus, quo poſſet ſolemniter ordinari;*

Et in Epiſtola Presbyterorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ad Imperatorem Honorium.

Lateranenſem Eccleſiam obſtructis omnibus ingreſſibus Archidiaconus Eulalius, contemptis impiè ſummi Sacerdotis exequijs, ex Diaconibus, & pauciſſimis Presbyteris, ac multitudine turbatæ plebis obſederat.

Et Diuus Bernardus in ſermone de Priuilegijs Sancti Ioannis Baptiſtæ ait.

Decimus honor eſt aſſertio Matris Eccleſiæ, hæc enim Mater, & Magiſtra omnium Eccleſiarum; Eccleſia Romana, *vt dictum eſt; Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. In honorem Sancti Ioannis Baptiſtæ poſt Saluatoris nomen conſecrata eſt, & ſignata; dignum namquè erat, vt ſententiam ſponſi ſponſæ ſequeretur auctoritas, & ſingularem amicum eius illuc proueheret, vbi Principatum ipſa conſcendit. Electio procul dubio ſingularis eſt in illa ipſa Vrbe, Ioannem vindicare Primatum Eccleſiæ, quam Cœli duo luminaria morte clariſſima conſecrarunt.*

Hæc verba tribuūtur quidem à nonnullis Diuo Bernardo in ſermone eius primo, ſed ego illa legi apud Petrum Damiani Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem in ſermone habito in Natiuitate Sancti Ioannis Baptiſtæ, vt errore prorſus labi cenſendi ſint ij, qui Diuum Bernardum, potiùs quàm Petrum Damiani eius ſermonis auctorem exiſtimant. Sed nullum omnino inſtitutæ narrationis exitum inuenirem, ſi ſingulorum verba hoc loco attexenda ſuſciperem. Illud non omiſerim, vnde huic Baſilicæ Lateranenſis vocabulum profectum ſit recenſere.

Lateranorum familia in Vrbe Roma Conſulari nobilitate domi, militiæque inſignis ædes Magnificas in Monte Cœlio habuit, quarum meminit in Satyra X. Iuuenalis, vbi de Neronis ſæuitia loquens hæc habet.

Tem-

Temporibus diris igitur, iuſſuquè Neronis
Longinum, & magnos Senecæ prædiuitis hortos
Clauſit, & egregias Lateranorum obſidet Aedes
Tota cohors.

Capitolinus in Marco Aurelio de eiſdem ita ſcribit.

Marcus Imperator natus eſt Romæ in Monte Cœlio VI. Kal. Maij in hortis, Auo ſuo ſecundũ & Augure, Coſ. & educatus eſt in eo loco, in quo natus eſt, in domo Aui ſui Veri iuxta Aedes Laterani.

Et Aurelius Victor in vita Seueri:

Lateranus ab eo valde ditatus eſt. ex quibus diuitijs auitas ædes Lateranorum magnificentiſſimas refecit in Cœlio:

Immò inſcriptiones, quas hìc ſubiicio plumbo inciſæ, & repertæ in Monte Cœlio prope Baſilicam Sancti Ioannis Anno Milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto hoc apertiùs demonſtrant.

SEXTI LATERANI

SEXTI LATERANI
TORQVATI ETIAM
LATERANI

Quæ Inſcriptiones à Fuluio Vrſino huius Eccleſiæ Canonico rerum antiquarum ſtudioſiſſimo affixæ fuere muro Sacrarii eiuſdem Baſilicæ cum hoc appoſito marmoreo monumento.

Hæc vetuſtatis monumenta propè Eccleſiam rep.
Ann. 1595. Cap. Rep.

Aedes iſtæ Plautii Laterani hominis prædiuitis olim fuere, & à Lateranorum gente ideo ſunt appellatæ Lateranenſes. Quem Plautium occiſum à Nerone fuiſſe anno Imperii eius vndecimo in Piſoniana coniuratione Tacitus ità refert Annal. lib. XV.

Annæus Lucanus (inquit) *Plautiuſquè Lateranus Coſ. deſ. viuida odia in Neronis coniurationem intulere, Lucanum propriæ cauſsæ accendebant, Lateranum Conſulem deſignatum nulla iniuria, ſed amor Reipublicæ ſociauerat.* Et paulò poſt. *Proximam necem Plautij Laterani Conſulis deſignati Nero adiungit, adeò properè, vt non complecti liberos, non illud breue mortis arbitrium permitteret, Raptus*

in

in locum ſeruilibus pœnis repoſitum, manu Tatij Tribuni trucidatur plenus conſtantis ſilentij, nec Tribuno obijciens eamdem conſcientiam.

Et quamuis à Nerone ædes eius publicatæ, & fiſco addictæ fortaſſe fuerint, retinuere tamen priſcam Laterani appellationem, & ideò Baſilica hìc extructa à Conſtantino Magno Lateranenſis eſt vocata, vt litteræ eiuſdem Conſtantini ad Oſium Epiſcopum Cordubenſem datæ declarant.

Optatus etiam Mileuitanus agens de Synodo coacta ſalutis anno trecenteſimo decimo tertio, in qua Cæcilius Carthaginenſis Epiſcopus confirmatus, & Donatus damnatus eſt, ait eam fuiſſe conuocatam in Domo Fauſtæ Magni Conſtantini vxoris in Laterano. Conſtantino, & Licinio Aug. III. Coſs. Non. Octob. die fer. VI.

Eo autem anno, quo Imperator Conſtantinus victoria potitus eſt de Maxentio Tyranno, Pontificem Miltiadem, qui ab eo calamitates varias erat perpeſſus, proſequutus eſt honore tanquam Patrem, eiquè vtpote primario Religionis Antiſtiti Palatium ſuum conceſſit habitandum, & conuenienti tanto honori cultu eum dignatus eſt, ne ſupremus Sacerdos inglorius, & ſolitarius in tam amplis ædibus ſpatiaretur. Dein verò Syluestro Pontifice, Lateranenſem ibi vt dictum eſt Baſilicam ædificauit.

De varijs nominibus huius Baſilicæ.

CAP. II.

SVPER vocabulum Eccleſiæ S. Ioannis in Laterano, quod vulgo celeberrimum eſt, variis præterea appellationibus ſacroſancta, & venerabilis hæc Lateranenſis Ædes, tùm à Sanctis Patribus, tùm à Romanis Pontificibus in eorum Diplomatibus, aliiſquè peruetuſtis Eccleſiæ Romanæ monimentis decoratur. Primò Baſilica, hoc eſt Regia Domus appellatur, quia cum Regi Regum, nempè Chriſto Seruatori dicata ſit, conceſſa eſt vſibus eius, qui eſt in terris ſummus Rex, & Sacerdos. Vocatur etiam Baſilica aurea, vel Baſilica Conſtantiniana, quoniam Coſtantini

iuſſu emblematibus, & aureis ornamentis operis muſiui tota erat exornata, atquè hæc appellatio extat apud Sanctum Gregorium in lib.2. Regiſtri in hæc verba.

Temporibus Papæ Gregorij Conſulatu Mauritij Auguſti Anno ſeptimo depoſitus eſt Laurentius, qui primus fuerat in ordine Diaconi Sedis Apoſtolicæ propter ſuperbiam, & mala ſua, & factus eſt Archidiaconus Honoratus coram omnibus Presbyteris, & Diaconibus, Notarijſquè, & Subdiaconibus, vel cuncto Clero in Baſilica aurea.

Adhæc Templum Miſericordiæ, atq; Aſylum vocitatam accepimus, cum enim multos aditus, oſtia frequentia, atq; inter columnia haberet, totaq; eſſet peruia, ſolis Cortinis ſeu ſipuriis atq; velis obſcurabatur, ne non patens vnquam hominibus eo perfugio vti volentibus videretur, nec enim rei quibuſcunque obſtricti criminibus à Præfectis inde rerum Capitalium extrahi, atquè ad pœnam vocari poterant: Dicitur etiam Apoſtolica Eccleſia, hoc eſt, Apoſtolorum doctrina, & inſtitutis inſtructa: Dicitur Sedes Apoſtolica, quia præter Chriſti Vicarium Apoſtolicum, hoc eſt, Sancti Petri Apoſtoli ſucceſſorem, neminem alium in ea ſedere fas eſt: Dicitur Sedes prima, quia Patriarchales ædes alias tanquam inferiores, & ſubditas habet: Dicitur Sedes Petri, quia in ſucceſſoribus ſuis adhuc ſedere in ea videtur Sanctus Petrus. Ab Vrbe Roma verò dicitur Romana Sedes, Romana Eccleſia, & à loco Eccleſia Lateranenſis, Lateranenſis Baſilica, Lateranenſe Epiſcopium, Lateranenſe Pattriarchium. Dicitur præterea Vniuerſalis Eccleſia, quia in vniuerſas alias peculiares Eccleſias poteſtatem habet iudicandi, definiendi, & de illa è contrà Eccleſia alia nulla definire, aut iudicare poteſt. Exinde Mater, Caput, & Magiſtra Eccleſiarum omnium conſalutatur, quia omnes alias Eccleſias fouet quaſi Mater, omnibus Magiſterio præeſt, omniumquè habet prouidentiam, & pro omnium fide inuigilat iuxta illud oraculum Chriſti Domini.

Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

Aulæ etiam Dei nomen obtinuit, quod typum, & ſimilitudinem præſeferat cœleſtis Aulæ, & idcircò, quando in hac Baſilica Miſſæ ſacrificium celebratur, dùm tertiò repetitur, *Agnus Dei*, non

non adijcitur, *Dona nobis pacem*, ſed congeminatur illud, *Miſerere nobis*; quia videlicet in cœleſti Eccleſia, cuius typum hæc gerit, ſempiterna pax nunquam non inuenitur. Præterea in Sacris horis Canonicis oratio tantùm Dominicalis, nempe, *Pater noſter*, alta voce recitabatur, vt hinc etiam intelligeretur eam eſſe primam, omnium Eccleſiarum, quæ cum Saluatoris nomini dicata ſit, eiuſdem Saluatoris precationem peculiari hoc ritu pronunciaret; erantque præterea pleræquè aliæ Orationes, ſeù Collectæ, quæ in omnibus horis Canonicis à Pontifice, & Epiſcopis Cardinalibus ſolis nempe ad Aram maximam huius Baſilicæ ſacrificantibus, in hac dumtaxàt Eccleſia recitabantur, quę tamen progreſſu temporis paulatim exoleuere.

De Dignitate huius Baſilicæ.

CAPVT III.

ETSI conſilium meum non eſt de cunctis Romanæ Vrbis Baſilicis hoc loco ſcribere, tamen vt Baſilicæ Lateranenſis excellentia magis pateat de cæteris etiam, quæ omnino quatuor numerantur pauca tradere non alienum à meo propoſito futurum exiſtimo. Veteres Romani Pontifices, vti colligitur ex libro Cameræ Apoſtolicæ, qui Prouincialis appellatur, quinque Maiores, & præſtantiores in Vrbe Roma Eccleſias ex iis, quas tum ſuperiores Pontifices, & Imperatores, tum ipſi poſtea condiderant, quæ à ſtructuræ magnitudine, pulchritudineque Baſilicarum, & Patriarchalium Eccleſiarum nomine cenſerentur, fuerunt, Baſilica hæc noſtra Saluatoris, Baſilica Sancti Petri Apoſtoli in Vaticano, Baſilica Sancti Pauli via Oſtienſi extra Vrbis mœnia Baſilica Liberiana, ſeu Xiſti Papæ in Exquiliis, quæ Sanctæ Mariæ ad Præſepe, ac deniquè Maioris appellationem obtinuit, Baſilica Sanctorum Stephani, & Laurentii extra muros Vrbis Via Tiburtina. Cur autem hoc ita conſtituerint veteres Romani Pontifices cum multæ traduntur cauſſæ, tum illa potiſſimum, quod hæ quinque Sedes Patriarchales pro quinquè præcipuis Orbis Chriſtiani Patriarchis honoris cauſa

antiquitus deſignatæ dicuntur, & Lateranenſis quidem vtpote cæterarum omnium Primaria pro Pontifice Romano: Sancti Petri pro Conſtantinopolitano, Sancti Pauli pro Alexandrino, Sanctæ Mariæ Maioris pro Antiocheno, & Sancti Laurentii extra muros pro Hieroſolymitano. Ita fiebat vt quoties eos vel ad generalia Concilia, vel ad alia Chriſtianæ relligionis, ſeu propriarum Eccleſiarum negotia obeunda ad Vrbem ſe conferre, in eaq; morari contingeret, ſuas quiſquè ædes, ſuamquè Eccleſiam quaſi propriam ſedem, ac in ſua quodammodo prouincia poſitam haberet; qua ex re incredibile dictu eſt quantum dignitatis, atquè ornamenti ad Romanam Eccleſiam perueniret, quæ ſpeciem ea ratione verè gubernantis omnia & orbi Chriſtiano vniuerſo præſidentis pulcherrimam referebat. Quandoquidem omnes quatuor mundi plagæ, in quatuor huiuſmodi Baſilicis eleganter expreſſæ, Ortus videlicet, & Occaſus, Meridies, atque Septentrio illius auctoritati, ac poteſtati ſeſe ſubiicere videbantur; Quod quidem ex antiqua pictura, quæ olim in Lateranenſi Patriarchio his expreſſa ſimulacris viſebatur luculenter apparebat. Cæterùm omninò conſtat inter has Patriarchales Baſilicas obtineri principem locum à Baſilica Lateranenſi, quæ Romanæ Eccleſiæ typum gerit; Ipſa eſt enim Romanorum Pontificum Sedes, qui in Patriarchio iuxta eam extructo per annos mille & XXV. plus minus perſeueranter reſederunt; hoc eſt à Sancto Syluestro Papa vſquè ad Clementem Quintum, qui Romanam Curiam in Gallias Auenionem tranſtulit. Ad hæc cum Baſilicæ Lateranenſis tanta ſit dignitas, & Maieſtas ſeptem Epiſcopi finitimarum Vrbi Ciuitatum fuerant conſtituti, vt ſingulis hebdomadæ diebus cum præſente, tum etiam abſente Pontifice ſuper aram eius maximam diuina myſteria per vices ſinguli celebrarent, aut certè Pontifici celebranti ad conſtitutos ſolemniores anni dies aſſiſterent. Vt autem ſeptem ſunt hebdomadæ dies, qui ea euoluta denuò recurrunt; ita ſeptem Epiſcopi electi fuerant, qui hebdomadam celebrando explerent, & miniſterium de integro ea circumacta rite obirent, atquè inde potiſſimum factum eſt, vt ij ſeptem Epiſcopi Cardinales ſint appellati. Horum porró inſtitutio antiquiſſima eſt, etenim apud Bibliothecarium in vita Stephani Papæ IV. qui & Tertius dictus eſt, creatusque Pontifex anno ſalutis ſeptingenteſimo ſexageſimo octauo, hæc leguntur.

Hic conſtituit, vt omni die Dominico à ſeptem Epiſcopis Cardinalibus hebdomadarijs, qui in Eccleſia Sancti Saluatoris obſeruant Miſſarum

rum

rum ſolemnia, ſuper altare Diui Petri celebraretur, & Gloria in excelſis Deo cantaretur.

Accedit auctoritas Cardinalis Damiani, qui ad Epiſcopos Cardinales de Baſilica Lateranenſi ſcribens hæc habet.

Hinc eſt, quod ipſa Eccleſia excellentioribus præ cæteris totius Vrbis Eccleſiis nititur priuilegijs, ſed & myſticis etiam inſtituta, atque diſpoſita non ambigitur Sacramentis; Nam vt de pluribus pauca perſtringam, Lateranenſis Eccleſia ſicut Saluatoris eſt inſignita vocabulo, qui nimirum omnium Caput eſt electorum; ita Mater, & quidam apex, ac vertex eſt omnium per Orbem Eccleſiarum. Hæc ſeptem Cardinales habet Epiſcopos, quibus ſolis poſt Apoſtolicum, Sacroſanctum illud altare licet accedere, ac diuini cultus myſteria celebrare, &c.

Inter hos autem ſeptem Epiſcopos per vices huiuſmodi officium ita partitum erat, vt Oſtienſi dies Dominicus, ſequentis feriæ Epiſcopo Siluæ candidæ, qui Vrbi Leoninæ, tanquam propriæ Diœceſi præſidebat, mox Portuenſi, qui Tranſtyberinam Vrbis regionem Epiſcopali auctoritate adminiſtrabat, ac cæteri deinceps Sabinus videlicet, Præneſtinuſquè, ac Tuſculanus, ac deniquè Albanus, qui omnes etiam extant hodiequè præter Epiſcopatum Siluæ candidæ, qui ob eius oppidi infrequentiam cum Eccleſia Portuenſi auctoritatè Calliſti Secundi coaluit, eademquè de cauſa Oſtienſi deinde Eccleſiæ ſubuentum eſt vnitis eidem ab Eugenio Tertio Velitris. In hac eadem Lateranenſi Baſilica, qui rem diuinam facerent, officia diuina, horaſquè Canonicas perſoluerent, ij olim erant Prior, & Canonici Sancti Auguſtini. Dein hæc munia obiuerunt Archipresbyrer, & Sæculares Canonici cum Beneficiatis, Cappellanis, Clericis, Cantoribus, & alijs Miniſtris, quos Bonifacius Papa Octauus Canonicis Regularibus eiectis ſuffecit, vt infrà dicemus. Extat in Archiuio Lateranenſi autographum litterarum Anaſtaſij Quarti datum de anno 1154. vbi multa habentur de ratione inſeruiendi Lateranenſi Eccleſiæ, quæ referenda neceſſariò ſunt ad ea, quæ dicimus de Cardinalium Epiſcoporum celebratione, quæ libet hìc ſubiicere.

Ad ſuggeſtionē auctoritate fratrum noſtrorum Cardinalium Epiſcoporum ſancimus, vt eadem Eccleſia tanquam principalis Mater, & Domina omnino libera ſit, & nulli penitùs, niſi ſoli Romanò Pontifici ſit ſubiecta, atque ijdem Epiſcopi ſalubri prouidentia, veluti cooperatores, & Vicarij noſtri ipſius Venerabilis Baſilicæ vtilitati, & honeſtati prouideant. Et paulò inferiùs. *Porro celebrantibus ibidem Epiſcopis*

ſcopis ſacra Miſſarum ſolemnia, cum Clericalibus tunicis præſentes ſitis, cantum imponatis, atque ex vobis Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, atque Acolytum ſemper prouidere curetis.

Dein vnumquemquè prædictorum Cardinalium Epiſcoporum, qui ſunt in principalis Altaris ſeruitium deputati, ſemel in hebdomada de obſeruantia Regulæ &c. per ipſos vice noſtra emendari ſtatuimus, &c.

At cæteris Patriarchalibus Templis miniſtri ſeptem erant aſſignati, non Epiſcopi tamen, ſed Presbyteri Cardinales, qui vniuerſi erant octo ſupra viginti; hunc ſiquidem numerum conficiunt quattuor ſeptenaria, cum enim hæ Baſilicæ eſſent minoris dignitatis, quàm Baſilica Lateranenſis, cui deſeruiebant Epiſcopi Cardinales, ideò habebant Cardinales Presbyteros, ad quos viginti octo Romanæ Vrbis tituli pertinebant, de quibus titulis, ac de Cardinalium origine Honuphrius Panuinus accuratè, atquè eruditè ſcripſit.

Recenſentur ea, quæ ex antiquis monumentis, inſcriptionibus, & diplomatibus de dignitate huius Baſilicæ habentur.

CAP. IV.

QVamuis non putem eſſe magnopere mihi laborandum in aſſerenda vlterius, Lateranenſis Baſilicæ dignitate, eaquè ſuper omnes Vrbis, atq; adeo terrarum omnium Eccleſias extollendas tamen haud abs re futurum cenſeo, ſi hoc loco afferam in medium nonnulla, quæ in antiquis eius monumentis, ac diplomatibus habentur, huic materiæ conuenientia. olim in Apſide maiori hos verſus exaratos fuiſſe depræhendimus ex eiuſdem Eccleſiæ Archiuis.

Aula Dei hæc ſimilis Synai ſacra iura ferenti,
Vt lex demonſtrat, hic quæ fuit edita quondam,
Lex hinc exiuit, mentes quæ ducit ab imis,
Et vulgata dedit lumen per climata ſecli:

Flauius Conſtantius Felix Victor Magiſter vtriuſquè militiæ patricius, & Conſul ordinarius, & Paduſia illuſtris fœmina eius vxor voti compotes de ſuo fecerunt:

Hic vero Conſtantius ille fuit, vt Panuino placet, qui amiſſa vxore Paduſia Placidiam deinde magni Theodoſii filiam in Matrimonio habuit, ex qua Valentinianum III. Honorii Succeſſorem ſuſcepit ipſe autem ob res bello egregie geſtas ab Vxoris fratre Honorio Cæſar creatus præmatura morte interceptus eſt, Baſilicæ autem huius apſidem exornaſſe creditur. Sed propius vero eſt nihil huic Felici cum hoc, de quo diximus Conſtantio Cæſare Placidiæ Marito; namquè de Conſtantii Cæſaris priore cum Paduſia coniugio, niſi forte diuinando nemo quicquam affirmauerit; Sed potius eſſe hic ſermonem de alio Felice, quem Magiſtrum Militiæ, deinde Conſulem, Mox Patricium fuiſſe, ac tandem opera Aëtii vnà cum Vxore Paduſia interfectum ex Proſperi Aquitanici monumenris accepimus, qui hæc omnia ſigillatim memorat in ſuo Chronico ad annum Salutis 430. vſquè ad 434.

Extabant alii verſus, qui quamquam ſemibarbari, attamen ſatis rem explicabant.

Agnoſcant cuncti ſacro baptiſmate functi,
Quod domus hæc munda nulli ſit in Orbe ſecunda,
Nam cum Papalis locus hic ſit, & Cathedralis
Primatum mundi meruit ſine lite rotundi.
Contendit nemo ſecum de iure ſupremo
Omnis ei cedit locus, & reuerenter obedit,
Hanc Conſtantinus in cælum mente ſupinus
Lepra mundatus intus, foriſquè nouatus
Fundauit primus, factum, quod in orbe ſcimus,
Et ſeries rerum cogit nos ſcribere verum
Chriſti ſucceſſor primus, fideiquè profeſſor
Petrus ab hac Sede laxauit retia prædæ
Claue poteſtatis recludens regna Beatis.

In

In Apſide ſupra marmoream ſedem, in qua Pontifex aſſidet, quando intereſt ſacris, & vbi nunc eſt Altare, in quo à Canonicis diuina miniſteria peraguntur, iſti alii verſus erant adſcripti.

Hæc eſt Papalis Sedes, & Pontificalis
Præſidet, & Chriſti de iure Vicarius iſti,
Et quia iure datur, ſedes Romana vocatur,
Nec debet verè niſi ſolus Papa ſedere,
Et quia ſublimis alij ſubduntur in imis.

Ad finem Templi, ſeu ſupra Veſtibulum eius ad læuam Pius Quintus parta de Vgonottis victoria, cum iuſſiſſet ſigna hoſtibus erepta intus in Baſilica Lateranenſi appendi, hoc programma in marmore inſcribi voluit.

PIVS QVINTVS PONTIFEX MAXIMVS.

Signa de Caroli Noni Chriſtianiſſimi Galliæ Regis Perduellibus, ijſdemque Eccleſiæ hoſtibus à Sfortia Comite S. Floræ Pontificij auxiliarij exercitus Duce capta, relataquè in Principe Eccleſiarum Baſilicà ſuſpendit, & omnipotenti Deo tantæ victoriæ auctori dicauit anno 1570.

Super ipſum autem periſtilium in Porticu exteriori eiuſdem Baſilicæ antiqui verſus huiuſmodi leguntur

Dogmate Papali datur, ac ſimul Imperiali;
Quod ſim cunctarum Mater Caput Eccleſiarum,
Hinc Saluatoris cæleſtia Regna datoris
Nomine ſanxerunt, cum cuncta peracta fuerunt.
Sic ſumus ex toto conuerſi ſupplice voto
Noſtra quod hæc ædes tibi Chriſti ſit inclyta Sedes.

Ioannes etiam Diaconus Sancti Saluatoris, & Patriarchij Lateranenſis Canonicus ſub Alexandro Papa Tertio librum de hac Baſilica conſcribens, ita præfatur.

Incipit ſcriptum de ſupremo Sanctuario Sanctæ Dei Romanæ, ideſt Lateranenſis Eccleſiæ compoſitum de Archiuis, & Romanorum Pontificum geſtis, quæ ſcilicet Eccleſia Patriarchalis, & Imperialis priuilegio, & prærogatiua Sanctæ Sedis Apoſtolicæ dono gra-

tiæ

tiæ Dei Saluatoris Ieſu Chriſti per omnes Eccleſias totius Orbis terrarum obtinet Principatum, quæ etiam diuino nutu Apoſtolici culminis, & Romani Imperij nomen poſſidet glorioſum, & quoniam totus Orbis terrarum huic Matri Eccleſiæ debitæ ſubiectionis exhibere debet obſequium, multi ex diuerſis Regionibus legati huc conueniunt, quibus neſcientibus, quantum, & quàm precioſum in hac prædicta Eccleſia Sanctuarium Dei ſit reconditum per iſtarum inſinuationem literarum volumus eſſe manifeſtum.

Atque in tabula marmorea ante ingreſſum Tribunæ quam vocant, à cornu Euangelij exarata eſt hæc Bulla Gregorij Papæ Vndecimi.

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Super vniuerſas Orbis Eccleſias Romanus Pontifex à Domino conſtitutus circa ea, de quibus dubitari dicitur, vt euitari poſſint quæcunque diſpendia, declarationem ſuam, vbi expedit, ſuamque prouiſionem adijcit, prout fore conſpicit opportunum. Sane dudum dum minori fungebamur officio, percepimus, quod de Eccleſia Lateranenſi, quam claræ memoriæ Conſtantinus fideliſſimus Imperator in Lateranenſi Palatio ſuo, vbi miraculosè mundatus à lepra, & ſacri Baptiſmatis fonte renatus, conſtruxit ſub vocabulo Saluatoris, ſtatuens, quod ex tunc vnicuique eſſet libera poteſtas per Vrbem, & Orbem Eccleſias conſtruendi, quod antea Imperialis prohibitio inhibebat, à quibuſdam curioſis dubitatur, ac etiam in præſenti in dubium reuocatur, ſi ipſa in Vrbe, & Orbe terrarum præeminentiam, & honoris prærogatiuam à Romana Eccleſia, & à cunctis Chriſticolis obtinere debeat potiorem. Nos igitur volentes huic dubio finem imponere, & ſuper hoc amputare materiam heſitandi, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, decernimus, & etiam definimus Sacroſanctam Lateranenſem Eccleſiam præcipuam Sedem noſtram inter omnes alias Vrbis, & Orbis Eccleſias, & Baſilicas etiam ſuper Eccleſiam, & Baſilicam Principis Apoſtolorum de Vrbe ſupremum locum tenere, eamque de iure maiorem eſſe omnibus alijs Eccleſijs, ac Baſilicis ſupradictis, ac ſuper omnes, & ſingulas præfatas Eccleſias, & Baſilicas prioritatis, dignitatis, & præeminentiæ honore lætari. Et ſi quid contra huiuſmodi noſtram declarationem, determinationem, & definitionem à quocunque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentatum fuerit, id irritum decernimus, & inane. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, conſtitutionis, ac definitionis infringere, vel ei

auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei; ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſe nouerit incurſurum. Datum Auenione X. Kal. Februarij Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Hæc verò etiam à Martino Quinto, & Paulo Tertio fuit confirmata, qui ſuæ Bullæ inſuper eam inſeruerunt. In alia tabula, quæ eſt à cornu Epiſtolæ inſculpta legitur hæc Bulla Pii Quinti non minùs Pontificia Maieſtate, quàm Sanctitatis gloria venerabilis.

Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad æternam rei memoriam. Infirma æui conditio ſæpè efficit, vt res vel maximè perſpicuæ, & memorabiles perplexi erroris caligine ſenſim obductæ in grauia diſcrimina prolabantur, quo genere incommodi affecta Sacroſancta Eccleſia noſtra Lateranenſis poſt tot inſignes ruinas, quæ ei tenebroſis illis ſeculis acciderant, quibus plerique omnes Romani Pontifices, aut Religionis ſtudio, aut componendæ pacis gratia, aut bellorum periculo longè ab Vrbe ſæpè etiam in Gallijs agebant, de ſummi quoque iuris ſui, atque honoris prærogatiua perperam laborauit. Etenim longo poſt interuallo quàm fel. rec. Leo Papa Quartus parta de Saracenis ſpectabili victoria Vrbem ſui nominis, præſidiumquè ad Vaticanum ſtatuerat, cum reduces deinceps Pontifices in alijs, atque alijs Vrbis Eccleſijs vti cuique tutum, ac commodum erat, conſiderent prædicta Eccleſia ex tam multis direptionibus quaſi ſolitudine facta Sacerdotes Baſilicæ Principis Apoſtolorum cum parilis vetuſtatis gloria, tùm nominis dignitate illuſtres, atque inſignes ab ea rerum commutatione prædictum ſibi ius niſi ſunt vendicare. Quamrem non ferens Gregorius Papa Vndecimus, qui etiam num Auenione ſedebat, vt omnem dubitationem eximeret, declarauit, & definiuit prædictam Eccleſiam Lateranenſem præcipuam Sedem ſuam dictæ Baſilicæ, ac cæterarum omnium Vrbis, & Orbis Eccleſiarum Maximam ſupra illas omnes locum tenere, ſed dicti Sacerdotes tranſlato inde prorſus Pontificum Domicilio elatiores, quandocunque res tulit audentius, inſtiterunt, donec Pius Papa Quartus anteceſſor noſter meritò commotus, quod in Cleri conuentu, & ſupplicationibus acres turbæ intercederent, moleſtæquè diſſenſiones fierent; huic tandem controuerſiæ finem conſtituere volens cauſam vniuerſam Dilecto filio Magiſtro Franciſco Sarmiento Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditori commiſit audiendam, & omni appellatione præciſa penitus terminandam, qui vocatis vtrimque Capitulis in ipſa cauſa ritè

pro-

procedens diffinitiua ſententia ex communi aliorum dicti Palatij Auditorum conſilio nuper prolata declarauit ius præcedendi, & prærogatiuam honoris, lociquè nobilioris, & ſupremi etiam ſupra Canonicos, Beneficiatos, Clerum, & perſonas prædictæ Baſilicæ in proceſſionibus ſolemnibus, & decretis, cæteriſquè omnibus actibus publicis, & priuatis ad Canonicos, Beneficiatos Clerum, & perſonas dictæ Eccleſiæ Lateranenſis omninò pertinere, quin etiam perpetuo ſilentio his rebus impoſito res iudicata ita executioni mandata eſt, vt habitis poſtea Cleri conuentibus, ac ſupplicationibus Sacerdotes omnes prædictæ Eccleſiæ Lateranenſis ſupremum ibi locum etiam ſupra omnem Clerum dictæ Baſilicæ re ipſa obtinuerint. Quocirca Nos tuendi iuris prædicti ſtudio hanc ſententiam, atquè adeò declarationem, definitionem, & literas prædicti Gregorij Papæ hac de re ſtatuentes, & quæcunque literis ipſis continentur, Motu proprio, certaquè, quam habemus prædictorum omnium, ſcientia, auctoritate Apoſtolica approbamus, & confirmamus, atque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſupplemus omnes, & quoſcunque iuris, & facti defectus, ſi qui enim in proceſſu, & actibus reperiantur ineſſe, & vti ipſe Gregorius Papa optimo iure fecit. Itidem definimus, iubemuſquè Capitulum, & Sacerdotes, Perſonaſquè dictæ Baſilicæ, vbiquè ſemper ſententiæ, & definitioni parere ſtatuentes, vt nulla omninò ipſorum prouocatio, teſtificatio, vel reclamatio, ſiue in iudicium producta, ſiue clam interiecta præterita, & futura noceat, nec prorſus vim habeat, materiamue tribuat denuò litigandi. Præcipimus igitur, atque interdicimus eiſdem, ne poſthac quicquam audeant ſuſcitare. Quicunque ſiue vniuerſi, ſiue ſinguli contrafacient, nec nitentur, eos Canonicatu, Præbenda, Dignitate, Beneficio, & officio priuamus, priuatoſquè, & ad futura inhabiles declaramus eo ipſo. Decernentes ſic in his, & omnibus alijs ſupradictis per eoſdem Iudices, & quoſuis alios omni, & quacunque aliter iudicandi, & interpretandi facultate penitus adempta, vbiquè iudicari debere, ac irritum, & inane quicquid ſecùs per quoſcunque ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus contrarijs quibuſcunqae: Volumus autem, vt præſentes in Cancellariæ Apoſtolicæ libro Quinterno appellato deſcribantur, ipſarumquè exempla Notarij publici manu, & Prælati Eccleſiaſtici, eiuſuè Curiæ ſigillo obſignata, eamdem illam omninò fidem in iudicio, & extra illud vbiquè locorum faciant, quam ipſæmet præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ

approbationis, confirmationis, ſupplicationis, definitionis, iuſſionis, ſtatuti, præcepti, interdicti, decreti, priuationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contradicere; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1659. Duodecimo Kal. Ianuarij Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Sed & alij Sanctiſſimi Pontifices dignitatem huius Baſilicæ teſtatam eſſe voluerunt, inter quos præcipuè Adrianus Primus in erectione, ſeù confirmatione Epiſcopatus Ferrarienſis poſt multa hæc habet.

Qua propter ego Adrianus diuina adueniente gratia ſummus Epiſcopus huius vniuerſalis Sanctæ Romanæ, & Lateranenſis Eccleſiæ, quæ maior eſt omnium Eccleſiarum, &c.

Anaſtaſius Quartus etiam in ſuo diplomate ſic præfatur de Lateranenſi Eccleſia.

Anaſtaſius &c. Poteſtatem ligandi, atque ſoluendi tam in cœlis, quam in terris Beato Petro, eiusquè Succeſſoribus, auctore Domino principaliter traditam, illis Eccleſia verbis agnoſcit, quibus Petrum eſt idem Dominus alloquutus, quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlo, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis. Ipſius quoque, & propriæ firmitas, & alienæ fidei confirmatio eodem Deo auctore præſtatur, cum ad eum dicit. Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Oportet igitur Nos, qui licèt indignè Beati Petri reſidemus in loco, prout diuina nobis clementia, & ſcire, & poſſe donauerit, praua corrigere, recta firmare, & eius Eccleſiæ ſic ad interni arbitrium Iudicis diſponenda diſponere, vt de vultu eius iudicium noſtrum prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem. Aequum eſt ergo, ac rationabile, vt ſuus vnicuique honos Eccleſiæ, ac dignitas conſeruetur. Et ſicut in humani compage corporis naturalis ratio ſingulis quibusquè membris ad ſalutem prouidens ſpeciales, & proprios actus edocet nobilioribus verò ſuam dignitatem conſeruat; ita in corpore Eccleſiæ Apoſtolica prouidentia ſecundùm ſacrorum Conſtitutiones Canonum vniuerſas regit Eccleſias, digniores autem, & famoſiores in ſui ſtatus prærogatiua cuſtodit. Huius itaque rationis debito prouocati licèt omnium Eccleſiarum nobis ſollicitudo, & cura immineat, prædictæ tamen Sanctæ Lateranenſis Eccleſiæ, per quam Nobis datus, vt inuigilare cæteris omnibus debeamus, quæ ſpecialiùs,

liùs, & familiariùs ad Romani Pontificis ordinationem ſpectare dignoſcitur ampliori, & attentiori Nos conuenit ſtudio prouidere. Ea propter &c. Anno 1154. *Tertio Kal. Ianuarij, per manum Rolandi Prerbyteri Cardinalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarij.*

Præterea Paſchalis, Calliſtus, & Honorius Pontifices eius nominis ſecundi dignitatem, & prærogatiuam huius Baſilicæ pariter oſtendunt in Bullis ſuis, & Innocentius ſecundus Eccleſiam Lateranenſem ſingulariter pertinere ad Romanum Pontificem dixit, nec aliud in cauſa fuiſſe reor, cur ſolerent Romani Pontifices, cum ex Vrbe diſcederent, relinquere in Laterano eos, qui ipſorum vices gererent in Cleri gubernatione, & in regimine Eccleſiaſticæ ditionis, quo pacto ipſe Innocentius ex Vrbe egrediens ob Anacleti Pſeudopontificis factiones conſtituit in Laterano ad Cleri, & Pontificiæ ditionis regimen Corradum de Suburra Sabinenſem Epiſcopum.

De qua conſuetudine Vicarios conſtituendi in Laterano Pontificibus Romanis peregrè abeuntibus, ita mentio habetur apud Anaſtaſium Bibliothecarium in vita Vigilij Papæ, dum de Theodora coniuge Imperatoris Iuſtiniani hæc refert.

Cognoſcens Auguſta, quod Vigilius Papa reuocare nollet Anthimum Patriarcham Conſtantinopolitanum Hæreticum, miſit Antemium Scribonem cum iuſſione Romam ad Belliſarium dicens: exceptis omnibus in Baſilica Sancti Petri parce &c.

Et paulò poſt idem auctor iſta ſcribit.

Vigilius ex Vrbe diſcedens, remiſit Romam Ampliatum Presbyterum, & Vicedominum ſuum, & Valentinum Epiſcopum Sanctarum Ruffinæ, & Secundæ ad cuſtodiendas Lateranas, & gubernandum Clerum.

Ad hæc Lucius Secundus, Adrianus Quartus, Alexander, & Vrbanus Tertij Lateranenſem Baſilicam Matrem vocant, & Caput omnium Eccleſiarum. Innocentius verò Tertius ita de ea loquitur in Bulla ſua poſt narratam in ea Conſtantini pijſſimi Imperatoris hiſtoriam.

Siluester Papa prædeceſſor noſter in Lateranenſi Baſilica, quam ad honorem Sancti Saluatoris deuotio fundauerat Conſtantini, Pontificalem Cathedram ſtabiliuit, vt quæ poſt pacem conceſſam Eccleſiæ in Vrbe, tempore prima fuit, nulli eſſet in Orbe dignitate ſecunda, licet enim is, cui dictum intelligitur à Domino per Prophetam. Ecce conſtitui te ſuper gentes, & regna, videlicet eius Vicarius, cuius eſt

Terra, & plenitudo eius, & ſucceſſor illius, qui plenius cæteris ligandi, & ſoluendi ſortitus eſt à Domino poteſtatem, non vnam tantum receperit Regionem, ſed vniuerſum potius ſæculum gubernandum. Noluit tamen Eccleſiaſticarum ſedium diſtributor, & ſpiritualium diſpenſator bonorum incerta ſede vagari, ſed Cathedræ ſuæ certum locum elegit, in quo ad ipſam recurrerent ſubditi, & vnde ipſe veritatis doctrinam, & formam Eccleſiaſticæ diſciplinæ alijs ſalubrius, & melius miniſtraret, &c.

Et inferius.

Vnde quamuis ex ſuſceptæ adminiſtrationis officio nobis immineat aliarum Eccleſiarum ſollicitudo continua, quia tamen Lateranenſi Eccleſiæ Sedi noſtræ ſumus ſpecialiùs debitores, &c.

Quæ cum ita ſint, conijcere optimè licet, quæ & quanta ſit Lateranenſis Baſilicæ dignitas, quam videlicet Gregorius Nonus ſpeciale membrum Apoſtolicæ Sedis, & Romani Pontificis propriam Sedem appellat. Clemens verò Quintus omnium Vrbis Patriarchalium Eccleſiarum Caput eſſe pronunciat. Denique ne prolixior in hoc argumento videar, tantummodo inſinuabo à Bonifacio, & Gregorio Nono, à Martino Quinto, ab Eugenio, & Siſto Quarto & Quinto, à Paulo Secundo, à Calliſto, & Paulo Tertio, & ab alijs Romanis Pontificibus Lateranenſem Baſilicam ſpeculam Matrem, Caput, Magiſtram Eccleſiarum omnium, & Pontificalem Sedem appellari.

Præter ea, quæ hactenus à me ſunt in medium allata de huius Baſilicæ dignitate, illud etiam addi poteſt, Altare ligneum, (quo Sanctum Petrum vſum perhibent, & in quo ſucceſſores eius Romani Pontifices, dum in Cryptis, & Cœmeterijs metu perſequutionum latitarent, ſacrificabant) ideo à S. Silueſtro in Baſilica Lateranenſi fuiſſe collocatum, quod ei primatus vniuerſalis Eccleſiæ deberetur; Capita etiam Principum Apoſtolorum ſunt conſtituta in Lateranenſi Baſilica tanquam in Aede, quæ eſt omnium aliarum Caput, & Princeps. Quid illud, quod Innocentius Tertius in ſomnis collabentem Lateranenſis Baſilicæ molem viderat Sancti Franciſci humeris ſuſtentari, id quod etiam præſtari à Sancto Dominico vidiſſe fertur, quid inquam eſt, niſi quia hæc Baſilica Apoſtolicæ Sedis Imaginem præfert. Prudentius Chriſtianus Poeta ad Symmachum Vrbis Præfectum, memorans Plebem Romanam, quæ Chriſto nomen dederat, ſacro Chriſmate delibutam hæc habet.

Cce-

Coetibus aut magnis Lateranas currit ad Aedes,
Vnde ſacrum referat regali Chriſmate ſignum.

At quid oportet in his immorari diutiùs, cum in hoc templo exerceantur omnia, quæ ſpectant ad Epiſcopalem, ſeù Pontificalem Sedem, cuiuſmodi ſunt confectio, ſeù præparatio olei ſacri, ac eius diſtributio, cum Pontificis Vicarius hìc reſideat, cùm hìc fiant conſuetæ Ordinationes, cum hìc generalia Concilia celebrentur, quotieſcunque illa cogi in Vrbe Roma contigit. Immò ex diſpoſitione Iuris communis liquet hanc eſſe Beati Petri Sedem, quod affirmant Doctores omnes, atque ideò Romani Pontifices, vt poſſeſſionem ſui Epiſcopatus adeant, clauesquè ijs tradantur, accedunt ad Baſilicam Lateranenſem, vbi ab Archipresbytero Cardinali, & à Capitulo eiuſdem Eccleſiæ claues ipſis exhibentur. Neque leuis aſſertio illa S. Bernardi in ſermone de priuilegijs Sancti Ioannis Baptiſtæ.

Decimus honor eſt aſſertio Matris Eccleſiæ. Hæc enim Mater, & Magiſtra omnium Eccleſiarum Eccleſia Romana, cui dictum eſt: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. In honorem Sancti Ioannis Baptiſtæ poſt Saluatoris nomen conſecrata eſt, & ſignata. Dignum namque erat, vt ſententiam ſponſi ſponſæ ſequeretur auctoritas, & ſingularem amicum eius illuc proueheret, vbi principatum ipſa conſcendit. Electio procul dubio ſingularis eſt in illa ipſa Vrbe Ioannem vindicare primatum Eccleſiæ, quam cœli duo luminaria morte clariſſima conſecrarunt.

In antiquo libro Rituali Cencij Camerarij, cuius hoc eſt initium.

Incipit liber Cenſuum Romanæ Eccleſiæ à Cencio Camerario compoſitus ſecundum antiquorum Patrum regiſtra, & memorialia diuerſa, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo Pontificatus Cæleſtini Tertij Anno ſecundo.

Circa medium ita ſcribitur.

Romanus Ordo de conſuetudinibus, & obſeruantijs, Presbyterio videlicet Scholarum, & alijs Romanæ Eccleſiæ in præcipuis ſolemnitatibus.

Qualiter Dominus Papa pergit in Letania maiori in feſto Sancti Marci.

In feſto Sancti Marci in Letania maiori ſcilicet Dominus Papa deſcendit cum Epiſcopis, & Cardinalibus vniuerſis, & alijs Ordinibus

nibus ad Eccleſiam Lateranenſem, vbi veniens poſt Altare, & cantata Tertia, induunt ſe omnes planetis, & excalceati ordinantur in proceſſione ab Archidiacono Baſilicæ, Prior ſcilicet Subdiaconorum, & habentibus in manibus faculas, vt ſuperiùs in alijs proceſſionibus eſt narratum, Primicerio præſente cum ſua Schola, & ſuum officium exercente ſicut conuenit in Collecta, ſicquè proceſſionaliter Eccleſiam exeunti Cruce Sancti Laurentij foris murum præcedente, & deinde Cruce S. Mariæ Maioris, quæ de conſuetudine diei talis ad Eccleſiam Lateranenſem debet afferri. Tertia fertur Crux eiuſdem Eccleſiæ Lateranenſis, poſt has verò Crux quotidiana Domini noſtri Papæ, ſic autem feruntur ordinatè vſque ad Sanctum Marcum: Cum autem Dominus Papa venerit cum proceſſione ad Eccleſiam Sancti Clementis ibi quieſcit in lecto ſuperpoſito tapeto, & herbis circumquaque poſitis, quæ tamen fiunt à Clericis eiuſdem Eccleſiæ Sancti Clementis. Poſtquàm verò quieuerit, ſurgens vadit, prædicto modo quieſcit, vnus de Schola Crucis cantat Letaniam, cantata autem Letania ſurgens pergit modo præfato vſque ad Eccleſiam Sancti Marci, vbi ſicut ſuperiùs ſcriptum eſt, requieſcit, & poſtquam pauſauerit, ſurgit; & memorato modo incedit vſque ad locum, qui Parion nuncupatur, Cruce Sancti Petri, quæ de conſuetudine ipſa die apud S. Marcum debet afferri poſt Crucem Sancti Laurentij, & ante Crucem Sanctæ Mariæ Maioris in ordine præcedente, ibi autem præfato modo Dominus Papa requieſcit, & poſt quietem incedit, ſicut præmiſſum eſt vſque ad Pontem Sancti Petri, vbi modo prælibato quieſcit, & ab illo loco ſurgens prætaxato modo incedit vſque ad locum, qui dicitur Cortina, & quieſcit, lecto ſibi à Schola Vngarorum prædicto modo aptato, ſurgensquè accedit ad gradus Eccleſiæ Sancti Petri, & ſuper gradibus vergens faciem ad Orientem, primitus intrat Eccleſiam Primicerius cum Schola Cantorum, Te Deum laudamus canente, factaquè oratione poſt Te Deum laudamus, ſuper Rota in introitu quaſi Eccleſiæ pergit ad Secretarium, & ablutis pedibus ibi indutus, ſicut moris eſt, & alibi ſcriptum, ad Altare pro Miſſa cantanda accedit. Notandum ſi quid, &c.

Franciſcus Petrarcha de Lateranenſi Eccleſia, quæ incendio conflagrauerat, hæc ad Vrbanum Quintum ſcribit.

Lateranum humi iacet, & Eccleſiarum mater omnium tecto carens ventis patet, ac pluuijs, &c.

Scriptor geſtorum Gregorij Vndecimi, eiusque itinerarij hæc habet.

Feria

Feria ſequens tertia (hoc eſt Octauæ Pentecoſtis) ad ſuam accedit Eccleſiam Lateranenſem : Gemma frequens omnium Præſulum nobis dans normam rectam Præſularem, Lucerna ardens ſuper candelabrum ibidem Miſſam celebrat ſingularem, Sancta mens Sancta Sanctorum intrat, poſt Sacrificij ſanctam libationem ſurgit ab accubitu ſuo ſummus Sacerdos Altiſſimi Gregorius completa oratione, exiuit Palatium Lateranenſe cum ſua nobili Comitiua incepta proceſſione, occurrit ei innumerabilis populus vtriuſquè ſexus cum iubilatione;

Et inferiùs.

Pulſus deuotis precibus ſuorum Canonicorum Sancti Ioannis Lateranenſis Eccleſiæ deuotus Paſtor gregem ſuum reuiſat in ſolemnitate Sacratiſſimæ Euchariſtiæ, ornatus ſacris veſtibus ſolemnia peragit ſuper menſa Chriſti Cœnæ. Tantus Populus Romanus adfuit, quod ambitus loci nequiuit capere. Reſeruata Euchariſtia, repoſitaquè per ſuas manus ſacratiſſima cuſtodia, largita benedictione ſolemni, atque promulgata ſeptennali annorum ſacra indulgentia, oſtenſa Apoſtolorum capita plaudendo manibus turba repatriat cum lætitia.

Scriptor quoque geſtorum Bonifatii Octaui Vates Pegaſeus Vincentinus nuncupatus in ſua manuſcripta hiſtoria de indignatione Bonifacii Papæ contra Francorum Regem Philippum hiſtoria, Pontificem ab hoſtibus in cuſtodia detentum his verbis concionem habuiſſe narrat.

Si fama vos docuit Cleri Principem Lateranum, et eius Sedem viſere deſtinaſſe, non fictè, non falsè locutum ſcitote; nam illuc profectò adire volumus auidi veſtræ ſalutis curam gerere, quod ſi Sedes nobis hæc prima cenſetur, non tamen ideo tollit quin, et alio poſſimus interdum cum libet accedere, nam libera nobis eſt poteſtas, etc.

Sed prætermiſſis Scriptorum aliorum ſuffragijs, atque ſententijs coronemus hoc caput de præſtantia Baſilicæ Lateranenſis, eiusquè Capituli, eo potiſſimum, quod Auguſtinus Patritius tradit in libro Rituum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, nempè Imperatores, cum ad Vrbem venirent ſuſcepturi Diadema Imperii, conſueuiſſe poſt peractam coronationem in numerum ſe Canonicorum Lateranenſis Eccleſiæ cooptandos curare. Hinc de Friderico tertio ei collegio adſcripto, deque ritibus eius celebritatis multa in rituali libro illorum temporum ſcribuntur, idem quoque auorum noſtrorum memoria de Carolo Quinto Magno illo Sereniſſimæ Auſtriacæ familiæ lumine memoriæ proditum eſt quem-

admodum teſtatur auctor Hiſtoriæ Coronationis eius Imperatoris Bononiæ peractæ, apud quem ſic habetur.

Cumquè iam deſiliſſet equo ad fores Templi (ſcilicet Sancti Dominici) aderant ibi ex Vrbe Roma in albis ſuis Canonici Diui Ioannis ad Lateranum, qui Imperatorem, qua decuit reuerentia, excipientes inſtitutis ad id cæremoniјs in Canonicum Lateranenſem adſciuerunt.

Quinam aut reſtituerint Lateranenſem Baſilicam, aut aliquid in ea ædificauerint.

CAP. V.

POST Conſtantinum primus Sanctus Leo Senior in Baſilica Conſtantiniana, vti habetur ex Anaſtaſio Bibliothecario, Cameram fecit, quam Onuphrius Panuinius exiſtimat eſſe Porticum eam rotundam, quæ extat, hodiequè poſt apſidem Canonicorum. Cæterum à Leonis Primi Pontificatu vſque ad tempora Hadriani Primi nihil ego apud ſcriptores reperi de Lateranenſis Eccleſiæ ſtructuris, dequè ruina eius, aut reparatione; ipſe autem Hadrianus, vt idem Anaſtaſius auctor eſt, penè collapſam vna cum porticibus, ac fontibus reſtituit, trabesquè maiores ad quindecim veteribus amotis nouas repoſuit. Eius autem ſucceſſor Leo Tertius (eodem Anaſtaſio auctore) Cameram miræ magnitudinis extruxit; ab Hadriano verò, & Leone vſque ad Sergium ſecundum (qui vti ab eodem Anaſtaſio habemus, in ſui Pontificatus primordiis mirificè incenſus erga Lateranenſem Baſilicam, ambitum ſacri altaris, qui perangustus olim fuerat, propriis manibus laxiorem deſignauit, ſummoquè perfectum artificio decorauit columnis elegantiſſimis, cælatoque circum vndique marmore, quo plebs ſacris operata muneribus libentiùs ibi multò, & commodiùs verſaretur) neminem reperio, qui mentionem vllam de ædificatione ad hanc Eccleſiam pertinente faciat, facilè autem adducor, vt credam, Pontificem

eum-

eumdem partem illam Baſilicæ, quæ à Choro Canonicorum ad Sacrum altare pertingit, & quæ Crux tranſuerſa nominatur, ampliorem effeciſſe atque ideo ipſum altare ab eo pariter ornatum fuiſſe, quod perinde Anaſtaſius teſtatur, & ſi veriſimile eſt tanto annorum interuallo religioſam ſummorum Pontificum ſedulitatem, qui Sergium, & Hadrianum ſequuti ſunt, nec incolumitati, nec elegantiæ loci tàm venerabilis defuiſſe, conſtet licet vſq; ad Stephani Septimi ætatem integrum huius templi ædificium permanſiſſe. Stephano poſtea ſedente hoc eſt anno ſalutis octingēteſimo nonageſimo ſexto, terra concuſſa ingenti motu dicitur, & Baſilica hæc ab altari ad Porticum vſque, & periſtilium corruiſſe. Id verò in ea ipſa tempora incidit, quibus Eccleſia Romana cum totius Chriſtiani Orbis incommodo graui, & pernicioſo ſchiſmate laborauit; nam paulò ante inter Formoſum Epiſcopum Portuenſem, eiusque ſucceſſores Bonifacium Sextum, Stephanum Septimum, Romanum, Theodorum Secundum, Ioannem Nonum, Benedictum Quartum, Leonem Quintum, & Chriſtophorum ex vna parte, Sergium verò Tertium ex altera magnis cœperat animorum contentionibus vniuerſa Eccleſia diſſidere. Quò factum eſt, vt integro ſeptennio, quod ea clade amplexa eſt, neque animus ædificandi, nec otium vlli ex eius temporis Pontificibus fuerit, omnisquè interim cura eo conuerſa ſit, ne vaſa, neuè ſupellex, reliquusquè veterum tum Pontificum, tum Imperatorum liberalitate congeſtus theſaurus in periculo diutiùs verſaretur. Aſportata itaquè omnia ab Eccleſia tantiſper, dum repararetur, fuere, nec interim aut ſacrificiis, aut precationibus, aut vllo fidelium cultu honeſtata, iure cum Propheta de ſua viduitate, & ſolitudine conqueri poterat gentium Domina. Pulſo demum, & detruſo in carcerem inuaſore Apoſtolicæ Sedis Chriſtophoro, cum Sergius tertius Benedicti filius ea potiretur, eſſentquè in tranquillo omnia, Baſilicam Lateranenſem à ruderibus repurgauit, iactisquè nouis fundamentis, eam de integro extruxit, atque adeo picturis egregiis, & opere muſiuo in priſtinum nitorem reuocauit, ſed & cuncta ferè aurea, argentea, æneaquè eius ornamenta, quæ aut furto ſubtracta, aut vendita fuerant, recuperauit, ac reddidit, vt infra dicemus. Monumentum huius reparationis, quæ à Sergio tertio anno primo eius Pontificatus facta eſt, extat in carminibus opere muſiuo conſcriptis intra apſidem, ſeù frontem eiuſdem Eccleſiæ, quæ hìc ſubiicio.

Auguſtus Cæſar totum cum duceret Orbem
Condidit hanc Aulam Silueſtri chriſmate ſacram,
Iamque ſalutifera lepra mundatus ab vnda
Eccleſiæ hic Sedem conſtruxit primus in orbem
Saluatori Deo, qui cuncta ſalubriter egit,
Cuſtodemque loci pandit te Sancte Ioannes.
Inclinata ruit ſenio voluentibus annis
Spes dum nulla foret veſtigia priſca recondi
Sergius ad culmen perduxit Tertius ima,
Ceſpite ornauit ingens hæc mœnia Papa.

Supra fores in parte Eccleſiæ interiore, item ex opere muſiuo hæc carmina legebantur.

Sergius ipſe pius Papa hanc qui cœpit ab imis
Tertius expleuit iſtam, quam conſpicis, aulam.

Suo deinde in Pontificatu eam reſtaurauit Ioannes Duodecimus, vt inferius apparebit. Innocentius verò ſecundus tectum eius renouauit trabibus à Rogerio Siciliæ Rege rogatu eiuſdem Pontificis è Calabria dono tranſmiſſis, atque inſuper Turrim Campanarum reſtituit, quæ ruinæ proxima videbatur. Ad hæc Anaſtaſius Quartus Baſilicam hanc nouis ædificiis auxit, ornauitquè. Hadrianus verò Quartus aggreſſus eſt eius inſtaurationem, quam exegit, atque abſoluit Nicolaus Tertius, atque inſuper nouis ornamentis decorauit. Poſtremò Nicolaus Quartus, qui ante Pontificatum Sacræ Diui Franciſci familiæ nomen dederat, anteriorem, & poſteriorem partem Baſilicæ denuò conſtruxit, & apſidem vermiculato opere ornauit, pictis in ea Beatæ Virginis Deiparæ, & aliquot Apoſtolorum Imaginibus, quæ extat hodie cum hoc adſcripto elogio.

Partem poſteriorem, & anteriorem ruinoſas huius Sancti Templi à fundamentis reædificari fecit, & ornari opere muſiuo Nicolaus Quartus filius Sancti Franciſci, & Sacrum vultum Saluatoris integrum reponi fecit in loco, vbi primùm miraculosè Populo Romano apparuit, quando fuit ipſa Eccleſia conſecrata. Anno Domini MCCXCI.

In eadem apſide, & parte eius interiore ad cornu Euangelii hoc verſibus opere muſiuo exaratis ità explicatur.

Ter-

Tertius Eccleſiæ Pater Innocentius hora,
Qua ſeſe dederat ſomno nutare ruinæ
Hanc videt Eccleſiam, mox vir pannoſus, & aſper,
Deſpectusquè humerum ſupponens ſuſtinet illam.
At Pater euigilans Franciſcum proſpicit, atque
Verè eſt hic, inquit, quem vidimus, iſte ruentem,
Eccleſiamquè, fidemquè feret, ſic ille petitis
Cunctis conceſſis liber, lætusquè receſſit.
Franciſci proles primus de ſorte minorum
Hieronymus Quarti Nicolai nomine ſurgens,
Romanus Præſul partes circumſpicit huius
Eccleſiæ certa iam dependere ruina
Ante, retroquè leuat, deſtructa reformat, & ornat,
Et fundamentis partem componit ab imis.
Poſtremò quæ prima Dei veneranda refulſit
Viſibus humanis facies hæc integra ſiſtens
Quo fuerat, ſteteratque ſitu relocatur eodem
Præſentiquè ſtatu Deus hæc amplectere vota,
Quæ tibi perſoluit domus huius ornando decorem
Serua mirifica cælo, terraquè beatum
Effice; nec manibus tradas hunc hoſtis iniqui
Ingrediens populus deuotus munera ſumat,
Quæ bonus hic Paſtor dedit indulgendo benignè
Et larga pietate Pater peccata remittens.

Anno ab Incarnat. Domini Noſtri Ieſu Chriſti MCCXCI. Pontificatus eiuſdem D. Nicolai Papæ Anno Tertio.

Deinde Bonifacius Octauus, qui triennio poſt, Nicolao Quarto ſucceſſit multa in Lateranenſi Baſilica renouauit, idque antiqua marmorea inſcriptio ſic referebat.

Qui fœtidam dedit eſca lepram, viuiquè peroſam,
Et maculata fides multa cum fece lutoſam,
Conſtantinus ait pueros pietate trucidam,
Impia lex pietate datur mihi ſubdere terram,
Stant Petrus, & Paulus, Silueſtri ſuſcipe normam,
Erectam fidem ſanctiſſima fonte renatam,
Ac per tranſuerſos montes, collesquè fugatam

Libe-

Liberat ille Cœlis ,tenet Vrbis Papa coronam .
Inde Prior generoſa Mater Baſilica præſens
Facta fuit ſtabilis, quamuis lacerata per hoſtes.
Tandem conualuit, ruſticam relinquendo cateruam ;
Papa Bonifacius veniens Octauus in eam,
Auxit, poſuit de multis nobile germen,
Qui noua progenies ipſo fauente ſubacti,
Sic fugiant vitium, quod non ſciant cauere vetuſti,
Hi ſunt ſcriptarum Cuſtodes Reliquiarum,
Sic ſunt Miſſarum factarum à Deo rerum.

Quo autem tempore reſidebat in Gallijs Clemens Quintus menſe Iunio pridie feſti Sancti Ioannis ante Portam Latinam, dum Canonici ante primas tenebras in Choro veſpertinis horis operam darent, dicerentquè Canticum, Magnificat, factum eſt negligentia opificum, qui in tecto Baſilicæ Lateranenſis laminas eius plumbeas reſarciebant, vt inuerſa ignis olla trabes tecti accenderet, & flante auſtro excitaretur incendium, quo non tectum Eccleſiæ modo, ſed finitimæ Canonicorum ædes, item porticus, qua ibatur ad Palatium, & Palatium ipſum magna ex parte hauriretur; immunis tamen ab ëa clade ſuperfuit ædicula Sancti Laurentij, quæ Sancta Sanctorum appellatur, & in qua præter alias ſacras Reliquias Capita SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli condita tunc erant.

Cæterum magna Theſauri, ornamentorumquè auri, & argenti copia, ſicut, & veſtium, ac ſuppellectilis illis flammis abſumpta eſt, quapropter anno proximè conſequuto Clemens Quintus idoneos homines grandi cum pecunia miſit in Vrbem, qui ei incommodo primo quoque tempore mederentur; quoque opus maturius, & minore cum diſpendio perfici poſſet, vberrimis Indulgentiarum propoſitis præmiis ad reparandum caput aliarum Vrbis Patriarchalium (ſic enim eam appellat diploma Pontificium) tum Romani Populi, tum cæterorum Chriſti fidelium liberalitatem inuitauit. Extat etiam eiuſdem Pontificis ad Federicum Siciliæ Regem Epiſtola, vbi ſtudioſè nititur Principis illius pietatem ad ſuppeditandas trabes ædificio neceſſarias excitare, eleganti ſanè, & in hac Eccleſia perhonorifica oratione, habet enim inter cætera.

Quodquè tu eidem Eccleſiæ Matri tuæ tamquam deuotionis, &

gra-

gratiæ filius lugubri ab intimis affectione compateris, quodque tamquam membrum præcipuum ſuo capiti ſibi promiſcua compaſſione turbaris, &c.

Atque hac induſtria, ijsquè præſidiis tum Lateranenſis Baſilicæ, tum ædes Canonicorum, Porticusquè, & Palatia ſunt reſtituta in ampliorem, & elegantiorem formam, atque adeò Altaria, ſepulchra, Chorus, Pulpita, & alia id genus ornamenta, vel mutata in melius, vel omnino ſublata ſunt, quod inferiùs dicam, vbi de Altaribus agetur. Iterum Innocentio Sexto Pontifice eadem Lateranenſis Baſilica incendium paſſa eſt, igne relicto intra Sacrarium, ingensquè inde totius ædificii eſt conſequuta ruina, cui reparandæ quid eſt, quod Innocentius Pontifex nullam inſumpſerit operam, incertum eſt. Extat elegans ea de re Franciſci Petrarchæ ad Vrbanum Quintum in quadam Epiſtola querela ſuperiùs allata *Lateranum* (inquit) *humi iacet, & Eccleſiarum Mater omnium tecto carens ventis patet, & pluuijs.*

Reparationem aggreſſus eſt idem Pontifex Vrbanus, & cùm diù quæſiuiſſet Apoſtolorum Capita, tandem in Sacello Sancti Laurentij ad Sancta Sanctorum in vaſculis argenteis admodum anguſtis, inuenit, quamobrem in marmoreo haud paulò elegantiori conditorio, quod adhuc extat, ab eodem Pontifice collocata ſunt.

Gregorius Vndecimus, qui antequam Pontifex crearetur huius Baſilicæ Archipresbyter fuerat, portam eius, quæ eſt verſus Septentrionem extruxit elegantiſſimis marmoribus, poſtquam ex Gallia in Vrbem Curiam Pontificiam reduxerat. Martinus Quintus, qui eiuſdem Baſilicæ fuerat Canonicus, pauimentum eius conſtrauit, ornauitquè opere vermiculato, cuius adhuc veſtigia extant, teſtudinemquè ligneam ſuper induxit, ac muros picturis pulcherrimis decorauit expreſſis manu aut Gentilis Pictoris, aut Petri Piſani, variant enim Scriptorum de illarum auctore ſententiæ, ſed morte impeditus inſtitutum opus abſoluere nequiuit. Eugenius Quartus columnas ferè omnes primæ contignationis, ſeù maioris Zophori incendio deprauatas, & ruinoſas opere lateritio conueſtiuit, atque intercolumniis arcus adiecit, quod opus maximè ad ipſius Baſilicæ ornamentum pariter, & commoditatem conferebat. Sixtus Quartus Turrim Campanarum vetuſtate collabentem reſtituit, & Baſilica vniuerſa repurgata etiam eius latera ædificauit. Innocentius Octauus arcum ante Aram maxi-

mam

mam ſuppoſitis duabus inſignibus columnis laxiorem aperuit; quamuis alii, hoc tribuant Alexandro Sexto, qui tectum ſuper eamdem Principem Aram conſtruxit, idquè ex Pontificiis inſignibus auctores aliqui coniiciunt. Leo Decimus pleraquè rubigine, ac ſitu obſcurata, & ruinæ vicina nouis ædificiis rurſus in veterem ſplendorem compoſuit. Pius Quartus illam Templi, quæ ad Septemtrionem eſt ſita, partem vt indicant eius inſignia, renouauit. Pius Quintus Nauis mediæ laxioris laquearia fabrefecit, & inaurauit. Gregorius Decimus tertius viam ad Lateranum patefecit, & Sacellum Sanctiſſimi Sacramenti reſtaurauit, quod ſacellum Clemens Octauus planè auguſtum reddidit adpoſitis quatuor æneis ingentibus columnis ſtriatis, inauratisquè, quæ dicuntur fuiſſe olim Hieroſolymis in Templo Salomonis; Cœnam Dominicam ex argento ſuper eius Aram collocauit precio duodecim millium aureorum; Tabernaculum verò extruxit elegantiſſimis lapidibus precioſis, & ſtatuas diſpoſuit manu artificis peritiſſimi elaboratas. Nauem tranſuerſam præterea, quam Crucem vocant, picturis laudatiſſimis Equitis Ioſephi Arpinatis, marmoreis incruſtationibus, auro illuſis laquearibus, organis, & pauimento exornauit.

Deniquè quæcunque ibi, cultu egregio, & magnis ſumptibus parata cernuntur, Clementis Octaui pietati, & magnificentiæ debentur.

Sixtus Quintus picturis ſacris illuſtrauit, Porticum ex qua Pontifices Romani Benedictionem Populo impertire ſolent, in eademquè aditum aperuit ad ſeptemtrionem adeuntibus Lateranenſem Baſilicam hac adiecta inſcriptione:

SIXTVS PAPA QVINTVS AD BENEDICTIONES EXTRVXIT. MDLXXXVI.

Atque hæc ſunt, quæ apud Scriptores reperio de varijs ſummorum Pontificum ſtructuris in Baſilica Lateranenſi. Nouiſſimè verò Innocentius Decimus Anno Iubilæi 1650. Lateranenſis Eccleſiæ reparationem abſoluit, & in nobiliorem formam redegit, vt inferius dicemus.

De

De Situ, & forma Lateranenſis Baſilicæ ante Innocentij Decimi reparationem, & primùm de eius Porticu.

CAP. VI.

BASILICA Lateranenſis à Conſtantino Magno ad Crucis formam conſtructa, & in quinque Naues diſtributa, quamuis ſæpè fuerit inſtaurata, & interdum etiam penè à fundamentis denuò reſtituta, numquam tamen ſitum, quem ſemel occupauerat, commutauit. Frons eius ad orientem ſolem conuerſa eſt, eiquè ſunt Porticus adiunctæ. Ante ſe habuit aream ruderibus plenam, antiquum Lateranenſe Patriarchium, & Hortos, qui olim Pontificum erant vſui deſtinati, ſed omnia hæc à Sixto Quinto æquata ſolo ſunt, & patet iam area magnæ laxitatis, quæ penè vſque ad Vrbis mœnia extenditur. Porticus ipſa ſex magnis columnis ſuſtentatur, ex quibus vna eſt ſtriata, læues aliæ; omnes ordinis Corinthii. A ſiniſtro latere eſt marmorea paraſtata, & propè illam feneſtra, vbi aditus nunc patet ad Palatium Apoſtolicum à Sixto Quinto ædificatum.

A dextro verò latere videtur extrema pars Oratorii S. Thomæ, quod tertiam partem frontis Baſilicæ occupat. Porticus periſtilium, & coronæ ſunt è Pario marmore. Zophorus eſt operis teſſellati, ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Imagines, ac Sancti Silueſtri res geſtas refert, quamuis hæc omnia iniuria temporis abolita pæne videantur. In periſtilii fronte ſunt inſcripti verſus, quos paulò altius etiam retuli, nempè.

Dogmate Papali datur, ac ſimul Imperiali;
Quod ſim cunctarum Mater, Caput Eccleſiarum;
Hinc Saluatoris cæleſtia Regna Datoris
Nomine ſanxerunt, cum cuncta peracta fuerunt
Sic ſumus ex toto conuerſi ſupplice voto
Noſtro, quod hæc ædes tibi Chriſte ſit inclyta Sedes.

Quos quidem verſus ipſo conſtructionis huius Eccleſiæ initio adpoſitos ſunt qui putent, (aduerſante autem admodum metri ratione nondum illis temporibus vſitata) poſteaquè à Nicolao Quarto repoſitos, quemadmodum repoſiti quoque fuere ab Eugenio Quarto, qui porticum eamdem, eius contignationem, item elogia iterum reparauit. Erat præterea Chriſti ſeruatoris Imago, erant picturæ aliæ ex opere muſiuo, & feneſtellæ orbiculares ab vtroquè latere.

In Porticu ipſa poſtæ inſunt ſex, tres tamen præcipuæ, & media maxima. Item viſebatur Porta alia clauſa, qua in porticum aditus erat ex Oratorio S. Thomæ, quod etiam ſecretarium Baſilicæ dicebatur; ibi verò ſupra Portam antiqua Imago B. Virginis erat depicta; ad latus dextrum cernebantur Icones ſanctiſſimi Crucifixi, & Virginis Deiparæ, ac Sancti Ioannis iuxta Crucem. Ad ſiniſtram effigies ſpectabatur cuiuſdam Pontificis in genua prouoluri cum picturis aliquot iam exoletis; ibiquè prope parietem, portamquè ſiniſtram minorem Baſilicæ, aliæ tres extabant Imagines, hoc eſt Virginis manu lucernam præferentis iuxta illud Euangelij. *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris*, duorumquè Martyrum, palmas in manibus habentium, & circumpoſitæ epigraphes Gotico charactere, ſed pænè obliteratæ.

Quinta ex ijs porta, quæ ſancta etiam vocatur, nunc lateritio aggere clauſa eſt, cum ſoleat vigeſimo quinto quoque anno, qui annus eſt Iubilæi, reſerari. Expreſſa cernuntur inſignia Alexandri Sexti, atque hæ ſunt appoſitæ inſcriptiones.

CLEMENTIS SEPTIMI PONTIFICIS MAXIMI

Auctoritate Alexander Farneſius Cardinalis Epiſcopus Hoſtienſis Archipresbyter huius Sacroſanctæ Baſilicæ hanc portam ob Iubilæum aperiri ſolitam ineunteanno 1525. de more aperuit, exactoquè clauſit.

Item-

Item.

IVLII TERTII PONTIFICIS MAXIMI

Auctoritate, portam hanc, diebus 62. Iubilæi anni 1550 interregno impediente elapſis, Ioannes Dominicus Cuppus Cardinalis Tranenſis Epiſcopus Oſtienſis huius Baſilicæ Archipresbyter more maiorum, inſtitutoquè aperuit, ac Iubilæo ad diem Epiphaniæ vſque 1551. prorogato exactoquè idem clauſit.

Item.

CLEMENTIS OCTAVI PONTIFICIS MAXIMI

Auctoritate Simeon de Ragone Cardinalis de Turranqua portam hanc Sanctam ab Aſcanio Cardinali Columna Archipresbytero huius Eccleſiæ apertam eius nomine clauſit anno Iubilei 1600.

Item.

VRBANI OCTAVI PONTIFICIS

Auctoritate Ioannes Baptiſta Cardinalis Lenius Sacroſanctæ huius Lateranenſis Baſilicæ Archipresbyter portam à ſe ineunte anno Iubilæi 1625. apertam, exeunte clauſit.

Poſtremo.

INNOCENTII DECIMI PONTIFICIS MAXIMI

Auctoritate Hieronymus Diaconus Cardinalis Columna Archipresbyter Portam hanc Sanctam reſerauit, & clauſit. Anno Iubilæi M. D. C. L.

Sexta eſt illa, per quam aditus panditur ad Palatium Apoſtolicum à Sixto Quinto extructum, & ſupra quam ex marmore ſunt inſignia eiuſdem Pontificis cum hac inſcriptione.

SIXTVS QVINTVS PONTIFEX MAXIMVS ANNO PRIMO.

Pauimentum ipſius Porticus lateritium eſt, aliquibus marmoreis tabulis interſtinctum, ibique ſpectantur inſignia Baſilicæ Lateranenſis.

Multa hìc inerant veſtigia veterum ſepulcrorum, atque inſignia Archipresbyterorum huius Baſilicæ, vt Petri Bellifortis, qui poſtea Gregorius Vndecimus, Perini Tomacelli, qui Bonifacius Nonus, Oddonis Columnæ, qui Martinus Quintus Pontifices Maximi fuere: Item Henrici Carbonij, Antonij Caietani, Alamanni Adimarij, Lucidi Comitis, Guillelmi Filaſterii, Alaphonſi Carilli, & Angelotti Fuſci Cardinalium, quorum adhuc ibi monumenta ſuperſunt, ibidem inter duas fores marmorea ſedes erat perantiqua ſigillata, quam ſtercorariam nonnulli vocant, in qua ex veteri libro cæremoniali habetur olim Romanum Pontificem recens creatum coram omnibus aſſidere ſolitum, fuiſſe & pecunias populo erogare, aliasque obire cæremonias de quibus infra dicemus. Portarum autem ſtipites veteres, & marmorei ſunt, valuæ autem ligneæ.

De quinque Nauibus Baſilicæ Lateranenſis.

CAPVT VII.

QVINAS hæc Baſilica Teſtudines habet, quas Naues vocant, mediam quidem maiorem, & ab vtroque latere binas minores. Media cum contignatione, & inauritis laquearijs Pij Quarti, & Pij Quinti munificentia fuit exornata. Ante hanc poſtremam Innocentij Decimi ædificationem parietes eius præalti triginta magnis columnis nitebantur, & quatuor paraſtatis frons, totidemquè pars in apſidem vergens ſuſtentabatur. Cæterum cum vel incendio, vel terræmotu diruti parietes interdum reſtituti fuerint vſque ad periſtilium, & quia eas columnas ignis haud ſemel corruperat attriueratque, ſupplere oportuit opere lateritio (quattuor exceptis) omnes. His parietibus Nauis mediæ laxioris inſitæ erant feneſtræ numero ſexdecim, architectura Gothica cum vitreis ſpecularibus, quarum binæ aperiebantur viciſſim, & claudebantur. Ad dexteram ſuper Arcus viſebantur affixæ muro inſcriptiones, & inſignia, præcipuè verſus apſidem, quorumdam Nobilium Aragonenſium, qui combuſti templi reparationem collata pecunia adiuuiſſe dicuntur. Alij tamen putant illa potius eſſe ſtemmata gentilitia virorum aliquot Nobilium, qui pro Romanæ Vrbis defenſione aduerſus Longobardos, Caroli Magni ſigna ſunt ſequuti. Porrò ſedente Pio Quînto inſcriptiones, & inſignia eadem ſunt renouata, id procurante Aloyſio Requeſenio Regis Catholici Oratore, & idiomate quidem Hiſpanico in hæc verba.

Renouaſe eſta memoria por mandado dell' Illuſtriſſimo Señor Don Luys de Requeſens Comendador Mayor de Caſtilla Embaxador de la Mageſtad Cattolica en el Mes de Agoſto 1564.

In eodem pariete ſupra columnas tres hæc item legebantur, ſed volgari Italico idiomate.

In nomine Domini; Amen. Anno Domini MCCCLXV. Menſe Iulij. Queſta Colonna fece fare Thomai de gl' Aſtalli per l'anima d'Aleſſo figlio ſuo.

In nomine Domini ; Anno Domini MCCCXLV. del Meſe d'Ottobre. Queſta Colonna fece fare Cola ſuo per l'anima di Diello Boccabella ſuo Padre.

In nomine Domini; Amen. del Meſe di Marzo MCCCLXIIII. Franceſco Gottordo di Milano fece fare queſte due colonne à riuerentia di Meſſer Santo Io. Battiſta, in merito dell' anima ſua, e di tutti li ſuoi morti, & in ripoſo.

Ad ſiniſtram parietis pars magna, quæ Apoſtolico Palatio adhæret cœperat ornari à Martino Papa Quinto picturis elegantibus Gentilis, ſeu Petri Piſani celeberrimi Pictoris, ſed ob mortem Pontificis opus imperfectum remanſit. In ſpatio alio inter columnas octo, Sancti Ioannis Baptiſtæ res geſtæ, Prophetæ nonnulli, Apoſtoli, Euangeliſtæ, & primarij Eccleſiæ Doctores lectiſſimis coloribus erant expreſſi. Frons ipſa Baſilicæ intus tota erat diſtincta picturis peruetuſtis, in quibus tamen elegantia deſiderabatur: hæ Chriſtum ſeruatorem referebant, eiusquè de humano genere vltimum iudicium, quæ tamen hoc poſtremo tempore confuſis, obliteratisquè ob vetuſtatem coloribus haud apparebant. Pauimentum emblematis ex vario marmore, & ex teſſerulis inſititijs, ſeu opere vermiculato conſtratum eſt ſumptibus Martini Quinti Pontificis. Superioribus ſæculis in huius Nauis medio iuxta ſitum, quem occupat iam eiuſdem Martini Papæ Quinti ſepulchrum, erant Pulpita marmorea duo, quæ Ambones vocant. Qua forma ſuperſunt, hodiequè in Baſilicis quibuſdam Romanis antiquis, & in Eccleſia præſertim Sancti Clementis, in iisquè tum Epiſtola, tum Euangelium recitabatur. Quod ſi Pontifex ipſe noluiſſet concionari, inde ad Populum dicere ſolebat coram eodem Pontifice aliquis ex numero, aut Epiſcoporum, aut Presbyterorum Cardinalium. Inter eadem duo pulpita erat Chorus Canonicorum cum Altari, in quo ipſi Sacrificium Miſſæ celebrabant; nam ſuper aram maximam ſolus Romanus Pontifex, aut Cardinales Epiſcopi eius permiſſu ſacra faciebant. Quæ omnia ſuſtulit Martinus Quintus, cum nouum pauimentum conſterneret. Ad porticus interiores, ſeu minores Naues, quas vocant, ſitas inter Baſilicæ parietes extremos, & Nauem mediam laxiorem erant ex vtraquè parte columnæ duplices, nequè ipſæ minores Naues erant altitudine æquali, ſed vltimæ proximis duabus depreſſiores, habebantquè hinc inde ſpeculas, ſeu feneſtras, & tectum è tignis, atquè imbricibus coctilibus, quemadmodum, & por-

porticus, quæ eſt ante frontem ipſius Baſilicæ, Pauimentum verò tum lateribus, tum tabulis lapideis ſtratum erat à Sixto Quarto Pontifice. Porticus, ſeu Naues minores, vt iam dixi, ex vtraque parte binæ medio hinc inde pariete conſtabant quadraginta columnis paruis è precioſiſſimo Lacedæmonio viridi Tiberiaco marmore, cum elegantiſſimis capitellis, erantquè hi parietes etiam olim depicti, ſed nouiſſimè iam omnis eorum elegantia defloruerat.

De Naui tranſuerſa Lateranenſis Baſilicæ, quam Crucem vocamus.

CAPVT VIII.

INTER teſtudinem mediam, eiusquè Porticus, & chalcidicæ, quam apſidem, vel Tribunam appellamus, magnum interiacet ſpatium, quod Crux Baſilicæ vocatur, & à reliqua Eccleſia venienti gradibus quatuor aditur. Huius Crucis tranſuerſæ tectum contignatione, atquè imbricibus extructum eſt ab Alexandro Sexto, ſed aurum, quo laquearia fulgent Clementis Octaui munificentiæ debetur. Pauimentum olim erat ex opere muſiuo, nunc marmore verſicolori, & lapide diuerſo conſtratum eſt, ac eiuſdem Clementis Pontificis inſignia præfert. Crux iſta, ſeu Nauis tranſuerſa à Nauibus alijs diſtinguitur, tum quia ſitu altior eſt, nam gradibus quatuor, vt dictum eſt aditur, tum quia quinque arcus magnos habet, quorum medius, & maximus è regione apſidis duabus ingentibus columnis ſuſtentatur cum inauratis baſibus, & epiſtiliis, & panditur vſque ad laquearia ipſa. Sub hoc arcu quatuor æneæ columnæ ſtriatæ vno tantùm periſtilio ordinis Corinthii erant ſitæ, de quibus infra dicam. minores quatuor arcus, duo ſcilicet ex vna parte, & totidem ex alia, ſex paraſtatis, tum ipſi, tum parietes ſuper-

ſuperimpoſiti vſque ad tectum fulciuntur. Ita etiam totidem arcus eodem modo ſunt diſpoſiti ex parte Chalcidicæ, ſeu apſidis, & quaternis columnis cum Capitellis ordinis Corinthij, totidemquè paraſtatis ſuffulti ſunt; patent verò ad arcus ſingulos octo ingentes feneſtræ opere tectorio inaurato exornatæ. Parietes verò vſque ad laquearia exquiſitiſſimis picturis hinc inde Conſtantini Imperatoris, & Diui Silueſtri res geſtas repræſentant opere Ioſephi Arpinatis & Ioannis Baptiſtæ Balionij. Paraſtatæ marmoreis nobiliſſimis incruſtationibus, & emblematibus Aldobrandinæ gentis interpoſitis ornamentis æneis deauratis admodum conſpicuæ ſunt. Ad meridiem teſtudinis tranſuerſæ huius Nauis, vbi nunc eſt ara ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, olim erat ingens podium, cuius proiectura totum penè illud ſpatium occupabat, & ſex columnis, aliquot paraſtatis, & parietibus à tribus lateribus ſuſtentabatur, in cuius fronte organum erat ſumptu Antonij de Clauibus Cardinalis Portugallenſis nuncupati fabrefactum. Hìc autem olim Odæum, ſiue Chorus Canonicorum Regularium fuit, quos Eugenius Quartus, vt infra dicam, Lateranenſi Baſilicæ reſtituerat, ſub quo erat paruum oſtiolum, vnde in Clauſtrum vetus Canonicorum, & in Monaſterium iter patebat. Verùm hæc omnia diruta ſunt à Clemente Octauo, quando nouis ſumptuoſis ornamentis, vt dixi, hanc Nauem illuſtrauit, & inſigne ſacellum hìc dicauit auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, de quo ſeorſim agemus. E regione huius altaris ad paraſtatæ, & reliquæ Nauis ſimilitudinem elegantiſſimæ tres portæ marmoribus variis enitent, quarum media, ampliorquè duabus magnis, & precioſis columnis fulcitur; ſuperſtat verò eiuſdem Clementis Octaui gentilitium ſtemma. Portæ aliæ duæ tùm Regis Dauidis, tum Regis Salomonis ſimulacris ornantur. Supernè demùm organa ad cantum pſalmodiæ pulcherrimè concinnata, & auro lita ſpectantur forma perampla eo loco liberalitate eiuſdem Clementis Pontificis conſtructa.

De

De Baſilicæ Lateranenſis Apſide.

CAPVT IX.

EA eſt Apſidis Lateranenſis veneratio, vt, priuſquàm aggrediar deſcribere illius ſpeciem, pauca perſtringere debeam de eiuſdem dignitate, ac veneratione, etenim gloria eius, vel inde peti poteſt, quod hæc Lateranenſis Eccleſiæ apſis ſit veluti Apoſtolicæ ſedis Thronus, cum in ea ſoleret Pontificum ſedes, atque eorumdem Cathedra collocari, ex qua veritatis oracula, Spiritu Sancto afflante ad Eccleſiæ diſciplinam, ac regimen frequenter pronunciarunt, cum ex ea ad populum ſacras conciones, & homilias eloquio prorſus cœleſti habuerint, atque adeò illuſtrem eam reddiderint ſacris ritibus plurimis, diuiniſquè myſterijs ſæpius peractis, quæ omnia peculiariter explicabimus libro proximè conſequenti. Iam vt deſcriptionem eius auſpicemur, conſurgit ad Hemicycli formam magna Calchidica quam Tribunam appellant, ibiquè hodie à Canonicis, & Clero ſacra myſteria peraguntur. Hæc pauimentum habet opere vermiculato elegantiſſimo diſtinctum, & antea marmoreis, æneiſquè cancellis à reliqua cruce diſcriminabatur. Hemicyclum eius vſquè ad Zophorum, vbi in tholi ſpeciem concameratur, conueſtit tectorium ex ſectis tabulis marmoreis, in cuius medio affixa parieti erat ſedes Romani Pontificis ſenis marmoreis gradibus elata, in quorum vno ſub ipſa Pontificia ſede viſuntur hæ quatuor animantes, Aſpis, Leo, Draco, & Baſiliſcus, alluditur verò, vt ego interpretor, ad ſacrum illud prophetæ oraculum: *Supèr aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.*

In quarto eiuſdem ſedis gradu erant exarati verſus illi, quos iam retuli. *Hæc eſt Papalis, &c.* qui cum exoleuiſſent ob vetuſtatem à Nicolao Quarto ipſimet Cathedræ adſcripti ſunt, quin etiam hic inſcriptiones aliæ, quas ideò non repeto, quia ſuperiùs illarum memini. Calchidicæ huius vniuerſa concameratio exorna-

ta eſt opere muſiuo, & primò in interuallis quatuor feneſtrarum Apoſtoli nouem. In apſidis verò curuitate ſub imagine Sancti Saluatoris, quæ olim Populo Romano apparuit, & quam Nicolaus Quartus integram ſeruauit in noua eiuſdem apſidis conſtructione, Crux eſt elegantiſſima, quæ referta gemmis videtur ad ſimilitudinem videlicet Crucis perantiquæ, quæ hìc olim extabat. Superne autem non abſque eleganti ſignificatione columba extat expanſis alis, ex cuius ore manant vberes aquæ, & ità ſtipitem Crucis irrigant, vt in ima eius parte fons redundet, ex quo flumina quatuor effluere videntur. Super eadem Cruce inſuper ante Nicolai Quarti reſtaurationem Ciuitas cernebatur, & in eius medio palma, cui Phœnix erat ſuperimpoſitus. In porta ciuitatis Angelus nudato enſe ſtabat, & ſupra muros eius Principes Apoſtolorum Petrus, & Paulus. Adiecti ſunt etiam cerui, atque ouiculæ nonnullæ, quæ ad flumen properant, vt de aquis eius hauriant, ac ſitim reſtinguant. Porrò ſignificationem horum myſteriorum illam eſſe interpretamur, quam Iacobus Boſius adfert non piè minus, quàm eruditè in opuſculo quod edidit de Cruce, vt ſcilicet in Columba Spiritus Sanctus exprimatur. Quatuor autem flumina terreſtris Paradiſi, ſignificent fluenta gratiæ, quæ è Spiritus Sancti fonte promanant, & mundi quatuor partes ſuis cœleſtibus donis, ac ſanctiſſimis Sacramentis perpetuò irrigant. Ciuitas autem Eccleſiam ſignificat; de qua ſcriptum eſt. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei*.

Palma, & Phœnix Chriſti figuram gerunt, qui Crucem aſcendens, & paſſionis amore mirum in modum æſtuans, dignatus eſt in ea pro nobis emori, atque inſtar Phœnicis victor à mortuis reſurrexit.

Angelus cuſtodiens portam Ciuitatis, ſanctum Archangelum Michaëlem, aliosquè Angelos indicat, qui ſunt Eccleſiæ tutelares iuxta petitionem illam. *Ciuitatem iſtam tu circumda Domini, & Angeli tui cuſtodiant muros eius*.

Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus ſunt ita expicti, quia ipſi ſunt Eccleſiæ præcipui Præſides, Patroni, ac Defenſores.

Cerui ſunt ſymbolum Ethnicorum, qui cum à vero vitæ fonte aberrarent, virtute Crucis aſpergendi erant aqua Baptiſmatis, atque ab Idololatriæ ſordibus expiandi, quamuis interpretentur alij apud Crucem Ceruos figurari ſolitos, quia dum ipſi in ſerpentum caueas os immittunt, halitu eos interimunt, & quia ipſi renouant

nouant iuuentutem ſuam, etenim perinde Chriſtus Dominus per Crucem, & obitum ſuum peccato intulit mortem, atq; illud penitùs deleuit, denuoque ad lucem redijt rediuiuus. Oues deſignant viros iuſtos, atque electos, qui poſtquam luſtrali aqua baptiſmatis mundi, & candidi euaſerunt, candorem illum retinent deinceps, ac ſe in operibus charitatis exercent. Alij tamen Cathecumenos exprimi putant, qui poſtquàm fuerunt baptiſmo initiati, albi efficiuntur puræ mentis integritate. Itaque priſci illi, & pij Chriſtiaui picturis hiſce, atque imaginibus plebi occaſionem dabant, vt in Eccleſia, ſicuti par eſt, diuina myſteria conſiderarent, ac meditarentur. Ab vtroque Crucis latere ſunt Icones ſacræ tum Deiparæ Virginis, tum Sancti Ioannis Præcurſoris Domini, atque etiam Principum Apoſtolorum, & Sancti Andreæ, & Sancti Ioannis Euangeliſtæ, quæ tamen ſunt minori forma expreſſæ, ſicuti minori forma expicti hinc inde aſpiciuntur Sanctus Franciſcus Aſſiſias, & S. Antonius Patauinus. Adſtat etiam Nicolaus Quartus Pontifex in genua prouolutus, cuius hoc opus iuſſu perfectum eſt. Poſt Tribunam eſt rotunda Porticus à Diuo Leone Primo, vt diximus conſtructa, ad quam Arcus duo hinc inde aditum aperiunt; olim picturis erat parum elegantibus ornata, nunc tantùm dealbata, quinque columnis in medio, biſſenisquè ex vtroquè latere paraſtatis fulcitur eius concameratio, ibiquè ſpectatur Mauſoleum porphyreticum opere vario excul-ptum, de quo infra dicemus.

Proxime ſunt ianuæ duæ, ex quarum vna ad Baptiſterium, ex altera ad Sacrarium iter eſt.

De Altaribus, & Reliquijs huius Baſilicæ Lateranenſis, & primò de Ara eius maxima.

CAPVT X.

AD Nauem tranſuerſam, ſeu ad Crucem, quam ſupra deſcripſimus Baſilicæ Lateranenſis, medio loco eſt Ara Maxima, quæ eſt Altare illud ligneum, quo Sanctus Petrus Apoſtolorum Princeps, alijquè deinceps Sanctiſſimi Pontifices; & Martyres vſi ſunt, & quod S. Silueſter iſtic in Baſilicæ conſecratione collocauit. In eo ſolus Romanus Pontifex ſacra myſteria celebrabat, & tantummodò permiſſum id videtur fuiſſe Epiſcopis Cardinalibus, qui huic Baſilicæ erant deſtinati, quando Pontificis iuſſu celebrabant. Cæterum illud admiratione dignum videtur, cum tot ruinis obnoxia fuerit, & tot incendijs conflagrauerit hæc Lateranenſis Baſilica, ſemper tamen illæſum, & intactum hoc altare diuino beneficio permanſiſſe. Ad eiuſdem Altaris ornatum ſub Arcu magno Nauis maioris quatuor erant miri operis columnæ æreæ ordinis Corinthij quarum æneis capitellis erant ſuperpoſitæ Imagines aliquot Sanctorum aureæ, argenteæquè, & lucernæ inſuper diſpoſitæ, quæ in potioribus anni celebritatibus non oleo quidem illæ, ſed balſamo infuſo ardebant fragrantes odore ſuauiſſimo. Quod balſamum populi orientales pendebant pro tributo Eccleſiæ Romanæ (hoc ſcilicet erat huius Baſilicæ nomen) eam tamen penſionem Formoſus Pontifex in alia emolumenta, ſeu donaria commutauit. Has Columnas multi arbitrantur à Tito Veſpaſiano in Vrbem aduectas, quo tempore de ſubacta Iudæorum gente, euerſiſquè Hieroſolymis magnificentiſſimum triumphum duxit. Alij tradunt ab Auguſto ſuſas, atque formatas fuiſſe ex roſtris Nauium Reginæ Cleopatræ, poſtea verò à Domitiano collocatas in Templo Iouis Capitolini, vt monumentum ibi victoriæ populi Romani perpetuò extarent; nec deſunt, qui putent ad eas illud Virgilii in Georgicis ſpectare.

Na-

Nauali ſurgentes ære columnas ;

Plerique in antiquo Nemeſis templo, quod erat ex ære conſtructum olim poſitas exiſtimant, cuius Templi fores item ex ære iam in Templo Pantheon, & in Laterano ſupra Chorum Canonicorum ſpectabantur. Alii demùm in ea ſententia ſunt, vt Athenis ex Templo Iouis à Sylla Romam inuectas credant. Cæterùm in tanta opinionum varietate illud compertum videtur, antiquiſſimas eas eſſe, & in hanc Baſilicam à Conſtantino Magno primùm illatas, ſicut & marmora operis excellentioris ex antiquis Vrbis ædificiis abſtracta, quò illuſtrior ſtructura huius Baſilicæ fieret. Neque omittendum hìc eſt, quod plerique memoriæ prodidere ex veterum patrum traditione acceptum, Columnas haſce opera ſanctæ Helenæ Hieroſolymis deportatas, terraquè à Monte Caluario, cæterisquè locis Chriſtianæ religionis origine inſignibus repletas, atque hæ ipſæ Columnæ illæ ſunt, quæ in Altari diuiniſſimi Sacramenti, vt inferiùs dicemus à Clemente Octauo Pontifice ſunt collocatæ.

Ara hæc maxima nunc eſt marmoreis Cancellis circumſepta, iisquè ſunt affixa inſignia Vrbani Quinti Pontificis, Petri Belliforttis Cardinalis Archipresbyteri huius Eccleſiæ, qui fuit poſtea Pontifex Gregorius Vndecimus, ac Regis Francorum.

Ciborium ex marmore quatuor Columnis cum epiſtiliis inauratis ordinis Corinthii ſuſtentatur, & ſuper imminet Altari Pyramidali ſpecie faſtigiatum, acrchitectura Gothica, & variis ſignis exſculptum, In tabernaculo autem cratibus ferreis inauratis occluſo, & munito aſſeruantur ſacratiſſima Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli capita, quæ olim ſub hac eadem ara à Sancto Silueſtro condita fuerant, vt ſcriptori cuidam placet: Quamquam cum de ſacello erit ſermo, cui vocabulum eſt Sancta Sanctorum, exponam olim ibi ab Vrbano Papa Quinto ea reperta fuiſſe, eaquè à Nicolao Tertio translata è Baſilica Conſtantiniana, donec Templum iſtud ipſius impenſa reſtitueretur (vt teſtatur Platina) qui cum loco ſatis digno ea minimè attineri iudicaſſet, marmoreum hoc tabernaculum extruxit, duasquè ſtatuas argenteas pectore tenus, alteram Diui Petri, alteram Diui Pauli ſingulas pondere mille ſeptuaginta marcarum argentearum iuſſit formari, & gemmis, atque vnionibus maximi precii exornauit; vt in iis eadem Apoſtolorum capita includerentur. Quinimo Carolus Quintus

tus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, vt pietati ſuæ obſequeretur, contulit ad eorum ornamentum donaria, & gemmas pretioſiſſimas, quæ iſtic plaudente Clero, & Populo Romano ipſemet Pontifex Vrbanus collocauit adſcriptis iis verſibus ante pectus quidem Diui Pauli.

Cedit Apoſtolicus Princeps tibi Paule, vocaris
Nam dextræ natus vas tuba clara Deo;

Ante pectus verò Diui Petri.

Erigat, vt propriam ſedem tua Petre redibit
Huc Vaticana Paſtor ab Arce Petre.

Et ad vtramque eorum baſem;

Dominus Vrbanus Papa Quintus fecit fieri hoc opus Anno Domini 1369. ad honorem capitis Beati Pauli.

Dein

Karolus Rex Francorum Quintus donauit præſens lilium ad honorem beati Pauli. quod eſt poſitum in pectore eius. Similis verò inſcriptio eſt in ſtatua Diui Petri nomine tantùm variato. Hæc Sanctorum Apoſtolorum capita iuſſit Pontifex diligentiſſimè cuſtodiri, vti deinceps etiam ſemper factum eſt, oſtenduntur verò populo frequentiſſimo, qui confluere ſolet ſtatis quibusdam anni diebus, vti feria tertia Maioris hebdomadæ, feria quinta in Cœna Domini, Sabatho ſancto, feria ſecunda Paſchatis, Dominica infra octauam Corporis Chriſti, Feſto die Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Sancti Ioauuis Baptiſtæ, & Sancti Ioannis Euangeliſtæ, Anniuerſario die Dedicationis ipſius Baſilicæ Lateranenſis, & quo etiam die poſſeſſionem eius de more Pontifices Romani adeunt. Sub hoc ſacroſancto altari plurimæ olim, eæquè inſignes admodùm reliquiæ ſeruabantur, eratquè ſeries earum deſcripta in Tabula ſatis magna ibidem affixa, credo ad ſimilitudinem illius, quæ nunc extat ad ſiniſtram Baſilicæ; peculiariter autem quænam eſſent illæ reliquiæ, ex his carminibus coniici poteſt.

Et

Et ſacra ſanctarum ſi nomina reliquiarum
Lector ſcire velis; docet hoc te charta fidelis
De Chriſti cuna, quæ virga refloruit vna,
Cælo manna datum Paranymphi manna beatum,
Menſa gerens cœnam, turbamquè cibans duodenam,
Vnda ſacèr ſanguis, quem fudit miſticus anguis,
His biſſenorum coniungitur arca virorum,
Arca tenens pactum ſeptem candelabra tactum,
Quæ ſilicem fregit, & aquas vndare coegit,
Vas auri puri præſtans incendia thuri,
Gauſape, quod ſacris aderat tingendo lauacris
Clauditur & ciſta chlamis inconſutilis iſta
Veſtis purpurea textrice manu phariſea,
Hæc latet in capſa de cœli culmine lapſa,
Cumquè tot his donis panes propoſitionis,
Et panis fragmenti, quæ turba manſit edenti
Sanguine Baptiſtæ pariter locus omnibus iſte
Eſt ſacer, & magni ſudaria continet agni,
Præconisquè dati pars corporis incinerati
Dequè pilis tunica precioſæ carnis amica,
A longis annis paranymphi ſacra Ioannis
Veſtis ſeruata iuuenum, triaquè reparata
Membra dedit vitæ, iacet inſuper abdita ritè
Eiuſdem plena ſignorum ſacra catena.

Ioannes Diaconus in libro, quem inſcribit de ſupremo ſanctuario Baſilicæ Lateranenſis, & quem exarauit, vt dixi, ante annos ferè quingentos Reliquias ſub hoc altari conditas ita enumerat.

Septem candelabra quæ fuerunt in priori Tabernaculo, & menſa, & propoſitio Panum, quæ dicitur Sancta, & aureum thuribulum, & arca teſtamenti, & Vrna plena habens Manna, & eſt Virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabula teſtamenti, & Virga Moyſi, qua percuſſit bis ſilicem, & fluxerunt aquæ. Item ſunt ibi Reliquiæ de Cunabulis Domini, de quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus, & menſa Domini. linteum, vnde exterſit pedes diſcipulorum ſuorum, Tunica inconſutilis, quam fecit Virgo Maria Domino noſtro Ieſu Chriſto, purpureum veſtimentum eiuſdem Saluatoris,

ris, & Redemptoris noſtri. De ſanguine, & aqua lateris Domini ampullæ duæ, ſudarium, quod fuit ſuper caput eius, quod eſt vnum de quinque linteaminibus, quibus ſanctiſſimum corpus eiuſdem Domini noſtri fuit inuolutum; eſt ibi de loco Aſcenſionis Chriſti in cœlum, de ſanguine Sancti Ioannis Baptiſtæ, de puluere, & cinere combuſti corporis eiuſdem Præcurſoris Domini, cilicium eius de pilis Camelorum, de manna ſepulchi Sancti Ioannis Euangeliſtæ ampulla plena, Tunica, vel veſtis Apoſtoli eiuſdem, qua ſuppoſita corporibus trium iuuenum, ſurrexerunt.

Præterea ſupereſt adhuc in apſidis hemicyclo ad cornu epiſtolæ Tabula ex opere muſiuo reſtituta tempore Nicolai Quarti Pontificis, in qua Reliquiæ omnes huius Lateranenſis Baſilicæ, quæ tunc erant notæ, recenſentur in ea ſic habetur.

HÆC BASILICA SALVATORIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, SANCTIQVE IOANNIS BAPTISTÆ, ATQVE BEATI IOANNIS EVANGELISTÆ HIS SACROSANCTIS, ET VENERABILIBVS SANCTVARIIS INSIGNITA CONSISTIT.

In primis hoc Altare ligneum, quod Sancti Dei Pontifices, & Martyres ab Apoſtolorum tempore habuerunt, in quo per cryptas, & diuerſa latibula Miſſas celebrabant perſecutionis rabie imminente. Super quo deſuper eſt menſa Domini, in qua Chriſtus cœnauit cum diſcipulis in die Cænæ. In hoc autem altari ſunt de ſanguine, & aqua de latere Chriſti ampullæ duæ. Item eſt ibi de Cuna Chriſti, tunica inconſutilis, & purpureum veſtimentum eius. Item ſunt ibi Sudarium, quod fuit ſuper caput eius, & linteum, vnde pedes diſcipulorum lauit. Item de quinque panibus ordeaceis. Item de cineribus, & ſanguine Sancti Iannis Babtiſtæ, & Cilicium eius de pilis Camelorum, de manna Sepulchri Sancti Ioannis Euangeliſtæ, & tunica eius, & etiam pars catenæ, cum qua ligatus venit ab Epheſo, forcipes, cum quibus tonſus fuit de mandato Cæſaris Domitiani. ſub iſto nempe altari eſt arca fœderis, in qua ſunt duæ tabulæ teſtamenti. Virga Moyſi & Virga Aaron. Eſt ibi candelabrum aureum, & thuribulum aureum thymiamate plenum. Vrna aurea plena manna, & de panibus propoſitionum. Hanc autem Arcam cum Candelabro, & ijs, quæ dicta ſunt cum quatuor præſentibus columnis Titus, & Veſpeſianus à Iudæis aſportari fecerunt de Hieroſolyma ad Vrbem, ſicut vſque hodie cernitur in triumphali

phali

phali fornice, qui eſt iuxta Eccleſiam Sanctæ Mariæ Nouæ ob victoriam, & perpetuum monumentum eorum à Senatu, Populoquè Romano poſitum.

Ex ijs tamen multas Summi Pontifices aliò tranſtulerunt, vti dicam inferiùs, immò ipſe Ioannes Diaconus refert ſub hoc altari in occulto loculamento donaria quædam fuiſſe cuſtodita his verbis.

Sed in his præcipua eſt vetuſtiſſima tabula lignea, in qua Imagines Apoſtolorum Petri, & Pauli ante mille, & trecentos annos pictæ ſunt. Sub ipſo etiam Altari memorantur eſſe Imago aurea Saluatoris. Item Imagines Beatiſſimæ Virginis, Sanctorum Ioannis Baptiſtæ, & Euangeliſtæ, Apoſtolorum Petri, & Pauli de . . . . auro vero, & argento circumligatæ, reliquiarum item omnium Apoſtolorum argenteæ, quas Conſtantinum Imperatorem eidem Baſilicæ donaſſe tradunt.

Aræ huic maximæ ſubeſt ſacellum (olim vocabant Oratorium) Sancti Ioannis Euangeliſtæ nuncupatum, in quod per gradus quoſdam ex media Naui laxiore deſcenditur, olim autem videtur fuiſſe ſpatio ampliori, cum dicatur ab eius altaris dextera pariter, & læua quatuor columnas operis admirandi & ordinis Corinthij fuiſſe conſtitutas, de quibus iam egimus. In hoc Sacello perantiquo, quod Clemens Octauus inaurauit, eſt altare parieti adiunctum vndique ornatum opere albario inaurato, varijſquè inſuper picturis; porrò in eodem Altari Sacrum Chriſma olim ſeruabatur, quod ad vſum Romanæ Vrbis, eiuſquè diſtrictus in hac Aede Lateranenſe tantùm quotannis ritè conficitur, & de eo meminit Diuus Gregorius in libro ſecundo Regiſtri Epiſtola tertia, indictione vndecima, eiusque inſuper mentio eſt apud Ioannem Seueranum in libro de ſeptem Vrbis Eccleſijs. Peculiariter recens huius Altaris conſecratio hoc monumento in marmore conſignatur.

EX AVCTORITATE S.D.N. CLEMENTIS PAPÆ OCTAVI PONTIFICIS MAXIMI

Die decima Septembris MDLXXXXIIII. Ludouicus de Torres Archiepiſcopus Montis Regalis Altare, vbi eſt confeſſio Sancti Ioannis Euangeliſtæ ſub Altari Papali conſecrauit, in eaquè multas Sanctorum Reliquias condidit.

De Altari Diuæ Mariæ Magdalenæ.

CAPVT XI.

IN media maiore naui olim extitiſſe diximus odeum quo canonici ad ſacra miniſteria peragenda vtebantur vna cum altari ſanctæ Mariæ Magdalenæ. ſub quo Honorius Tertius Pontifex, qui illud conſecrauit eiuſdem Diuæ Mariæ Magdalenæ corpus ſine capite tamen condidiſſe dicitur, quamuis Bonifacio Octauo id tribuere videatur tabula marmorea, quæ ante incendium Baſilicæ ibi cernebatur erat enim his litteris inſcripta.

In nomine Domini. Amen. Anno Domini 1297. Menſe . . . conſecratum fuit Altare Capituli ad honorem Dei, & Diuæ Mariæ Magdalenæ de mandato D. Bonifacij Papæ Octaui per D. Gerardum de Parma Epiſcopum Sabinenſem, in quo Altari recondidit corpus ipſius Sanctæ ſine capite, & brachio, & reliquias multorum aliorum Sanctorum.

Quod quidem altare amotum inde eſſe, & locum Martini Quinti tumulo, qui adhuc extat, feciſſe dicitur, translatumque ad dexterum nauis latus prope paraſtatam, vbi vſque ad proximam Innocentij Decimi ædificationem ſuperfuit, pictam eiuſdem Pontificis vicina SS. Apoſtolorum capita venerantis Imaginem, D. Magdalenæ imagini proximam præferens. Ad hanc autem paraſtatam ſepultus erat Gerardus Blancus Cardinalis Sabinus cum ſequenti elogio, quod nuper Innocentiana reſtauratione deletum eſt.

Hoc attendat homo prophanus, quid ſibi promo
Eſt humus, vnde ſumus, & tranſimus quaſi fumus,

Mar-

Martius intrabat, annos Domini numerabat
M. ſemel, & C. ter bis & I. cum fine beato
Parmenſis natus Sabinenſis Pontificatus
Cardineo migrauit homo Gerardus honoris
Miſſus ab Arce Syon ſanans animas rediјt de Hiſpanis
Francis, Apulis, de Siciliaquè
Mira viri virtus parendi . . . . ; qui ſe
Taliter expoſuit maribus, terris inimicus.
Huius morte nitens ſpeculum deperdit honeſtas
Pontificum vita. Cleri modus, & via veri
Virtutum grauitas, & mens, & practica iuris
Sermo breuis peſtem perdit prolixus, & hoſtem
O mors improuida, crudelis mors homicida
Febris & ò triſtis quem Gerardum rapuiſtis.
Iſte bonis bonus, & reprobis onus iſte colonus
Pars gaudentes hilarans, reparans
Pœnitentes quot dilatare loca Sanctorum reparare,
Quot proponebat, & quot bona mente gerebat,
Quot quia donauit, reparauit, & ædificauit.
Si quiſquam noſſet, profecto vincere poſſet,
Per fragiles pontes mundanos prætereuntes
Huius ab hac ara ſedis diſtantia para,
Pontificis ſcultam glebbam tenet, atque ſepultam,
Quot patet infletum præſens remorando tapetum
Actis exequijs, quæ Pontificem docuerunt
Delatum proprijs humeris in humo poſuerunt.
Huic Siciliæ Rex Regum duo nati turba militiæ
Comitum diuitum ſociati per te concreſcat
Lector deuotè precamur; Hic quod præſul Amen.
In iugi pace quieſcat
Quiſquis ad altare veniens hoc ſacrificare
Qui vel adorare Gerardi memorare
Ortu Parmenſis, & Pontificis Sabinenſis.

Altari ſuperpoſitum erat Tabernaculum admodum elegans; columnis octo ex inſigni marmore, quod granitum vocant, ſuſtentatum totumque lapillis inauratis teſſellatum, cum inſi-

gnibus ſamiliarum Columnenſium, Annibaldenſium, & Caſtarorum, & ferreis vndiquè Cancellis occludebatur. Tabernaculum idem marmoreum ligneo podio circumdabatur, ex quo ſolebant oſtendi Sanctorum Reliquiæ, quæ religioſiſſimè hic ſeruabantur, Reliquiæ autem complures, quæ antea ſub altari erant, iſthic iam attinebantur, & Populo confluenti ~~feria ſecundæ~~ Paſchatis quotannis videnda, & veneranda exhibebantur. Quiſnam Pontifex iſthuc eas tranſtulerit, haud ſatis ſcio, & fortaſſe fuit Martinus Quintus occaſione Templi reſtaurationis. Cæterum earumdem Reliquiarum cenſum in hæc verba refert appenſa Tabella ad huius aræ columnas.

De oſſibus, & velo Sanctæ Barbaræ Virginis, & Matyris. Caput Sancti Zachariæ patris Sancti Ioannis Baptiſtæ. Caput Sancti Pancratij Martyris, è quo tribus diebus, totidemquè noctibus ſanguis abundè manauit, dum hæc Sacroſancta Lateranenſis Eccleſia incendio conflagraret. Humerus Sancti Laurentij Martyris, Cilicium Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Calix, in quo S. Ioannes Euangeliſta Domitiani iuſſu venenum ebibit innocuum, quod Imperatoris Miniſtri cum deguſtaſſent repente mortui corruerunt. Tunica eiuſdem Sancti Ioannis, quæ ſuperimpoſita ijs, qui veneno perierant, ſubito reuixerunt. Pars catenæ, qua idem Sanctus Ioannes ligatus Epheſo Romam venit. Dens S. Petri Principis Apoſtolorum. Pars menti Sancti Ioannis Baptiſtæ. De cineribus, & ſanguine eiuſdem Sancti, & Cilicium eius de pelis Camelorum. De Capillis, & veſtimentis Dei Genitricis Mariæ. Prima interula quam Beatiſſima Virgo proprijs manibus vnigenito filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto confecit. De linteo, quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus diſcipulorum pedes lotos abſterſit. Purpureum veſtimentum, quo D. N. I. C. vt contemptui haberetur, indutus fuit in Prætorio Pilati, nonnullis adhuc guttis ſanguinis conſperſum. Spongiæ pars, quam vnus militum felle, & aceto imbutam Chriſto Domino noſtro deguſtandam obtulit. Velum, quod proprio detractum capiti Beatiſſima Virgo ad tegendam nuditatem vnigeniti filij ſui D. N. I. C. in cruce pendentis prætendi vix impetrauit ſanguinis guttis intinctum. Sudarium, quod fuit ſuper caput D. N. I. C. in ſepulcro iacentis nonnullis guttis ſanguinis

guinis conſperſum. Tabula plurimorum Sanctorum Chriſti Martyrum compacta cineribus, in cuius medio eſt fragmentum Crucis D. N. I. C. Sanguis, & aqua, quæ ex aperto D. N. I. C. in cruce pendentis latere profluxerunt.

De alijs Altaribus, quæ olim in hac Baſilica fuerunt, præter illa, quæ ante incendium numerauimus.

CAPVT XII.

OLIM, poſt Apſidem altare fuit Sanctorum Chryſanthi, & Dariæ, in quo erant condita eorum corpora, ſed quia quo tempore ſub Stephano Sexto Baſilica corruit, altare hoc dirutum, & prophanatum eſt, translata ea Corpora fuerunt ad Altare Sanctæ Mariæ, & Sancti Pancratii Martyris, quod erat ſitum in dextero ædis latere, vbi nunc extat Sacrarium. In eodem dextero latere haud longe à Paraſtata, vbi nunc eſt ſepulcrum Antonii Cardinalis Portugallenſis, iuxta Oratorium Sancti Thomæ fuit altare quadraginta Martyrum, à ſiniſtro autem latere in minore Naui verſus Septemtrionem, qua parte itur ab ara maxima ad Eccleſiæ portas prope portam, quam Sanctam appellamus, fuit Altare Beati Antonini, ſeù Salonini Martyris, & verſus aram maximam ab eodem latere non longe à Porta, qua erat aditus in Aulam Concilii, & ferè qua itur iam ad Palatium Apoſtolicum extructum à Xiſto Quinto, fuit altare Beatæ Mariæ quam Italico Idiomate vocabant del Riposo; neque deprehendi vlla prætereà altaria, de quibus mentio habeatur, etſi extitiſſe alia multa olim in Templo Lateranenſi non dubito, quæ partim vetuſtate abolita, partim incendiis abſumpta ſunt.

De

De Aris, quæ poſt incendium in hac Baſilica fuerunt, & de his, quæ in ea hodiequè ſuperſunt.

CAPVT XIII.

IN noua ædificatione ſub Clemente Quinto, & conſequentibus temporibus, præſertim ſub Martino Quinto, omnia ferè tum altaria, tum ornamenta huius Baſilicæ, vel immutata ſunt, vel omnino ſublata, & multa deinceps Chriſtianorum præſertim Romanorum pietate inducta ſunt, de quibus mentio iam inſtituetur.

Sub Apſide, ſeù Calchidica eſt altare Canonicorum mobile ſitum eo loco, vbi Pontifex ſedere ſolet. Prope Apſidem, in transſuerſa Naui Baſilicæ ad læuam erat ara cum tabernaculo ferreis cratibus circumſepta, in qua ſeruabatur Sanctiſſima Euchariſtia, pone ſequebatur altare Angelotti Fuſci titulo S. Marci ab Eugenio Quarto delecti Cardinalis, & Lateranenſis Baſilicæ Archipresbyteri, cui propinquum erat altare Guillelmi Pererij Sacræ Rotæ Auditoris dicatum Deo, Sancto Ioanni Baptiſtæ, Sancto Ioanni Euangeliſtæ, & Sancto Iacobo Minori, ante quod ſub pauimento ſepultus erat Dominicus Ram Hiſpanus Martini Quinti Cardinalis. Poſtremò prope Altare Præſepis erat altare Sanctæ Catharinæ cum Ciborio Plaſticæ formis exornato.

Ad partem dexteram erat elegans ara, quæ Pietatis ara dicebatur, reliquum ſpacium Nauis occupabatur ingenti podio, quod penè vniuerſam hanc partem mediæ Crucis implebat, ſed ſublata hæc omnia fuerunt à Clemente Octauo, qui eandem Crucem, ſeù Nauem tranſuerſam compoſuit, & in auguſtiorem longe formam redegit, quemadmodum ſupra indicaui-

mus

mus duobus tantùm Sacellis relictis, Alterum viſitur à parte ſiniſtra tranſuerſæ Nauis propè portam, Natiuitatis appellatione decoratum, prorſus inornatum familiæ Ceciorum. De altero, quod eſt à parte dextra eiuſdem Nauis paulò inferiùs loquemur.

Porrò arcus duo, dexter, & ſiniſter ſinguli binis columnis ex Alabaſtrite ſuffulti, aperiunt aditum ad porticum, quæ eſt poſt Apſidem Hemicycli ſpecie conſtructa. Inter arcum dexterum, & Calchidicam legitur in marmore Bulla Gregorij Vndecimi de primatu, & dignitate Lateranenſis Eccleſiæ, & pariter inter arcum ſiniſtrum, & Apſidem ſpectatur altera Bulla Pij Quinti, quas ſuperiùs protulimus. Ex parte autem Porticus rotundæ inciſa eſt Bulla Xiſti Quarti, quæ priùs extabat in paraſtata iuxta æreas columnas, in hæc verba.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

QVamuis de cunctis Vrbis, & Orbis Eccleſiis, & ipſarum decore, atque augmento, prout ex debito iniuncti Nobis paſtoralis officij tenemur, ſollicitè cogitemus. Verumtamen Lateranenſi Eccleſiæ Sponſæ noſtræ tantò ſingulariùs afficimur, & vigilantiùs aſſurgimus quantò illam excellentiorem exiſtere, ac notabiliori in eius fabricæ præſidio nouimus indigere, & eam omnium aliarum Eccleſiarum ſpeculum, atque Caput, & inſignem titulum, & principatum Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ, & ipſam præ cæteris præcipua dignitate præditam, ac quamplurimis venerandiſſimis Reliquijs Sanctorum, & præſertim glorioſorum Capitum Apoſtolorum Petri, & Pauli decoratam, quam Conſtantinus Imperator Chriſtianiſſimus in proprio Lateranenſi Palatio ſub vocabulo Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti erexit, & in qua per ſacrum fontem Baptiſmi meruit à lepra mundari. Vnde Chriſti fideles maximè ei vt matri ſubiectos quibuſdam . . . . muneribus, indulgentijs, & peccatorum remiſſionibus paterna clementia inuitamus, vt ipſi tanquam grati filij eidem matri languenti in neceſſitate ſuccurrant etiam ad debitum diuinæ pietatis honorem de cuius dulcedine ægris medicina, languentibus ſolamen, ac reis culpæ remedium, & cunctis ipſius patrocinium implorantibus miſericordiæ multis noſcitur emanare. Præmiſſa igitur piè, ac debitè in

Do-

Domino penſantes, & cupientes in prædicta Eccleſia noſtra, quæ in præſenti . . . . . fabricæ caret, vnam in ea pro ipſius reparatione erigi, ſtatui, & ordinari, quemadmodum in cæteris ferè Eccleſiis exiſtit, & vt ne de cætero propter huiuſmodi carentiam contingat Eccleſiam ipſam in reparationibus, & aliis neceſſitatibus ſuis detrimentum pati, ſed vt illis, cum expediens fuerit, opportune ſuccurri, & ſalubriter prouideri valeat. Idcirco harum ſerie, ac motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia fabricam ipſam in prædicta Eccleſia erigimus, facimus, & ordinamus, volentes, ac decernentes dictam fabricam eſſe omnino ſeparatam, atque diſtinctam ab omni alia menſa, ſeu maſſa, & quibuſuis aliis iuribus prædictæ Eccleſiæ, & ad illius regimen, & adminiſtrationem eligi debere ſingulis annis per Canonicos eiuſdem duos ex eis, & totidem Ciues Romanos bonæ, & laudabilis vitæ, conuerſationis, & famæ, qui Societatis alicuius Hoſpitalis non exiſtant, quibus per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices addi, & adiungi debeat vnus Epiſcopus in Curia Romana reſidens, qui omnes operarij notentur, cuius quidem fabricæ Defenſorem, Protectorem, & Conſeruatorem conſtituimus, atque deputamus antiquiorem Cardinalem in eadem Curia pro tempore exiſtentem, cui per dictos operarios integram rationem adminiſtrationis eiuſdem fabricæ ſingulis annis reddi volumus, & eos ad id per ipſum Cardinalem regi poſſe, & debere quanti opus fuerit. Quibus omnibus plenam, & omnimodam ſuper præmiſſis auctoritate Apoſtolica concedimus facultatem, & vt Chriſti fideles ad tantum pium, & laudabile opus feruentiores reddantur, quo maiora exinde nouerint animarum ſuarum commoda adipiſci, dicti omnipotentis Dei miſericordia, Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus prædictis verè pœnitentibus, & confeſſis tam præſentibus, quàm futuris, qui eidem fabricæ quinquaginta florenos monetæ Romanæ, vel occaſione valorem ad minus donauerint conſiſtentes in poſſeſſionibus, ſeu aliis bonis immobilibus, quæ nullo vnquam tempore ſub titulo, ſeu prætextu alicuius venditionis, ſeu alienationis vendi, ſeu alienari poſſint, ſed vt in memoriam relinquentium perpetuò conſeruentur, & ipſorum fructus, redditus, & prouentus in reparatione dictæ Eccleſiæ conuertantur, & conuerti debeant, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo concedimus per præſentes; volentes

lentes

lentes etiam quòd Canonici, & Eccleſiæ celebrent, ſeù celebrare faciant ſingulis annis vnum Anniuerſarium pro animabus defunctorum, qui huiuſmodi quinquaginta florenos ſeu ipſorum valorem huiuſmodi fabricæ reliquerint, ſumptibus tamen dictæ fabricæ. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, ordinationis, conſtitutionis, deputationis, conceſſionis, indulti, & voluntatis infringere, vel omni auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare, præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quinto, Decimo quarto Kal. Iulij Pontificatus noſtri anno Quarto,

A tergo in primo cornu cartæ Regiſtrata in Camera Apoſtolica lib. 18. Bullarum eiuſdem Cameræ.

A tergo de Curia Regiſtrata in Camera Apoſtolica Timotheus infra plicum. Blondus L. Griſus

Capitulum Romanum PP.

Adeſt etiam Angelotti Fuſchi monumentum ab Horatio eius gentili ibi collocatum, vbi olim erat eiuſdem Sacellum. Ex eadem parte iuxta Calchidicæ parietem fuit Altare, ſupra quod affixa ſpectabatur tabula ænea Decreti, quo Senatus Populusquè Romanus Veſpaſiano Auguſto abſenti Imperium confirmauit, quam Tabulam inter Vrbis rudera inuentam Nicolaus ille Laurentii Tribunitiæ poteſtatis poſt tot ſæcula reuocandæ temerario conatu celeber ibi ponendam curauit. Erant præterea alia quatuor altaria, Vnum abſq; nomine prope Apſidem in fornice, Alterum Præſepis in paruo ſacello, ante quod humi ſepultus iacebat Laurentius Valla vir Græcarum, Latinarumquè litterarum peritia clarus in primis, idemquè Lateranenſis Canonicus, hunc verò tumulum eum eſſe cenſeo, qui adhuc ibi ſupereſt, vbi iam dixi extare monumentum Angelotti Fuſchi. Tertium Altare emblematibus ornatum, erat pariter ſine nomine. Quartum Altare verſus ſacrarium dicatum Sanctæ Conſtantiæ erat Mutorum de Papazuris. Ibi etiam in fine Porticus ad ſiniſtram, qua parte eſt introitus ad Eccleſiam adhuc videtur marmoreum monumentum Ioannis Muti de Papazuris Lateranenſis

Baſilicæ Canonici, atque Epiſcopi Reatini, & Forocornelienſis vita functi anno ſalutis milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſexto, quod monumentum reparauit, atque reſtituit Curtius Mutus eius Gentilis eiuſdem Lateranenſis Baſilicæ Canonicus.

Haud longè eſt monumentum aliud Iſabellæ Sfortiæ Ioannis Piſaurienſium Domini filiæ; ſub eadem Porticu fuere marmorea duo alia monumenta ſtructuræ operoſioris, nunc verò in porticus medio propè parietem, & portam, qua ad Baptiſterium itur, extat tantummodò Mauſoleum & ſepulcrum Anaſtaſij Papæ Quarti, in quo fuerat olim tumulata Helena Mater Conſtantini Magni, in eoque hæc adhuc inſcriptio ſupereſt.

Diuæ Helenæ Auguſtæ Magni Conſtantini matri Sepulcralem hanc Porphyreticam arcam iam diù ex ipſius Mauſoleo via Lauicana in hanc Sacroſanctam Baſilicam ab Anaſtaſio Quarto Summo Pōtifice ad proprij monumenti vſum tranſlatam & iniuria temporum vndiquè diruptam, ac penitus diſiectam, ne tantæ Patronæ de eadem Baſilica optimè meritæ memoria deperiret. Capitulum, & Canonici reſtituere. Anno Salutis MDIX.

Ex hac Porta ad dexteram Baſilicæ aditus patet verſus Sacrarium, de quo infra dicemus, hic verò paulò vltra oſtium, Panuinius ait fuiſſe Sacellum Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, quod erat iuspatronatus familiæ Columnenſium, ſed poſtea dirutum eſt ad Eccleſiæ ornatum, & tranſlatum Iuſpatronatus ad Altare Diuæ Mariæ Magdalenæ. Extabant enim olim hæc Altaria ad Eccleſiæ Crucem poſt Apſidulam, ſeu Cameram à Diuo Leone conſtructam.

Nunc autem à parte dextera tranſuerſæ Nauis, ſeu Crucis Baſilicæ, Sacellum eſt ampliſſima forma, & nobiliſſimis Columnis ex Alabaſtrite exornatum, in quo videre eſt Tabulam elegantem Equitis Ioſephi Arpinatis cum Imagine Chriſti Domini Seruatoris, & vtriuſque Sancti Ioannis, & circa Arcum, quo altare includitur, ornamenta partim ex marmoribus ſelectis, & ex ære inaurato quæ omnia Philippi Columnenſis Palliani Ducis, & Magni Comeſtabilis Regni Neapolitani religioſa munificentia ſunt parata. Vbi etiam ex Heraclio lapide inſigne ſepulcrale monumentum vxori ſuæ Lauræ Tomacellæ ponendum curauit. In hoc ſacello Canonici tempore hyberno ſacra omnia peragunt, habetquè ideò ſubſellia pro ipſis Canonicis, & vni-

& vniuerſo Clero Lateranenſis Baſilicæ opere magnifico ex nuce fabrefacta, ſupernè autem concameratio, & circumquaque parietes nitent plaſticæ operibus inauratis.

In eadem tranſuerſa Naui ad meridiem eſt Sacellum inſigne Sanctiſſimi Sacramenti à Clemente Octauo extructum, ac dedicatum, cuius faſtigium ingentes quatuor columnæ ex ære aurato ordinis Corinthii ſuſtentant, de quibus columnis iam ſumus loquuti, & in faſtigio hæc epigraphe legitur.

CLEMENS OCTAVVS PONTIFEX MAXIMVS ANNO VII.

Supra Sacellum ipſum eſt Imago Chriſti Domini aſcendentis in cœlum, & Icones ſanctorum Apoſtolorum eleganter admodum expreſſæ. Latera marmoreis cruſtis conueſtiuntur, & in ſuis loculamentis ſtatuæ quatuor artificij operoſioris cernuntur, quæ repræſentant veteris teſtamenti totidem Sacerdotes cum adſcripta hiſtoria illorum ex codice ſacro. Sub faſtigio Sacelli, quod æneum eſt perinde, & vt dixi quatuor æneis Columnis ex viridi hilariori marmore Lacædemonio, ſpectantur Angeli duo ænei aurati, & altiore loco efficta conſpicitur Cœna Dominica ex argento, cuius pretium eſt duodecim millium aureorum. Inferius ſupra ipſum altare Tabernaculum eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ex pretioſis lapidibus compoſitum ingentis prætij, totumquè Sacellum ſepitur marmoreis Columnellis ad eius gradus, ad Sacræ Synaxis pietatem commodiorem.

De Altaribus, & Sacellis minoris Nauis verſus Meridiem.

CAPVT XIV.

EX hac eadem parte in extrema minore Naue ad meridiem fuit pridem continuata ſeries Altarium decem, quæ ſingula fulciebantur Columnulis è marmore viridi Tiberiaco ſuperpoſito faſtigio; in fine Nauis inter duo Templi oſtiola erat altare Sancti Ioannis Baptiſtæ opera Metelli Varij Portij extructum. Cur verò hæc altaria ſublata ſint, nihil planè comperti habeo. Nunc per quatuor gradus in hanc Nauem deſcenditur ad Sacellum dicatum Beatæ Virgini Annunciatæ, quod extructum fuit à Beneficiatis huius Baſilicæ, & priuilegio liberandi animas ab igne purgatorio per modum ſuffragij decorabatur. Iuxta hoc altare porta erat, qua ibatur ad vetus clauſtrum Canonicorum; item valuæ æneæ conſtructæ à Cencio Camerario ex gente Sabellorum, vti colligitur ex hac inſcriptione.

Valuas portæ Epiſcopij Lateranenſis, quas Cencius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius, qui poſtea Honorius Papa Tertius Sabellus, iuſſu Cœleſtini Papæ Tertij faciendas curauit, quasquè loco ſuo demolitas Bernardinus Sabellus memoriæ cauſa auctore Iacobo fratre Cardinale, Lateranum remiſit, hic repoſuerunt anno 1589.

Ad ipſas autem Valuas hæ litteræ ſunt exaratæ.

Incarnationis Dominicæ anno 1195. Pontificatus vero Domini Cœleſtini Papæ Tertij nominis, Cencio Camerario miniſtrante hoc opus factum eſt. Vbertus Magiſter, Petrus eius frater Placentini fecerunt hoc opus.

Supra

Supra portam aſpiciebatur marmoreum Caput Helenæ Matris Conſtantini Magni cum hoc epigrammate.

DIVÆ HELENÆ MATRI CONSTANTINI AVGVSTI
HVIVS ECCLESIÆ FVNDATORIS

Capitulum, & Canonici P.P.

Proximum huic loco erat Sacellum amplum marmoreis columnis quatuor ſuffultum Diuo Franciſco ſacrum, cuius fornix adornabatur paraſtatis, & periſtilijs ex marmorato, & duo hinc inde erant relicta ſpatia, ſeu loculamenta quaſi arcus ad duorum Cardinalium ornamenta ex familia Lancellotta, cuius familiæ hoc ſacellum erat. Ad aram effigies cernebatur Sancti Franciſci duabus Columnis, alijsquè marmoreis ornamentis ſpectabilis, extra hoc Sacellum picta in pariete colebatur antiqua, & miraculis clara Imago Deiparæ Virginis, filium inter vlnas habentis. Dein occurrit magnificum Sacellum adhuc extans rotunda forma extructum à Iulio-Sanctorio Sanctæ Seuerinæ Cardinali nuncupato, cum octo paraſtatis, quarum baſes è Pario marmore, & pars ſuperior ornatur plaſticæ opere, earum periſtilio ſuperpoſita eſt concameratio octangulari figura, perinde varijs è marmorato inductis ornamentis. Altare duabus columnis ex lapide magni pretij, alijsquè marmoribus miræ elegantiæ eniteſcit; Effigies Chriſti ex Alabaſtrite ſculpta è Cruce ænea aurata pendentis inhæret Heraclio lapidi ſub fornice ex marmorato, auro illito cum tabulis tribus, quarum duæ extremæ, Paſſionis, mediæ Reſurrectionis myſteria repræſentant. Ad dexteram Altaris eſt inſigne monumentum eiuſdem Cardinalis Iulij Sanctorij, Columnis, & vario marmore ornatum, cuius ſtatua pectore tenus cum eiuſdem elogio ibi ſpectatur. Ponè ſequebatur parieti adfixa Ara familiæ Inghiramiorum immaculatæ Virgini conceptæ dedicata, deinde occurrebat Sacellum aliud ſacrum Diuo Hilario ſtructum ab Hilario Mauro, qui non ſolùm ad eius cultum annuos prouentus fundauit, verùm etiam inſtituit, vt quotannis ipſo Anniuerſario Sancti Hilarij Pontificis die nempe decima quarta Ianuarij Dotes diſtribuantur ad honeſtas aliquot Puellas in matrimonio collocandas. Propè hoc Sacellum

lum erat ſepulcrum Petri Cardinalis de Piperno in vrna marmorea, qui Sanctæ Mariæ Nouæ Presbyter Cardinalis, & S. R. E. Vicecamerarius fuit, multisquè perſunctus legationibus à Bonifacio Octauo Pontifice in ampliſſimum ordinem allectus eſt. In ea templi parte erant alia inſuper ſepulcra nempe Riccardini Alidoſii Romanæ Vrbis Senatoris, Hieronymi Garimberti Hiſtorici, & Alberti de Albertis Florentini, qui ab Eugenio Quarto fuit Cardinalium numero adſcriptus. In fine huius Nauis versùs Orientem quatuor exiliores Columnæ extabant, quibus ſuperpoſita erat Tabula marmorea, cuius menſura dicunt, ſtaturam Corporis Chriſti Domini repræſentari, eratquè olim in Patriarchii Palatio, vt infra dicemus. Supererat ibidem in marmore ſculpta Imago Chriſti ex Cruce pendentis, Deiparæ Virginis, & Sancti Ioannis Euangeliſtæ hac inſcriptione adiuncta.

SANCTISSIMO CRVCIFIXO DEIPARÆ VIRGINI,
ET S. IO. EVANGELISTÆ

Guillelmus de Pereriȷs S.R. Auditor DD.

In altera Naue mediæ, ac maiori propinqua erat Columna Porphyretica, cui Gallus æneus inſiſtit, & ad myſterium pertinet Vaticinii Chriſti Domini, cum Sancto Petro dicenti

Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.
Reſpondit.
Antequam Gallus cantet, ter me negabis.

Adpoſitum verò in Lateranenſi Baſilica credendum eſt, vt eo videlicet Pontifices humanæ imbecillitatis admonerentur, & culpas aliis faciliùs condonarent, quando ipſe Princeps Apoſtolorum à culpa immunis non fuit. Nec deſunt, qui ex hac ipſa Columna Gallum, de quo Chriſtus Dominus loquutus erat, cantaſſe credant verùm ea de re, quod certi afferre poſſim, nihil habeo.

Proxima erat huic Columnæ antiqua porta Sacelli Sancti Thomæ, quod fuit Pontificum Secretarium extructum à Ioanne

Duo-

Duodecimo in Lateranenſis Baſilicæ reſtauratione . Erat verò locus, in quo Pontifex cum Epiſcopis Cardinalibus , & aliis Cleri ordinibus ſacras Pontificales veſtes induebat, vti liquet ex antiqua pictura ſupra Portam eiuſdem Sacelli anno 960. cuius typis cuſam delineationem exhibemus .



Ibiquè horæ ſextæ perſoluebat conſuetas preces, antequam ad Aram Maximam ad Sacra facienda ſe conferret, inde enim celebraturus per Porticum ad Baſilicam commeabat . Huius Oratorii aditu mulieres , excepto die Anniuerſario Sancti Thomæ,arceri ſemper mos erat . Oratorium verò ipſum in tres partes diuiſum erat . In Sacello enim dicato Sancto Ioanni Baptiſtæ ad meridiem aſſeruabatur menſa , ſupra quam Chriſtus Dominus cum diſcipulis ſuis vltimam Cœnam celebrauit , atque auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit . Ibidem etiam habebatur Virga Moyſis, Sacerdotale Aronis pedum , Arca fœderis Teſtamenti , itemquè Vrna oſſibus , & cineribus plurimorum Sanctorum referta . In Zophoro autem quatuor Columnarum , quæ muro includebantur , hi legebantur caracteres .

Hic

Hic locus olim ſordentis tumuli ſquallore congeſtus ſumptu ; & te Domine tanta ruderum mole ſublata: quantum culminis nunc videtur ad offerendum Chriſto Deo munus or. . . .

Hæ autem Reliquiæ ſpectabantur ex altero ſacello, quod erat pars huius Secretarii, in quo antiquiſſima Crucifixi Imago artificio Anaglypticæ expreſſa in veneratione habetur, pars verò tertia Oratorii, quæ nuper ſupererat, aliis vſibus deſeruiebat.

Ad paraſtatam, quæ eſt è regione huius Nauis minoris, ſitum erat nobile ſepulcrale monumentum Antonij de Clauibus Cardinalis Portugallenſis nuncupati, & viri optimè meriti de Lateranenſe Baſilica, vt dicemus libro ſecundo.

Ad partem illam paraſtatæ, quæ erat in conſpectu ipſo Columnarum, duæ ſciſſæ Columnæ aderant cum hac Epigraphe. *Et petræ ſciſſæ ſunt*. Sunt autem illæ ipſæ, quæ tempore paſſionis, quod hominum pluſquam lapidea corda non fecerant, præ dolore quodammodo, perfractæ ſunt.

Ad paraſtatam ex parte Minoris Nauis monumentum erat Silueſtri Secundi Pontificis, de quò paulò poſt dicemus. In fronte Eccleſiæ interiori ara erat, quam religioſa pietas Franciſci Mariæ Antaldi huius Lateranenſis Baſilicæ Canonici, & in cauſis Confidentiarum Sanctiſſimi Domini Noſtri Generalis Auditoris extruxit, in qua colebatur veneratione præcipua Imago parua Chriſti Domini in marmore ſculpta. Olim hæc Imago erat ſub porticu Eccleſiæ abſque cultu, & iam miraculis frequentibus coruſcat; ad eam enim cæcos viſum, claudos greſſum, ægros denique omnis generis ſalutem recuperaſſe conſtans eſt fidelium perſuaſio, quod cauſæ fuit cur in hunc locum magis eius venerationi conſentaneum tranſlata fuerit.

De

De Altaribus minoris Nauis ad Septemtrionem.

CAPVT XV.

ALTARIA, quæ olim ad ſiniſtram Baſilicæ Nauim erant ſita, hæc enumerantur. Primò Altare Sancti Leonardi, familiæ Vrſinorum, iam pridem amotum ſuperſtite dumtaxat expreſſa in paraſtata eiuſdem Sancti Imagine cum adpoſitis Vrſinæ gentis ſepulcralibus monumentis. In eadem paraſtata è regione Nauis maioris monumentum erat Rainutij Farneſii Cardinalis, ac noſtræ Baſilicæ Archipresbyteri. In extrema parietis parte Sacellum erat Sanctorum Lucæ, Stephani, & Marci, erantquè inſuper ſepulcra nonnullorum Pontificum, de quibus ſeorſim loquemur, & his propinqua erat porta, qua per gradus ad Concilii aùlam aſcendebatur.

Deinde occurrebat Altare Sancti Ioannis Euangeliſtæ, vbi genuflexus opere ſculptoris effictus cernebatur Ioannes Rubeus Epiſcopus Alatrinus; erant etiam ibi frequentes portæ muris iam occluſæ, ſed quæ olim patebant omnes cortinis dumtaxat obductæ, vt alibi iam diximus. Inter Portam Sanctam, quam appellamus, & paraſtatam in ſecunda porticu, ſeù Naui erat Altare Millinorum Beatæ Virgini, Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, Sancto Ioanni Baptiſtæ, & Sancto Ioanni Euangeliſtæ dicatum, cuius nuper ſola ſupererant opera picturæ iuxta paraſtatam verò erat monumentum ſepulcrale eiuſdem Millinæ gentis, ex qua prodiere Lateranenſis Baſilicæ Canonici duo, & ambo quidem illuſtres viri, nempè Franciſcus, qui à Martino Quinto, cuius fuerat in huius Baſilicæ Canonicatu Collega in idem rurſus Capitulum, ex Cœnobio, vt Eccleſiæ Senogallienſi præficeretur reductus eſt, atque hic comparata non mediocris ſan-

ctitatis fama è viuis deceſſit, itaut in eum Diuæ Franciſcæ Romanæ de Pontianis, ex qua genus maternum trahebat, transfuſa morum probitas videretur. Alter fuit Ioannes Baptiſta, qui à Sixto Quarto in Sacrum Cardinalium Senatum adlectus eſt; tanta vir animi firmitate atque conſtantia, vt neque minis, neque precibus, neque pollicitationibus induci ab Eugenio Quarto potuerit, vt ſuo ſe Lateranenſi Sacerdotio ſponte abdicaret, quo ille tempore Canonicos ſæculares ex Baſilica Lateranenſi, vt regulares Canonici ſubrogarentur, exigere conatus eſt.

Ex hac parte extremæ Nauis nonnulla altaria ad Innocentianam vſque ædificationem ſuperfuere, quorum primum dicatum erat omnibus Sanctis, omnis plane ornamenti expers, eratque familiæ de Corcellutis, in eadem Naue ad parietem extabat monumentum Lucij Saxi Cardinalis, & ara conſecrata Dei Genitrici à Nobilibus Comitibus ex Carpinea, immò tranſlationis Altaris erecti à Guillelmo Pererio extabant adhuc inſignia ibidem cum ornamentis eius marmòreis, & ſimulacris Sanctorum Ioannis Baptiſtæ, ac Ioannis Euangeliſtæ, inciſis hiſce notis.

Guillelmus de Pererijs Auditor Sanctorum Ioannis Baptiſtæ, & Euangeliſtæ ded. anno 1492.

Ponè ſequebatur altare marmoreum inſigni Sanctiſſimæ Euchariſtiæ miraculo viſendum in primis, cum enim Sacerdos enunciatis verbis conſecrationis, dubius animo hæreret, an videlicet Corpus Chriſti verè ſub ſpeciebus panis lateret, momento ex manibus eius elapſa eſt ſacra hoſtia, & perforato altari ad cornu Epiſtolæ tranſiit, eiquè adhæſit, hodiequè ibidem eius forma conſpicitur. In altari erat antiqua Imago Deiparæ Virginis, loco mobilis, & prope cernebatur tumulus Comitis Gusliani Mediolanenſis S. R. E. Cardinalis poſitus ei à Iacobo Columna pariter Cardinale anno ſalutis milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſeptimo.

Dein ſacellum inuenitur Sanctiſſimo Crucifixo conſecratum ſatis elegans, & amplum à Maximorum familia exſtructum, ibiquè monumentum eſt Dominici de Maximis Cotiliani Comitis, Piſoniani, ac Sancti Viti Domini. Proximum huic ſacello ſepulcrum eſt Riccardi S. R. E. Archidiaconi Cardinalis tituli Sancti Angeli à Gregorio Nono creati, orti ex familia Anni-

nibal-

nibaldenſium de Molaria. Hinc verſus Orientem ianua eſt, quæ aditum aperit ad Pontificale Palatium; & eo quidem in loco, vbi, portam illam fuiſſe credibile eſt, qua ibatur ad aulam Concilii. Trans eam portam ſepultus erat Berardus Caracciolus Neapolitanus ab Innocentio Quarto Pontifice S. R. E. Cardinalis creatus, atque in propinquum locum tranſlatum fuit monumentum Gerardi Blanci Parmenſis Cardinalis, de quo iam ſumus loquuti.

Vltimum altare huius Nauis dicatum erat Sancto Iacobo Maiori huc ex aula Concilii translatum, vti appoſita hæc inſcriptio teſtatur.

IMAGO S. IACOBI APOSTOLI HVC TRANSLATA
EX AVLA CONCILII.

In fine Nauis verſus Orientem eſt Porta Sancta, quam vigeſimo quinto quoque anno ſolemniter aperiri, & mox claudi vetuſtus Eccleſiæ mos eſt cum effuſione theſaurorum cæleſtium, piacularium Indulgentiarum in eos, qui hanc, & tres alias Baſilicas Patriarchales inuiſerint anno Iubilæi, de cuius anni inſtitutione, ac eius colendi ritu, cum prolixè ſcripſerint alii, non eſt, cur nos vlterius differamus. In altera minore Naue, quæ maiori propinqua eſt olim fuiſſe ſacellum familiæ Millinæ iam diximus. In paraſtata verò, quæ erat ad intercolumnia, atque ad arcus Eccleſiæ, lapidea tabula Porphyretica ſpectabatur, ſuper quam in Caluario Monte milites alea Chriſti Domini veſtimenta inter ſe partiti fuerunt, & erant ibidem duæ marmoreæ columnæ, quæ fuiſſe perhibentur in Prætorio Pilati, & quibus aliqui tradunt affigi conſueuiſſe S. P. Q. R. vexilla, in earum autem Zophoro inſcriptio hæc perlegitur.

Super veſtem meam miſerunt ſortem.

In paraſtatæ muro ex parte maioris Nauis monumentum erat Helenæ Sabellæ, æneis imaginibus, atque emblematis ornatum. In interiore fronte Nauis ad venerationem erat picta Imago Virginis Deiparæ antiqua, & miraculis clara, quæ pro temporum

conditione ſatis elegans videtur, ſuitquè ornata à Ioanne Hieronymo Vaina huius Baſilicæ Canonico, atque Auunculo meo. atque hæc ſufficiant de Altaribus Lateranenſibus.

De Oratorio Sancti Pancratij, quod fuit vetus Sacrarium, ac de nouo Sacrario.

CAPVT XVI.

IN fine Calchidicæ poſt Apſidem maiorem verſus meridiem Sacrarium erat ab Eugenio Quarto Pontifice exſtructum, in quo fuit olim Oratorium Beatæ Mariæ Virginis, ac Sancti Pancratij, cuius Oratorij in veterum Annalibus frequens eſt mentio; In eo fuit aliquando altare admodum elegans, in quo ſeruabantur Corpora Sanctorum Chryſanthi, & Dariæ cum reliquijs Sanctorum Apoſtolorum Iacobi, Matthæi, & Thaddæi, Sancti Stephani Protomartyris, Sancti Timothei diſcipuli Sancti Pauli, Sanctorum Innocentium, & Sancti Pancratij, eratquè ibi etiam pars lintei, & ſepulcri Domini, & præterea reliquiæ Sanctorum Blaſii, Nicomedis, Vitalis, Geruaſij, Protaſij, Nazarij, Celſi, Felicitatis, & quadraginta Martyrum. Cæterum hoc etiam tempore in hac parte Sacrarium eſt, ad quod, vt dixi, per portam in Calchidicam, & paruum ambulacrum aditus ibi patet, vbi iuxta murum exarata eſt vetuſtis characteribus Gregorii Papæ Vndècimi Bulla ibi collata iuſſu Franciſci Millini huius Baſilicæ Canonici, vt ſupra iam diximus. Sacrarium ipſum in duas diſtinguitur cellas, in earum altera verſus meridiem fornix eſt duabus columnis ſuffultus, ſub fornice autem altare dicatum S. Mariæ Magdalenæ, quod vir doctrina celeberrimus Fuluius Vrſinus huius Baſilicæ Canonicus exſtruxit, qui etiam ibidem ſepultus eſt.

eſt; Hinc inde menſæ ad vſum Beneficiatorum, & Sacerdotum inferioris Ordinis diſpoſitæ cernuntur, vnde ad obeunda ſacra miniſteria proceſſuri ſacras veſtes acciperent. In pariete verſus Orientem Pauli Quinti ænea ſtatua vmbilico tenus conformata viſendam ſe præbere cum elogio ſequenti.

PAVLO QVINTO PONTIFICI MAXIMO

Eccleſiaſticæ libertatis vindici, virtutis remuneratori ob redemptum à Spoliorum onere Clerum Romanum grati animi monumentum Lateranenſis Baſilicæ Canonici poſuere.

Verſus Occidentem porta marmorea ſatis elegans offertur, ſuperquè ea Imago ænea Clementis Octaui, qui hoc Sacrarium ad vſum Canonicorum exſtructum picturis elegantiſſimis ornauit. Præcipuè concameratio vario picturarum proſpectu illuſtratur, & in eius fronte opificio excellenti exprimitur hiſtoria demerſionis Sancti Clementis Pontificis, & Martyris, cui ſubeſt menſa, in qua Canonicos altaria adituros ſacerdotalibus ornamentis indui mos eſt. Hinc inde cernuntur armaria miro artificio ex nuce elaborata, in quibus ſupellex ſacra ad vſum myſteriorum, vaſa, candelabra, lampades, & id genus alia conduntur, de quibus agemus ſeorſim, vbi ſermo de Lateranenſis Baſilicæ ornamentis erit. Cæterum ſingulæ huius Sacrarii partes eam maieſtatem, quàm à Pontificia magnitudine accipiunt, ipſa ſpecie referre videntur. In hoc eodem Sacrario præcipua, quæ aſſeruantur, hæc ſunt. Plumbeus Calix, quo vſi fuiſſe dicuntur in Miſſæ Sacrificio Sanctus Petrus, ac poſt eum alii nonnulli Romani Pontifices, Pluuiale contextum ex auro, paruiſque vnionibus ornatum, quod Sancti Silueſtri Pontificis fuiſſe traditur, Duæ item eximiæ Cruces non minùs antiquitate, quam religione venerabiles, quæ in ſupplicationibus à Lateranenſi Capitulo circumferuntur, à Conſtantino Magno, vt eſt antiqua traditio, donatæ gemmis olim refertæ cum incluſo ligno ſalutiferæ Crucis. Ad Sacrarij huius vtrumquè latus ſacella duo ſunt, alterum verſus Septemtrionem à Ioanne Baptiſta Cardinali Lenio huius Baſilicæ Archipresbytero reſtitutum, & dicatum Sancto Ioanni Baptiſtæ, alterum verſus meridiem exſtructum munificentiſſimè à Paulo Buccardino Canoni-

nonico cum concameratione ex marmorato inaurata dicatum Sanctæ Annæ, & precioſis marmorum ſegmentis conſpicuum. Quin etiam eius liberalitati Lateranenſis Baſilica acceptum refert locum exſtructum in vſum Archiuij, & ad habendos conſeſſus, ſeù capitula Canonicorum, ſicut laborioſæ induſtriæ, atque ingenio Philippi Calderoni huius Baſilicæ Canonici reſtitutionem ſcripturarum eiuſdem ſeriem debemus. Ad hoc Archiuium per portam è Pario marmore, quæ eſt è regione altaris huius Sacrarii, aditus panditur, atque in eo vtrinque ex nuceis tabulis elaborata ſunt armariola, in quibus attinentur, & cuſtodiuntur priſca Eccleſiæ Lateranenſis monumenta, ſubſuntque his circumpoſita ſubſellia Canonicorum, in quibus ſuos ipſi conuentus habent.

De Porticu verſus Septemtrionem, & de Obeliſco à Sixto Quinto erecto.

CAPVT XVII.

PОrtam inſignem, & omnium maximam Septemtrioni oppoſitam à Gregorio Vndecimo è Pario marmore ſtructam, duobusque prægrandibus marmoreis leonibus ornatam accepimus; ſpectabatur ibi Vrna porphyretica ſepulcrum olim Innocentii Secundi. Circa eam portam viſebantur inſignia aliquot Cardinalium, qui huic Baſilicæ Archipresbyteri titulo præfuere, hoc eſt Proſperi Columnæ Martini Quinti Pontificatu, Dominici Capranicæ Principatu Calliſti Tertii, Latini Vrſini Sedentibus Pio Secundo, & Sixto Quarto, Iuliani de Ruuere ſedente eodem Sixto Quarto, Ioannis Columnæ, & Alexandri Farneſii ſub Pontifice Iulio Secundo. Sixtus vero Quintus Porticum

ticum ſacræ Scripturæ Hiſtoriis decoratam, ex qua Pontifices Romani ſolemnem Populo benedictionem impertiunt, exſtruxit vetere porta Gregorii Vndecimi ſublata. Ex ea per arcus quinque, ad quos gradibus totidem aſcenditur, in ipſam Baſilicam ianuis tribus, aditus eſt, quarum media maior, duæ ab vtroque latere minores, porticus autem ipſa ex lapide Tiburtino conſtructa eſt. In eius fine conſpicitur ad læuam æneum ſimulacrum Henrici Quarti Chriſtianiſſimi Regis Galliarum, grati animi teſtandi cauſa à Capitulo poſitum ob Regiam Principis illius erga illud munificentiam, vti ſuo loco dicemus.

Supra porticum ad dexteram pariter, & læuam duæ Turres in Pyramidis formam à Sixto Quarto excitatæ prominent, & à Pio Quarto priſco vſui æris Campani reſtitutæ, quemadmodum coniicere ex eius inſignibus licet. Quin etiam nolam ibi miræ magnitudinis collocatam olim à Ioanne Decimo tertio, & Sancto Ioanni ritu conſuetæ inaugurationis dedicatam accepimus. præterea ex his Turribus olim ſpectaculo erat gallus verſatilis æneus in faſtigio earum ſatis eleganti artificio elaboratus, qui Baſilicæ incendio conſumptus eſt. Ante hanc porticum Lateranenſis Baſilicæ area maxima eſt, ex qua non propinquæ modo Claudiæ formæ, ſed longe etiam ipſa Baſilica Liberiana ſpectantur. In areæ vmbilico Obeliſcus eſt à Ramiſi Rege Thebis excitatus, notisquè Hieroglyphicis inſcriptus, quem deinde Sixtus Quintus ante hanc Baſilicam erexit adiectis inſcriptionibus.

Ad Septemtrionem, verſus Baſilicam Liberianam.

SIXTVS QVINTVS PONTIFEX MAXIMVS

Obeliſcum hunc ſpecie eximia temporum calamitate fractum Circi Maximi ruinis humo, limoquè altè demerſum multa impenſa exſtraxit, hunc in locum magno labore tranſtulit, formæ priſtinæ accuratè reſtitutum Cruci inuictiſſimæ dicauit.

Ad Occaſum verſus Capitolium.

FLAVIVS CONSTANTINVS MAX. AVGVSTVS

CHRISTIANÆ FIDEI VINDEX, ET ASSERTOR

Obe-

Obeliſcũ ab Aegyptio Rege impuro voto Soli dedicatum ſedibus auulſum ſuis, per Nilum transferri Alexandriam iuſſit, vt nouam Romam ab ſe tunc conditam eo decoraret monumento.

Ad Meridiem è Regione Baſilicæ.

CONSTANTINVS PER CRVCEM VICTOR

A Sylueſtro hic baptizatus Crucis gloriam propagauit.

Ad Ortum verſus Scalam Sanctam.

FLAVIVS CONSTANTIVS AVGVSTVS

CONSTANTINI AVGVSTI FILIVS

Obeliſcum à Patre loco ſuo motum, diuquè Alexandriæ iacentem trecentorum remigum impoſitum naui mirandæ vaſtitatis per mare, Tyberimquè magnis molibus Romam conuectum in Circo Maximo ponendum S. P. Q. R. D. D.

Quibus omnibus hiſtoria eiuſdem Obeliſci continetur. Iuxta Obeliſcum ad Septemtrionem exſtruxit fontem aqua perenni manantem, ornauitquè ſuperpoſita Sancti Ioannis Euageliſtæ ſtatua. Ad læuam huius areæ olim fuerunt domus aliquæ Canonicorum, item ædes antiquæ Nobilium Annibaldenſium de Molaria, eorumquè Turris, & pars aulæ Concilij, aliaque ædificia. Quibus omnibus ab eodem Sixto Quinto ſolo æquatis, areæ, quam diximus ſpatium laxius aliquanto factum eſt, ita vt à nullo alio ædificio interruptum ad Conſtantini Baptiſterium, noſocomium Lateranenſe, & Palatium Apoſtolicum liberè porrigatur.

De

De Summis Pontificibus, qui in Lateranenſe Baſilica ſepulti ſunt.

CAPVT XVIII.

ETSI conſuetudo iam vetus obtinuit, vt Romani Pontifices in Vaticana Baſilica tumulentur, quod omnino conſentaneum videtur, vt ſucceſſores non alibi condi debeant quam vbi eorum Anteceſſor, & Magiſter Petrus, Apoſtolus conditus eſt, nonnulli tamen in hunc, etiam vſum Lateranenſis Baſilicæ ſanctitatem prætulerunt quorum ego ſepulcrales vrnas, nomina, & elogia non antiquitatis, ſed ſitus, quem hic in Eccleſia ſeruant, exſequar ordine, eodem videlicet, quo ea deprompſi ex Archiuio ipſo, & ex vetuſtis huius Lateranenſis Baſilicæ monumentis. Primus Romanorum Pontificum, qui in Lateranenſi Baſilica tumulari maluerunt, fuit Leo Quintus Pontifex ex religioſa familia Sancti Benedicti ad Pontificatum aſſumptus, qui à Chriſtophoro Presbytero Cardinale tituli Sancti Laurentii in Damaſo familiari ſuo, qui Romanam Eccleſiam inuaſerat, coactus fuit abdicare ſe Pontificatu, & rurſus ad Monaſticam vitam ſe conferre, quare non ita multo poſt diem vitæ poſtremum obiiſſe præ dolore animi creditus eſt, & ſepultus in dextero huius Baſilicæ latere, ad initium Nauis minoris prope murum.

Sergius etiam Tertius in Laterano ſibi ſepulturam elegit, cum Baſilicam hanc inſtauraſſet terræmotu concuſſam, & labefactatam tempore Stephani Septimi, & iuxta Leonis tumulum humatus creditur, in cuius vrna oſſa etiam eiuſdem Stephani filii Ioannis Vndecimi Pontificis ſepulta ſunt. Proximè conditus fuit Lucius Papa Secundus antea Lateranenſis Baſilicæ

Canonicus, & ex Canonico creatus S. R. E. Cardinalis tituli Sanctæ Crucis. Memor autem ſuæ educationis Baſilicam hanc amplis donariis, & priuilegiis ornauit, vt infra dicemus. Pone ſequebatur ſepulcrum Agapiti Papæ Secundi; Verſus Oratorium Sancti Thomæ iacuere corpora Paſchalis Secundi, qui cum obiiſſet apud Sanctam Mariam Tranſpontinam, inde funebre pompa perquam honorifica delatus eſt ad Lateranenſem Baſilicam, & ibi conditus in ſepulcro marmoreo. Item Calliſti Secundi, & Honorij Secundi ſucceſſoris eius, qui cum æger ex Laterano ad Sanctorum Andreæ, & Georgij Cœnobium curationis cauſa immigrare voluiſſet, ingraueſcente morbo, ibi mortuus eſt, & in Baſilica Lateranenſe intra vrnam marmoream voluit tumulari. In hac eadem Baſilica ſepultus eſt Cœleſtinus Secundus, qui primus abſque Populi Romani Conuentu, atque ſuffragio ſummum Pontificatum adeptus eſt. Poſt Cœleſtini ſepulcrum, erat Altare dicatum Sanctis Quadraginta Martyribus, iuxta quod ſepultus eſt Innocentius Secundus, in vrna Porphyretica, olim in Adriani Mauſoleo collocata, quæ deinde vrna, corrupta incendio Baſilica, extra eiuſdem veſtibulum poſita eſt. In eadem parte Baſilicæ non longe ab introitu eius, & ab Oratorio Sancti Thomæ quieſcebat Sergius Papa Quartus cum hoc elogio.

Quiſquis ad hæc tendis ſublimia limina lector,
Et caperis tantæ nobilitate domus;
Intentis oculis aulæ percurrere partes
Deſine, materias arte iuuante manus;
Lumina cum greſſu prudens arguta coërcens,
Reſpice ſollicitus quis velit hic tumulus?
Hic tumulata iacent Paſtoris membra ſereni,
Quem Deus Eccleſiæ contulit omnipotens;
Pauperibus panis, nudorum veſtis opima,
Doctor & egregius, qui fuit in populo.
Iura ſacerdoti lætas dum videt ariſtas
Cœtibus æquauit nauiger Angelicis;
Albanum regimen luſtro venerabilis vno
Rexit, poſt ſummum ducitur ad ſolium;
In quo mutato permanſit nomine præſul

Ser-

Sergius ex Petro ſic vocitatus erat.
Ductus mente pia Ieſu, dic, parce Redemptor,
Vtque vicem capias, dic, Deus hunc habeas.

Qui ſedit ann. xi., & menſ. ix. & dies xii. Obijt menſis Maij die xii. indictione x. Anno Dominicæ Incarnationis MXIII.

Ibidem ſepultus eſt Alexander Secundus huius Baſilicæ antea Canonicus, quum propterea multis opibus donauit, & priuilegijs auxit, vt ſuo loco dicemus. In porticu verò ante fores Baſilicæ conditus fuit Silueſter Secundus, ex cuius marmoreo ſepulcro, cum non eſſet humido loco ſitum, nihilominus ſereno etiam cælo aquæ guttatim manabant non ſine complurium admiratione. Huius poſtea ſepulcri tabula marmorea in reparatione Eccleſiæ tumulo effoſſo intra Baſilicam citra minorem eius portam, vbi nuper erat effigies Sanctiſſimi Crucifixi, collocata fuerat, atque ibi condita etiam corpora Romanorum Pontificum, poſtquàm in Baſilicæ incendio intra ſuas ſepulcrales vrnas in cineres redacta ſunt; atque hæc carmina adſcripta fuere.

Iſte locus mundi Silueſtri membra ſepulti
Venturo Domino conferet ad ſonitum;
Quem dederat mundo celebrem doctiſſima Virgo,
Atque Caput mundi culmina Romulea;
Primum Gibertus meruit Francigena ſede
Remenſis populi Metropolim patriæ;
Inde Rauennatis meruit conſcendere ſummum
Eccleſiæ regimen nobile, ſicque potens;
Poſt annum Romam mutato nomine ſumpſit,
Vt toto Paſtor fieret orbe nouus;
Cui nimium placuit ſociali mente fidelis
Obtulit hoc Cæſar tertius Otho ſibi;
Tempus vterque ſemit clara virtute ſophiæ
Gaudet, & omne ſæclum, frangitur omne reum;
Clauigeri inſtar erat, cælorum ſede potitus,
Terna ſuffectus cui vice Paſtor erat;
Iſte vicem Petri poſtquam ſuſcepit, abegit
Luſtrali ſpatio ſecula morte ſui

Obriguit mundus diſcuſſa pace triumphus
Eccleſiæ mutans dederit requiem;
Sergius hunc loculum miti pietate ſacerdos,
Succeſſorquè ſuus compſit amore ſui;
Quiſquis ad hunc tumulum diuina lumina vertis,
Omnipotens Domine, dic, miſere ſui.

Satis coniici poſſe videtur ex his merum commentum eſſe, quod de hoc Pontifice Platina ex Martino tradit, cum ex hoc elogio, cuius ſucceſſor eius Sergius Quartus eſt auctor, maniſeſtè oſtendatur, moribus eum nequaquam pænitendis fuiſſe.

Neque hic prætermittendum puto, quod anno 1648. dum pro Eccleſiæ reparatione noua iacerentur fundamenta, repertum fuit Silueſtri eiuſdem cadauer in marmorea capſa palmis duodecim ſub terram defoſſa integrum, Pontificiis veſtibus amictum, brachiis in Crucem conformatis, capite ſacra tiara obtecto, ſed confeſtim loco motum äëre permeante in cineres diſſolutum fuit, è quibus tamen fortaſſe ob aromata, quibus corpus conditum fuerat, ſuauis odor fragrauit, neque præter argenteam Crucem, & Pontificalem annulum aliud incorruptum remanſit. In eadem Porticu intra duas portas priores verſus meridiem iacuit Ioannes Papa Decimus, cuius fratrem germanum Guido Comes Tuſculanus inſtigante Marozia vxore immiſſis ſatellitibùs in Lateranò ſpectante Pontifice confodit, & mox Pontificem eundem comprehenſum interemit faucibus eius ceruicali occluſis, atque oppreſſis. In ipſa porticu iuxta fores Baſilicæ ſepultus fuit Ioannes Duodecimus cum hoc elogio.

Quàm ſolers Domino placuit, quàm mente modeſta
Præſul Apoſtolicus, Orbis & omne decus;
Hic ſtatuit tumulo claudi ſua membra ſub iſto
Hæc eadem ſperans vt ſibi reddat humus,
Ardua qui fulſit ſuper ſydera cœli,
Auguſtis carus gentibus, & tribubus;
Doctrinis comptus ſacris, & dogmate claro
Per patrias ſanctas ſemina fudit ouans
Nam Graios ſuperans, Eois partibus vnam
Schiſmate pellendo addidit Eccleſia.

Prin-

Principis hinc Petri Sedi quiſquis tendis ad aulam,
Dic ſupplex, idem regnat vt arce poli.

Multi præterea referunt Ioannem Decimum Quartum apud Lateranum tumulatum fuiſſe, & tumuli eius inſcriptio in Archiuis extat in hæc verba.

Hic tumulus, qui Præſulis dicitur eſſe
Summi. Ioannes hicquoque dictus erat.

Ad læuam huius Baſilicæ prope portam Sanctam iuxta altare, quod erat Sancti Antonini Martyris, in tumulo Porphyretico præclari admodum operis iacebat Anaſtaſius Quartus Pontifex, qui eum tumulum tempore Innocentii Secundi à latronibus violatum, expilatumque, & cineribus Diuæ Helenæ Auguſtæ, quibus aſſeruandis initio exſtructus eſt, orbatum, ex eius antiqua extra vrbem Baſilica huc tranſtulerat, ſibiquè parauerat. Hic Pontifex Baſilicam Lateranenſem, cuius antea Canonicus fuerat, quamdiù vixit magno ſtudio eſt proſequutus, eamquè priuilegiis, atque annuis prouentibus locupletauit. Sed hoc eius ſepulcrum incendio deprauatum illud eſt, quod iam poſt apſidem, & Chorum Canonicorum ſpectatur.

A porta ſancta verſus aram maximam inter altaria Sancti Antonini, & Sanctæ Mariæ *del Ripoſo*, quam vocant, erat ſepulcrum Cœleſtini Papæ Tertii, quamquam alij putant eum ſepultum fuiſſe prope aram Sancti Salonini. Aliquanto ſuperiùs prope portam, qua ibatur ad Aulam Concilij haud longè à veteri pulpito, vbi Epiſtola legebatur, in marmoreo tumulo iacuit Alexander Tertius. Clemens verò Tertius in medio Baſilicæ tumulatus erat in marmorea vrna ſigillis ornata ante Chorum antiquum Canonicorum verſus aulam Concilij. Martinus autem Quintus in media etiam ipſe Baſilica ante Sanctorum Apoſtolorum capita iacet ſepulcro partim æreo, partim lapideo cum hoc epitaphio.

MARTINVS PAPA QVINTVS

Sedit ann. xiii. menſes tres, dies xii. obijt anno 1431. *die* 20. *Februarij temporum ſuorum felicitas*

Hic Baſilicæ Lateranenſis Canonicus, cum fuiſſet renunciatus

eſt ſummus Pontifex in Generali Concilio Conſtantienſi vnanimi tum Cardinalium ſuffragio, tum omnium nationum voto, eiusquè creationem quies Eccleſiæ poſt Schiſma dirum, ac diuturnum, quod Eccleſiam Dei ſupra modum afflixerat, eſt conſequuta: Porrò in eadem Baſilica iacuerunt etiam, ſed incertis locis Bonifacius Septimus, & Innocentius Quintus, quorum vtique tumuli in ædis incendio, vel conſumpti, vel alio tranſlati fuerunt; Horum tamen omnium Pontificum oſſa, vel cineres in eum locum fuerunt ingeſta, vbi tumulus erat Silueſtri Papæ Secundi. Immò multò plures Romanos Pontifices, veriſimile eſt hic fuiſſe tumulatos, quod confirmare videtur Ioannes Diaconus, qui poſt recenſitos ferè eos, de quibus nos hactenus meminimus, quique illum æuo præceſſerant hæc addit. *Tamen in Porticu ſepulturæ plurimæ Epiſcoporum huius Eccleſiæ.*

Neque hoc mirum videatur; conſueuiſſe namquè humari corpora Romanorum Pontificum in hac etiam Baſilica ſuadere videtur Innocentius Tertius, qui de ſua electione verba faciens hæc habet.

Fælicis memoriæ Celeſtino Patre, & prædeceſſore noſtro, ſexto Idus Ianuarij viam vniuerſæ carnis ingreſſo, & in Lateranenſi Baſilica (ſicut moris eſt) tumulato, &c.

Quin etiam in hac eadem Baſilica celebrari quoque ſolitas fuiſſe ipſorum exequias indicant litteræ Symmachi Vrbis Præfecti ad Honorium Imperatorem ſcriptæ occaſione Schiſmatis orti in Romana Eccleſia poſt obitum Zoſimi Pontificis inter Bonifacium, & Eulalium, ſic enim loquitur.

Cum vir ſanctus Eulalius ad Eccleſiam Lateranenſem de exequijs prioris Epiſcopi à Populo, & à Clero fuiſſet adductus ibi per biduum cum maxima multitudine, & quamplurimis Sacerdotibus remoratus eſt, vt expectaretur dies conſtitutus, quo poſſet ordinari.

Sed & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri ad eumdem Imperatorem Honorium, quem Symmachus decipere ſtudebat, ita ſcripſerunt.

Lateranenſem Eccleſiam obſtructis omnibus ingreſſibus Archidiaconus Eulalius contemptis impiè Summi Sacerdotis exequijs, ex Diaconibus, & pauciſſimis Presbyteris, ac multitudine turbatæ plebis obſederat, &c.

Ex

Ex quibus euinci ſatis videtur, funera Romanorum Pontificum, & eorum cæremonias in Lateranenſe Baſilica celebrari Conſueuiſſe. Quamuis etiam priſcis Eccleſiæ temporibus apud confeſſionem Sancti Petri multos ſanctiſſimos Pontifices tumulatos fuiſſe conſtet; poſtea tamen ædificata, & conſecrata Lateranenſe Baſilica, & conſtituto in ea Pontificali Throno, veriſimile eſt voluiſſe deinceps requieſcere apud Eccleſiam ſponſam ſuam. Rurſus alij plerique etiam poſt ea tempora in Vaticano, vt dixi initio huius capitis, iuxta ſanctorum Apoſtolorum ſepulcrum condi, ac tumulari maluerunt.

De Noua Baſilicæ Lateranenſis Inſtauratione.

CAPVT XIX.

SED iam nouam Baſilicæ Lateranenſis formam, ac ſpeciem, quam à proxima Innocentij Decimi Inſtauratione accepit, explicandam aggrediamur. Varijs, vt ſupra iam diximus affecto huic ædificio cladibus, quamuis neceſſaria, pro caſuum, ac temporum ratione, reſtitutio, ornatusquè minime defuiſſet; quia tamen incendiorum vis haud ſemel in illud graſſata non ſolum correpta conſumere, verum etiam quoquo modo contacta infringere, ac debilitare conſueuit; factum eſt, vt Columnæ marmoreæ inuſitatæ proceritatis, quibus laterales Eccleſiæ parietes innitebantur, quamuis ab ignis calamitate integræ in ſpeciem viderentur, à veteribus illis reſtauratoribus ſuſtinendo amplius tanto oneri haud ſatis idoneæ ſint iudicatæ; quas idcirco lateritio opere conueſtiendas, muniendasquè cenſuere; paucis admodum exceptis, quarum integram formam teſtandæ veteris magnificentiæ gratia propè portas relinquere pla-

placuerat, nec aliam ob cauſam Epiſtilia quoque ſuper eiſdem intacta, murumquè, vt antea ſuſtinentia manſiſſe crediderim, cum reliqua murorum moles nullo lapideo, quod appareret, operi, ſed arcubus lateritijs inter reſtaurandum exſtructis trabeationi columnarum ſuppoſitis incumberet. Neque eo tamen effici potuit, quominus ab incendijs, ruinisque tectorum concuſſæ, & labefactatæ vniuerſæ molis veſtigia haud leuia cernerentur, quæ non ſolum adſpectu fœda, verum etiam periculoſa admodum erant, vt iam à plerisquè fundata illa domus Dominicæ ſupra firmam petram ſoliditas requireretur: namquè latus Eccleſiæ, quod à porta venientibus dexterum eſt (commotis credo eo loci fundamentis, columnisquè debilitatis) ita media ſui parte ſeſe introrſus in Eccleſiam proiecerat, vt perpendiculum à ſummo pariete in pauimentum demiſſum ab ipſius parietis crepidine tribus fermè palmis, ac dimidio diſtans incideret. Quod quidem vitium, Michaelis Angeli Bonarotæ ingenium haud mediocriter torſiſſe dicitur, cum de moliendis inauratis laquearibus, quæ nunc habemus, conſilia agitaret, neque enim faciem operis propter hanc muri inclinationem extremitatumque eius curuitatem rectis lineis ad normam (id quod artis ratio magnoperè deſiderabat) concludere poſse cernebat, vt propterea non pariete ipſo ea ex parte rem terminare cogeretur, ſed recta quadam linea, quam ad ipſius parietis proiecturam perduxit, æqualibus interuallis à contrarii parietis extremitate diſtantem, inter quam & ipſum curuum parietem binum vtrinque ſpatium triangulare exiſteret, quo neceſsario fiebat, vt tectum, quàm pauimentum hoc ipſo ſpatio contractius eſſet. Nihilo verò firmior compages erat cæterorum parietum, quibus Eccleſiæ latitudo diſtinguebatur, præſertim eorum, qui minorum columnarum ordinibus erāt impoſiti, namquè laxatis eorum vbique iuncturis, omniquè ſtructura fatiſcente, ac debilitata nihil propius videbatur quàm vt a repentino aliquo motu terræ, vel imbrium paulo grauiore vi, non ægra modo, & inclinata ædificii, ſed firma etiam, ac ſolida, continenti ruina proſternerentur. Hæc vitia periculaquè ab religioſiſſima pulcherrimaquè ſacrarum ædium depellendi votum potius ad optandum, quàm ſatis animi ad agrediendum ſuperioribus Romanis Pontificibus fuit, ſumptuum videlicet, quos infinitos

tos futuros prouidebant imanitate deterritis, nec enim incipiendæ rei, ſine deiectione tecti, murorumquè, & noua totius ædificii molitione, vlla ſatis explicata ratio aparebat, Donec Innocentium Decimum inter initia Pontificatus ea in cogitatione magnoperè defixum, atque æmulandæ Magni Conſtantini gloriæ mirabili cupiditate incenſum caſus quidam diuinitus (vt credere par eſt) oblatus contemnendas ingenti animo difficultates omnes, remquè ſine vllo expenſarum reſpectu ſuſcipiendam erexit; Cum enim Columbæ Imaginem, à nemine antea notatam, in anteriore Templi facie propè ipſam Saluatoris effigiem adſpici accepiſset, propterea quod ea volucris gentilitium Pamphiliorum (qua ipſe ex gente prognatus erat) inſigne eſt, admoneri ſe protinus eius ſpecie egregius Princeps exiſtimauit ne opus ſuo ſæculo, ſuæquè gloriæ maniſeſto (vt rebatur) Superum fauore deſtinatum vlterius ſibi differendum iudicaret. Itaque Franciſcum Borominum celebrem noſtri temporis Architectum efficiendo operi conſtituit, eique moderatorem conſiliorum omnium, atque arbitrum Virgilium Spadam Congregationis Oratorij Presbyterum, ſuumquè interiorem Cubicularium, atque eleemoſinarum Præfectum conſummatiſſimi virum iudicij adiunxit; qui quidem reparandis nonnullis præſentiori remedio indigentibus pridem impoſiti, manus iam operi admouerant non dum tantæ amplitudini deſtinato. Hi igitur agitatis inter ſe diù, multumquè rationibus, perſpectaquè Pontificis voluntate à mutanda antiqui ædificij ſtructura, & ſequendo Iulii Secundi renouati Vaticani Templi conſilio vehementer abhorrentis; eodem tecto, ijsdemque parietibus, & fundamentis ad nouum opus vtendum ſibi conſtituere. Verum, quoad eam Baſilicæ partem quæ Apſidem ſiuè Tribunam, & quam Crucem tranſuerſam appellant, complectitur, abundè ei ſuperiorum Pontificum prouidentia, præſertim verò Clementis VIII. non ad elegantiam minus, quam ad vſum, firmitatemquè conſultum putauere: in reliqua verò ad portam vſque, placuit imprimis ordinem anteriorem Columnarum, quas corruptas, & labefactatas nulli amplius vſui eſſe ſupra iam demonſtrauimus, amouere, eiusq. loco inferiorem quidem parietum partem in vndecim arcus vniuerſam diſtinguere, quorum quidem medius deſinentes in ſe eoſdem parietes, vnaquè, & perpetua ſinuatio-

ne ad modum Theatri curuatos excipiens Decumanam Eccleſiæ portam complecteretur, reliqui decem iiſdem parietibus in directum ædificatis interiacerent. Inter binos quoſque horum arcuum tantum ſpatii relictum eſt, quantum duabus Paraſtatis (quæ ſtriatæ, cumque Capitellis Ordinis Compoſiti ad totam Templi altitudinem protendi deberent) & ſingulis inter eas Tabernaculis (de quibus infra dicemus) collocandis ſatis eſset, poſteriores verò Columnas, quibus quatuor minores Templi ambulationes, ſiue naues diſtinguebantur, pariter amouere placuit, & loco earum viginti Paraſtatas continuas ſubſtituere octo faciebus, ac totidem angulis conſtantes, quarum ſingulæ quatuor arcus à ſemet in decuſsem prodeuntes, ſibiquè ſecundùm Eccleſiæ longitudinem inuicem, ſecundùm verò latitudinem duobus, ex quatuor Eccleſiæ parietibus innixos ſuſtinerent, omni tamen curuitate adeò diſſimulata, vt adſpicientibus nequaquam arcuum, ſed Epiſtiliorum in directum ſuper paraſtatas incubantium ſpeciem præferant, niſi quod ſolidæ alatarum facierum effigies in epiſtiliorum huiuſmodi extremitatibus apparentes, cùm ſatis curuaturæ ad operis firmitatem efficiant, elegantiæ potiùs cauſa, quàm quod vlli vſui ſint adhibitæ, videntur; Egregio ſanè, & multi Ingenij, multæquè induſtriæ compendio. Hoc autem diſſimulandæ curuitatis artificium in tribus dumtaxat ex quatuor, quos memorauimus, arcubus adhibitum eſt, nàm quartus, qui nauem, ſeu fornicem inter Paraſtatas, & maiorem parietem in longitudinem Eccleſiæ porrectum amplectitur, manifeſtè curuus, & longè cæteris eminentior eſt; quò fit, vt altera deinceps, & extrema Eccleſiæ Nauis, cæterarum ſit humillima, idque præter debitam ædificij ſymmetriam, cui mirificè opportunum eſt; Illud quoque commodi in ſe habet quod locum feneſtris illuminando ſecundæ Nauis ſpatio neceſsarium præbet, qua feneſtrarum, & luminis commoditate, ne extremæ quoque naues Eccleſiæ fraudarentur admirabili ſane artificio prouiſum eſt, cumque natura loci ei rei magnopere aduerſante ſumma ingenij, atque induſtriæ contentione pugnatum. Inter directos huiuſmodi ad formam Epiſtiliorum arcus concameratio quoquè admodum depreſſa, & penè plana eſt. Cæterum columnæ quas diximus, primo quidem adſpectus è promiſcuo, & vulgari lapide confectæ a pleriſquè crede-

debantur, Cum verò tractari cœptæ ſunt, Lacedæmonii viridis miſti illius, & hilarioris marmoris ſummæ elegantiæ, ac inuſitatæ in tanto numero proceritatis apparuere; namque ſex, & triginta numero, in altitudinem quidem ſexdecim palmorum, in craſſitiem vero duorum ferme patentes repertæ ſunt; Earum itaque ſpecie, atque elegantia ad ornatum incœpti operis non vti, ſtultum omnino viſum eſt. Adhibitæ itaque ſunt ad conſtruendi da Tabernacula inter arcus Eccleſiæ, ſtriatasquè, quas diximus Paraſtatas, collocata, quæ ſequentium Principum liberalitatem inuitent ad abſoluendum eorum decorem, deſtinato ſtatuarum à loci dignitate non abhorrentium ornamento; & quia totius operis firmitatis magnoperè intererat ſolidos eſſe vſquequaque parietes totum ædificium ſuſtinentes, ſatius viſum eſt paulum a planitie parietum Columnas Tabernaculi ſubmouere, totamque eius molitionem prominentem in partem anteriorem efficere, quam maiore parietis craſſitie excauandæ vlterius Tabernaculi vacuitati locum facere, neque enim in maiorem Eccleſiæ nauem eam craſſitiem porrigere loci dignitas in ſui amplitudine magna ex parte conſiſtens patiebatur. neque in cæteras, anguſtiæ, quibus maximè quaternæ minores naues laborare repertæ ſunt; his accedebat, quod haud mediocri delectationi futurum credebatur Baſilicam adeuntibus, ſi primo ſtatim adſpectu pulcherrimorum huiuſmodi lapidum ſpecie veluti percellerentur, id quod aliter, quam prominentibus è parietum planitie Tabernaculis fieri non poterat; quoque minus ipſis Columnis è pariete reſiliendum eſset, Epiſtilia, illisquè ſuperpoſita impluuia, non plana illa quidem ex antiquis architecturæ præceptis, ſed in anteriorem partem ouali forma tumeſcentia (excogitato nuper artificio, atque in pluribus operum à Boromino perfectorum ornamentis adhibito) facta ſunt, ex marmore illa quidem coloris ſubnigri, bardiglia vulgo, acceſſito ab Hiſpanis vocabulo appellatur. eiuſdemque materiæ inferior quoque Tabernaculi pars eſt, & reliquus vſq; ad pauimentum ornatus. Hoc etiam ex lapide conſtructa eſt totius Templi interior crepido plana illa quidem, & omnis præter læuitatem ornatus expers, inque altitudinem trium circiter pedum aſſurgens vniuerſum interiorem eius ambitum, murorum videlicet, ac Paraſtatarum, quas diximus, amplectitur; ſuſtinetque imminentem ibi perpetuam

per omnem ſui circuitum veluti baſim, cum Toro, & Apophyge ex candido marmore, ſed nigricantibus ſubindè nebulis, ac venis inſperſo conſtantem. ex quo incredibile dictu eſt, quantum loco ſpeciei, ac maieſtatis, quantum intuentibus delectationis accedat. Ad ſuperiorem maiorum parietum partem ſuper Tabernaculis, quæ demonſtrauimus emblemata ad quadratæ tabellæ formam ſimæ ſculpturæ appoſita ſunt varias ſacræ Scripturæ imagines referentia, ita tamen vt dextera ex parte, noui, à ſiniſtra veteris Teſtamenti res geſtæ cernantur, binæque ſibi inuicem è regione reſpondentes effigies, bina pariter, ſed maximè inter ſe connexa Chriſtianæ Religionis myſteria repreſentent: id verò ea de cauſa factum eſt, quòd eius generis picturis in ipſo ſui primordio Saluatoris Baſilicam à Conſtantino Principe decoratam ex actis Nicenæ ſecundæ ſynodi accepimus; Vndè non leuia tunc ad redarguendam Iconomachorum impietatem, cultumquè ſacrarum Imaginum ſtabiliendum argumenta petita ſunt. Ac primò quidem picturas ipſius Conſtantini, quarum in eodem Niceno Concilio mentio eſt, reſtitui placuit. Harum autem altera triſtes admiſſi ſceleris recordatione primos humanæ ſtirpis auctores, interquè fugiendum ab igneo perſequentis ſe Angeli gladio amiſſam Paradiſi terreſtris felicitatem identidem reſpicientes effingit, ſpectaturque ab adeuntibus Eccleſiam ſiniſtro ex latere primo verſùs altare maximum in loco. Altera huic dextrorſum oppoſita ſocium cruciatuum Chriſti Domini latronem laxatam, tùm primùm ad Cœleſtem Paradiſum viam ſalutaris ſibi pœnitentiæ beneficio, ac Diuinitatis in Crucifixo homine mirabiliter agnitæ Confeſſione facientem. His aliæ deinceps Imagines adnectuntur, quas hiſce primis maximè conſentaneas eſse viſum eſt, quasque coniectare libet in Conſtantiniana ædificatione verè appoſitas, ſed breuitatis cauſſa in Nicena illa commemoratione omiſsas; Earum itaque proximum prioribns par à ſiniſtra quidem merſos aquarum diluuio mortales; à dextera vero conſeruatam Sacri Baptiſmatis remedio fidelium multitudinem ſignificat, idque in Chriſto Saluatore Baptiſmati ſe Ioannis in Iordani vorticibus ſubijciente; Tertio hinc deſtinatus luctuoſæ oblationi vnigenitus Abrahæ, & paternum gladium præparato iugulo iam accepturus, indè maximi poſt homines natos altiſſi-

tiſſimique Sacrificij Sacerdos idem, & victima ſuum gerens ipſe pro altari patibulum Chriſtus Dominus exprimitur; Mox impium de Ioſepho Patriarcha fraterni liuoris commercium, illique oppoſita de Chriſto Iudaicæ crudelitati prodito ſceleſtior multò, cæterùm ſucceſſus longè feliciſſimi ab Apoſtolo Iuda facta nundinatio; Sequitur Iſraelitici populi ſicca inter rubri maris vortices peragratio, reſpiciturque altero ex latere ab effigie Saluatoris, multa cum luce Sanctorum Patrum animas infernis in tenebris latentium adeuntis, easque ad æternæ gloriæ recenti ſuo ſanguine patefactæ fructum educentis. Poſtremum emblematum par in ipſa murorum curuatura circa eum arcum, qui maiorem portam complectitur à parte ſiniſtra, Ionam Prophetam è Ceti faucibus egredientem: à dextera verò deſignatam hac ipſa figura hiſtoriam reductis, à morte, atque Inferis Chriſti Domini refert; Atque ita duodecim veluti tabellis egregiorum, quos noſtra tulit ætas artificum, ingenio perfectis, inque conſpicua maximè templi parte poſitis, non ornatui modò Eccleſiæ, verùm etiam pietati Eccleſiam adeuntium fidelium conſultum videtur; præſertim eorum, quibus obtuſius Ingenium, & impar ad contemplanda in ſacris Scripturis, & ex verbi Dei auditione intelligenda Diuina myſteria mens eſt; quo maximè conſilio inſtitutam inter Chriſtianos ritus ſacrarum Imaginum venerationem, atque vſum, diſceſſumquè videri ea in re ab legis veteris obſeruatione, haud obſcura Sanctorum Patrum ſententia eſt. In hoc ſanè opus æream, aut certè marmoream materiam ædificij ratio, ac debita tàm præclaro labori perpetuitas omnino deſiderare viſa eſt, verùm ſtudio celeritatis (ob inſtantem, anni quinquageſimi ſolemnitatem, cuius frequentiæ abſolutam omnem ædificationem exponere Innocentius magnoperè cupiebat) factum eſt, vt marmoratum adhiberetur, eo tamen conſilio, vt exemplaris loco tantiſper eſſet, iuxta quod accedente deinde ſpatio temporis ſolidiores, & manſuræ effigies educi poſſent. Haſce hiſtorias excipiunt ſupernè ſingulis iminentia ſingula ouatæ formæ ſpatia, elegantibus florum palmarumque, & cæterarum frondium ſertis incluſa, quibus in ſpatijs relicta eſt intacta Conſtantinianorum parietum antiqua facies, vetuſtatis memoria, & poſteritatis erga ipsũ pietate, ac Religione venerabilis; ſequitur deinde Epiſtilium

ex

ex marmorato confictum Capitellis ſtriatarum, quas diximus, Paraſtatarum incumbens cum Zophoro laqueari ligneo ſubiecto, & Labari Conſtantiniani vndequaque imaginem elegantiſſimis ornamentis intermiſtam præferente. Atque hic eſt Eccleſiæ parietum inter arcus poſitorum ornatus; arcubus autem ipſis vndecim prægrandes feneſtræ ſupereminent, earumquè tres (vna videlicet à fronte, duæ verò lateralium mediæ) quaternis Columnis hinc indè ſuffultæ, omnesque ad laqueare ligneum vſque protenduntur, interrumpuntquè Epiſtilia, ac Trabeationem, quam ex opere tectorio confictam maioribus Eccleſiæ Paraſtatis inniti ſupra demonſtrauimus. Sed præcipuam totius operis laudem in corrigenda, quam ſupra oſtendimus dexteri Eccleſiæ parietis inclinatione fuiſſe conſtat, ad quod efficiendum, primò fundamenta haud quaquam oneri, quod latura erant paria ab exploratoribus reperta noua ſubſtructione confirmare, ac dilatare neceſſe fuit (id quod etiam per vniuerſum fere Eccleſiæ circuitum factum eſt) deinde cauernas complures, egerendo ibi Puteolano pulueri antiquitus effoſsas, replendas ea de cauſa, & complanandas curare. Quibus abſolutis ad poſteriorem vtriuſque muri partem ductus eſt alter murus æquali penè cum priore craſſitie, cumque illo (præter tenaciſſimæ calcis complexum) adeò ferrearum catenarum beneficio arctè, ſolidèque coaleſcens, vt vnicum prorſus ædificium videri poſſit; illudque neceſſariò accidit, vt paries dexter toto ſuæ curuitatis ſpatio craſſior altero euaderet; eo autem exceſſu paulatim poſtea reciſo, ac tota muri facie ad perpendiculum complanata; cooperto ad hæc per limborum, orarumq. laqueari extenſionem admirabilis artificij plenam, triangulari illo ſpatio, de quo mentionem ſupra fecimus (quod correcta parietis inclinatione, multò quam antea laxius apparuerat) prouiſoquè ſolerter ea ratione, ne quid illa tecti cum ſpatio parietibus interiacente inæqualitas, quam ſupra innuimus, intuentium oculos offenderet; nihil reliqui factum eſt, quominus debita toti ædificio firmitas, ac ſpecies redderetur. Cecidit autem peroportunè quòd tigna tecti maiora extantia ab exteriori vtriuſq; parietum latere reperta ſunt, quantum huic inædificationi neceſſarium erat, tamquam egregius ille artifex eiuſdem tecti molitor Bonarota Innocentianum hoc conſilium ingenio prouidiſſet, vel qua erat ſagacitate, neceſſarium iudicaſſet.

caſſet. Conſultum autem hoc modo non tantùm hodiernæ ſtructuræ rationi eſt, verùm etiam effectum, vt ſi poſt longa olim ſæcula, tecti lignei quacumque de cauſa pæniteat, ſatiusque videatur Templi faſtigium fornicis concameratione terminare, ne idonea compages laterum ſuſtinendo tanti operis ponderi deſideretur, adiectaquè propterea ſunt principia murorum, qui firmitatis gratia fornicatis templorum parietibus tranſuerſi inædificari exteriùs ſolent, & vulgo ſperones appellantur. Anterioris quoquè parietis firmitati, haud abſimilis operis molitione prouiſum eſt, portæquè in eo quinque, ſingulæ videlicet ad ſingulas quinque Eccleſiæ naues extructæ, cum clauſtris abiegnis, materia ſupra centum annorum vetuſtate, ac ſolidatione inſigni, nec minùs laudato ſtructuræ, & collocationis artificio, ſiquidem eximiæ proceritatis, ponderisquè cùm ſint, nihil penè operæ, nihilquè virium ad ſe commouendas, verſandasquè deſiderant. Harum autem mediæ, maximæquè imminet inſcriptio auctorem operis Innocentium ipſiusquè reſtaurationis rem geſtam breui, & eleganti elogio complectens his plane verbis.


INNOCENTIVS X.
PONT. MAX.
LATERANENSEM BASILICAM
CONSTANTINI MAGNI IMPERATORIS
RELIGIONE, AC MVNIFICENTIA EXTRVCTAM
SVMMORVMQVE PONTIFICVM PIETATE
SÆPIVS INSTAVRATAM
VETVSTATE IAM FATISCENTEM
NOVA MOLITIONE AD VETEREM
EX PARTE ADHVC STANTEM CONFORMATA
ORNATV SPLENDIDIORE RESTITVIT.
ANNO IVBILÆI MDCL.
PONT. VI.

Pauimentum in media quidem Eccleſiæ naue, quam à Martini Quinti liberalitate varii marmoris incruſtationem accepit,


inte-

integram quidem, ſed ab Innocentio Decimo coæquatam, & perpolitam adhuc retinet: addito nunc per omnem circuitum elegantiſſimi operis limbo e candido nigroque marmore ingenioſè confecto: in reliquis verò, quattuor tabellæ illud marmoreæ nigræ pariter, & candidæ non eleganti minus quam ſplendido artificio conſtrauere. Verùm hæc omnia, quia oratione complecti difficile eſt, oculis autem ſubiecta expreſſius multo, planiusquè contemplantium animis accedere ſolent; imaginem totius Innocentiani ædificii peculiari Icone comprehenſam hic apponendam curauimus.


Pars inferior interioris faciei Baſilicae Lateranenſis ab Innocentio X. inſtauratæ.



Pars Lateralis interioris faciei Basilicae Lateranensis ab Innocentio X. Summo Pontifice inſtauratæ.



NOVAE BASILICAE LATERANENSIS ICHNOGRAPHIA.



DE BASILICA
ET PATRIARCHIO LATERANENSI.

LIBER SECVNDVS.

De Miniſtris Diuini Cultus in Eccleſia Lateranenſe.

CAPVT I.

QVANDOQVIDEM de Baſilicæ Lateranenſis origine, ac nominibus, item de dignitate, caſuumquè varia fortuna, quibus à ſui primordio ad hæc vſque tempora vſa eſt, egimus libro ſuperiori, formamquè totius ædificii, ac partes, ex quibus moles vniuerſa conſtruitur, exequuti ſumus. Proximum eſt vt de regimine eiuſdem, cultuquè, ac ornamentis aliqua ſubiiciamus, ne quid omiſſum videatur ex iis omnibus, quæ debitum huic ſacrario apud omnes gentes honorem, venerationemquè conciliant. Initium autem faciam à Miniſtris, qui ad ſacra facienda cantusquè, ac precationes obeundas, reliquumquè diuini Cultus officium impoſiti ſunt, quorum quidem ratio, numerusquè, ac genera pro varietate temporum diuerſa traduntur. Et primò quidem ipſo ædificationis initio habuit in ſuo cultu Lateranenſis Baſilica Presbyteros, Diaconosquè, & cæterum Clerum Romanum, quem Summo Pontifici contiguas Templo ædes Imperatoria liberalitate tunc obtinenti, quoties ſacra faceret, adeſſe, & miniſtrare mos erat, iisquè diuinis myſteriis dumtaxat in ſuo quiſque ordine obeundis (quam Sacram Synaxim appellabant) exercebantur, pſallendi, canen-

diquè officio inferiorum graduum Clericis, ad hæc promiſcuè populi multitudini relicto, quæ pro eximia charitate, qua gentes Chriſtianæ in relligionem, quam recens induerant, incenſæ erant, ea re mirificè delectabatur: frequensquè admodum omnis generis turba conueniebat ad verbi diuini diſpenſationem, quæ fieri ſolebat à Summis Pontificibus aſſiduas ea tempeſtate conciones de rebus ad ſalutem, cultumquè diuinum neceſſariis habentibus. Nec diù fuit, vt eiuſmodi populi ſtudium omnino tepeſceret, Presbyterisquè, ac Diaconis, vtpote ſuorum cuiquè titulorum (quos primi ſortiti fuerant) regimini diſtractis, occupatisquè, minus quàm opus eſſet, ſpatii ad vacandum Eccleſiæ Matricis cultui relinqueretur. In horum itaquè locum à Gelaſio ſummo Pontifice inſtitutus fuit proprius Lateranenſis Baſilicæ Clerus, qui comuni victu, atque habitatione vteretur ſub inclyta ea tempeſtate Sancti Auguſtini regula, ex quo factum eſt, vt Canonici, hoc eſt Regulares appellarentur: intermiſſum autem à populo canendi, pſallendiquè munus excepere Monachi Cœnobitæ, quorum vſum pridem à Vercellenſe Euſebio ex Ægypto, ac Syria deportatum frequentem ea tempeſtate in Occidentalis Eccleſiæ partibus inſignis Sancti Benedicti pietas, ac ſanctitudo effecerat; opportune autem acciderat, vt euerſo à Longobardis Caſſinenſi Monaſterio, plerique eximiæ ſanctitatis viri frequentes adeſſent, multaque Ioannis Tertii Summi Pontificis liberalitate vterentur, eiusque permiſſu Cœnobium quoquè iuxta Baſilicam extruerent SS. Ioanni Baptiſtæ, & Euangeliſtæ; itemquè Sancto Pancratio dicatum, habeturquè illuſtris de eo mentio apud S. Gregorium lib. 2. Dialog. cap. 1. in hæc verba.

Huius Beati Patris ego omnia geſta non didici, ſed pauca, quæ narro quatuor diſcipulis eius referentibus agnoui, Conſtantino Sancto reuerentiſſimo valde viro, qui ei in Monachorum regimine ſucceſſit, Valentiniano, qui annis multis Lateranenſi Monaſterio præfuit, Simplicio, qui Congregationem illius poſt eum tertius rexit, & Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ eius, in qua prius conuerſatus fuerat, præeſt.

Floruitquè grauiſſimorum virorum copia, inter quos fama præcipui fuiſſe traduntur Sanctus Fauſtus Sancti Benedicti diſcipulus, ac ſocius Sancto Mauro itineris, quod ad propagandam

dam Monaſticam diſciplinam in Gallias vterque ſuſceperat, attributus, rerumque ab eodem Sancto Mauro geſtarum (quod quidem opus in hoc ipſo Monaſterio confeciſſe traditur) ſcriptor, Boniſiusque, & Valentinianus, ac Theodorus deinceps Abbates. Conſtat huius Monaſterii non minùs ædificium, quam diſciplinam procedente tempore vehementer afflictam fuiſſe, Gregoriumquè Tertium multum operæ, multumquè pecuniæ ad reparationem vtriuſque collocaſſe, redemptis prædiis antiquorum incuria alienatis, nouisquè attributis, quæ alendo congruo Monachorum numero ſatis eſſent, vt ſub certa Abbatis, quam illis impoſuit diſciplina, pœnitentiæ, ac diurnis, nocturnisque in Eccleſia precationibus, ac pſalmodiæ vacarent, quo tempore Petronace quodam viro ſanctiſſimo auctore aliquot è Lateranenſi Monaſterio Religioſi ad Caſſinenſem veterem Sancti Benedicti ſedem remigraſse, Cœnobijquè eius ampliſſimi veſtigia repetiſse dicuntur, ædificiumquè vetus reſtituiſse immenſis poſtea incrementis in hanc magnitudinem, atque opulentiam, qua modo Caſſinenſis familia fruitur, euectum. Neque ſatis præterea exploratum eſt, quibus de cauſis, temporibusque Monachis huiuſmodi Baſilica Lateranenſis caruerit; nam ſequutis aliquot ſæculis nulla à Scriptoribus mentio eorum habetur, ſed, quoties de Lateranenſi Monaſterio occaſio loquendi incidit, Canonici, de quibus iam diximus, commemorantur, qui deinde aucti numero, non Miſsarum ſacrificio tantùm, Sacramentorumquè diſpenſationi, ſed etiam cantui, ac Pſalmodiæ, reliquoquè item Eccleſiæ cultui vacauere, Ara dumtaxat Maxima excepta, ad quam præter ſummum Pontificem, ſeptemque Epiſcopos, de quibus antea loquuti ſumus, nemini mortalium ſacrificandi cauſſa accedere fas erat. Horum quoque Canonicorum diſciplinam tempore, vt fit, exoleſcentem, atque laxatam primus omnium Romanorum Pontificum Alexander Secundus eius antea inſtituti profeſsor ad priſtinam obſeruantiam reuocare aggreſſus eſt non ſine feliciſſimo egregii conatus ſucceſsu; Nam (ſi quæ vnquam alia religioſa familia) clarorum, & excellentium virorum gloria, ac virtutibus hoc Monaſterium floruiſſe conſtat, vt etiam Romanos Pontifices prætercam, qui à Ioanne de Nigraualle Apoſtolico Bibliothecario ante reformationem Alexandri nomen huic familiæ dediſſe commemoran-

tur. conſequuti ſunt enim non minus duodecim ad Apoſtolicam Cathedram e numero Canonicorum huius Congregationis euecti continuo non tamen ordine, Sergius nempe, & Landus primi. Stephanus, Eugenius, & Sergius Secundi. Stephanus Tertius, qui etiam Quartus appellatur. Benedictus Secundus, Tertius, & Quartus: Formoſus, & Zaccharias, & ipſe, quem diximus Alexander Secundus. Præterea nouem Vrbanus, Paſchalis, Honorius, Innocentius, & Lucius Secundi. Alexander, Innocentius, atque Honorius Tertii, atque Anaſtaſius Quartus. multiquè prꝼterea magni nominis Cardinales, interque eos præcipuus Bernardus, qui Monaſterio diù præfuerat ſub Innocentii Secundi Pontificatu, quemquè Eugenius Tertius Cardinalem tituli Sancti Clementis presbyterum creauerat. Huius Congregationis Cœnobii nonnullæ Reliquiæ etiam nunc exſtant inter Apſidem Eccleſiæ, ac Porticum Sancti Venantii, vbi videre eſt vetus claustrum columnis aliquot antiquæ ſtructuræ ſuffultum cum horto, & ciſterna. Adſunt inſuper veſtigia domus ſuperioris cum dormitorio, & cellis hinc inde diſpoſitis, vt nihil omnino ad perfecti Monaſterii ſpeciem deſideres, quin ad parietes horti, quem diximus, notandum in primis eſt antiquæ formulæ elogium opere muſiuo conſcriptum, in hanc, quæ ſequitur, ſententiam.

Canonicam formam ſumentes diſcite normam,
Quam promiſiſtis, hoc clauſtrum quando petiſtis,
Diſcite ſic eſſe, tria vobis adeſſe neceſſe,
Nil proprium, morem, caſtum portando pudorem,
Clauſtri ſtructura ſit vobis docta figura,
Vt ſic clareſcant animæ, moresquè niteſcant,
Et ſtabiliantur animo, qui Canonicantur,
Vt coniungantur, lapidesquè ſic polliuntur,
Gaudeat . . . nouellis . . . Chriſtoquè fidelis
Qui ſua dimiſit operi, vel mundi.

Porrò Regulares Canonici ſpatio plurium ſæculorum permanſere apud Baſilicam Lateranenſem viuentes more Monachorum, ac tandem Bonifacius Octauus anno ſalutis milleſimo ducenteſimo nonageſimo, eos expulit ex Laterano propter dila-

lapſam, & deprauatam morum diſciplinam, & ſæculares Canonicos Ciues Romanos eis ſubrogauit, diſtincta ſtipendia ſingulis conſtituens. Rurſus Eugenius Quartus vtpote, qui ante Pontificatum Monachus fuerat in Congregatione Cœleſtinorum, adeoquè Regularibus viris erat apprime addictus, ſubmouit e Laterano Sæculares Canonicos, ſuffecitque iis de integro Regulares, clauſtrum pene à fundamentis reſtituens, ægre ferentibus Romanis ſuos nimirum ciues Eccleſiæ huius miniſteriis, atque eorum emolumentis priuari. Hi verò manſerunt in Laterano vſque ad Nicolai Quinti Pontificatum, quo e viuis ſublato, ortoquè in Vrbe tumultu, pulſi ex Laterano Regulares Canonici fuere, atque iterum introducti Sæculares. Calliſtus verò Tertius ad melius Eccleſiæ ſponſæ ſuæ regimen hos in ea conſtituit rogatu Populi Romani, & fuere numero decem & octo; inter quos quinqne Barones, hoc eſt Romani Proceres cenſebantur; Paulo deinde Secundo ad Pontificatum aſſumpto, denuo Lateranenſis Eccleſia perturbata eſt, inſiſtens enim Paulus Eugenii Auunculi ſui veſtigiis, Regulares Canonicos in Laterano reſtituendos iudicauit, minimè tamen amotis Sæcularibus, quod ita Eccleſiæ obſequiis melius proſpectum iri cenſeret. Hi ſeorſim rem ſacram habebant, Pontifex autem dabat operam, vt qui præmorientibus ſubinde ſupererant Sæculares Canonici, (quò ſenſim eorum nomen aboleretur) ſponte ſe ſtipendiis, ac reditibus abdicarent, neque alios ſubrogabat: quin etiam vt id faciliùs præſtarent, largis, & liberalibus prouentibus relictos Canonicatus compenſabat, quod ſi abnuerent aliqui, & mallent Canonicatum alijs reſignare, conſenſum eis Pontifex denegabat, nempe hoc pacto fieri poſſe arbitrabatur, vt tandem beneficia omnia in vnum corpus redacta poſſent eſse ſatis vitæ Monachorum Regularium ſuſtentandæ, ne alere illos eſset neceſſe ſuo, vel Cameræ Apoſtolicæ ſtipendio. Ità demùm euenturum, vt ſublatis penitus Sæcularibus Canonicis, Regulares abſque iniuria cuiuſquam Lateranenſis Baſilicæ prouentibus liberè potirentur.

Quin etiam terrore, ac minis aduerſus reluctantes vtebatur, neque tamen efficere potuit, ne plerique etiam ſe inuito inſemel poſſeſſis ſacerdotijs perſeuerarent; rerumquè mutationem operientes patienter interim ſeditiones turbasquè perferrent,

rent, quas inter eos ordines graues admodum, & periculoſas in ſolemnioribus quibusque anni diebus principis loci cupido, ac dignitatis æmulatio identidem commouebat; neque alia re magis à Paulo Pontifice Romanorum animos abalienatos eſſe memorant, id quod primis ab eius obitu diebus apparuit; namque Regulares Canonici repentinis populi turbis in eos excitatis, cedere Laterano coacti ſuut, locumquè Sæcularibus cum omni antiquo iure, laxius liberiusquè obtinendum relinquere, donec Sixtus Quartus Pauli ſucceſſor diuturnæ huiuſmodi, ac moleſtæ controuerſiæ finem imponeret, attributo expulſis hiſce proprio cœnobio vnà cum templo, quod tunc ille media in Vrbe magnificum ſanè, vt illa ferebant tempora, & elegans ædificauit, & Sanctæ Mariæ de Pace vocabulum ferre iuſſit, quo factum eſt, vt Sæculares à nemine ampliùs in Lateranenſis Eccleſiæ miniſterio interpellati accepto ab eodem Pontifice beneficio adhæc vſque tempora liberè, pacatèque fruantur. Illud quoque memoratu haud iniucundum crediderim, Sæculares etiam Canonicos nocturna olim huius Templi miniſteria obire conſueuiſſe, vti oſtendunt complura decreta Capitularia, quibus à ſeruitio nocturno eximebantur Epiſcopi, qui inter huius Baſilicæ Canonicos tunc erant. Quadruplex eſt ergo Clericorum Ordo, qui ad ſacra obeunda miniſteria Baſilicæ Lateranenſi ſunt attributi, quorum cenſus huiuſmodi eſt. Canonici decem, & octo diſtributi in Eccleſiaſticos ordines, itaut octo ſint Presbyteri, quinque Diaconi, totidem Subdiaconi. vniuerſis præeſt Archipresbyter, qui ſemper eſſe ſolet S. R. E. Cardinalis, vt exponam capite proximè conſequenti. Hi verò nempe Archipresbyter, & Canonici Eccleſiam Lateranenſem gubernant, pertinetquè ad eos tam ſpirituale, quàm temporale illius regimen. Hi etiam ſtatis hebdomadibus per vices diuinis horis interſunt, & feſtis diebus ſolennia peragunt ſacrificia. Alter ordo ex ijs conſtat, quos Beneficiatos appellamus, qui pariter horis Canonicis interſunt, & Miſſas feriarum diebus celebrant, ſunt autem decem Presbyteri, ſex Diaconi, totidem Subdiaconi. Tertium ordinem explent Cappellani duodecim, qui Choro inſeruiunt inſtar Beneficiatorum. Ex his quator appellantur Clementini, propter aſſignatos eis prouentus à Clemente Octauo; Quatuor Vrbani, quorum Vrbanus Octauus auctor eſt; Hilarij totidem,

dem, ab Hilario nempe Mauro, ad Lateranenſis Odei maiorem frequentiam inſtituti. Quartus, & nouiſſimus Ordo eſt Clericorum, qui octoni numero in Acolythorum miniſterio Choro, & ſacrificijs præſtò ſunt: adſunt præterea Cappellani duo à Fuluio Vrſino olim Canonico erecti, qui ad concentum Eccleſiaſticum augendum Choro ſemper interſunt vnà cum Cantoribus, atque hi numero duodeni à Baſilica Lateranenſe aluntur. Augent inſuper Cleri numerum Manſionarii, Sacriſta, & inferiores Miniſtri complures ad maius huius Eccleſiæ commodum, & dignitatem. Præterea Pius Quintus ad ſacras audiendas confeſſiones, atque ad grauiora peccata remittenda, qui caſus reſeruati dicuntur, Collegium Pœnitentiariæ Baſilicæ Lateranenſis attribuit fratribus Minoribus ſtrictioris obſeruantiæ, qui eximia non minùs pietate, quàm diligentia munus hoc obeunt.

De Archipresbyteris Baſilicæ Lateranenſis.

CAPVT II.

POST amotos à Bonifacio Octauo è Conſtantiniana Baſilica Regulares Canonicos loco Priorum, qui eis præerant, ſuffecti ſunt Archipresbyteri, & hi fuerunt ſemper S. R. E. Cardinales. Et quamuis inter Epiſtolas, quas B. Petrus Damiani ad S. R. E. Cardinales ſcripſit, vna inueniatur cum hac inſcriptione.

Petro S. R. E. Cardinali Lateranenſis Canonicæ Archipresbytero.

Quia tamen apud ſcriptores nullam niſi poſt exactos Canonicos regulares mentionem Archipresbyteri Lateranenſis reperio, in ea ſum ſententia, vt exiſtimem Petrum hunc ſpeciali conſilio ab Alexandro Secundo Pontifice præfectum Lateranenſi Choro fuiſſe, ornatumquè Archipresbyteri appellatione, vt morum, ac inſtituti emendationi, de qua ſupra egimus, operam daret, quam quidem ſententiam eò magis inducor, vt ſequar, quia epiſtola huiuſmodi de coercenda Clericorum intemperantia, continendisque in officio eorum moribus, adhortandoq. ad hæc omnia pro viribus curanda cum eo Cardinali in primis agit. Sed & apud Ciaconium his fere verbis habetur mentio Petri cuiuſdam Cardinalis, qui initio Pontificatus Alexandri Secundi Præpoſitus Sancti Gregorii in Patriarchio Lateranenſe vocatur, & Viceſgerens Bibliothecarii Romanæ Sedis; quapropter credi etiam poteſt hunc eſſe Petrum, ad quem miſſa epiſtola fuerit Cardinalis Petri Damiani, nempe æqualis eius, & qui cum eo tem-

tempore ſcriberet, ac vigeret, potuit illius conditionem, ac dignitatem perſpectam habere. Cæterum exploratum omnino eſt, poſt exactos regulares Canonicos, primum Eccleſiæ Lateranenſis Archipresbyterum renunciatum à Bonifacio Octauo fuiſſe Gherardum Blancum Parmenſem de Villa Gailago Epiſcopum Cardinalem Sabinenſem, qui poſtea in Laterano ſepultus eſt.

Succeſſorem Gherardus habuit Petrum Valerianum Priuernatem Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ Nouæ, ac S. R. E. Vice Cancellarium, qui ſub Romanis Pontificibus Bonifacio Octauo, Benedicto Vndecimo, & Clemente Quinto præfuit in Laterano, ibidemquè tumulari voluit.

Petro ſuffectus eſt Ioannes Columna Romanus Diaconus Cardinalis Sancti Angeli, & vixit Pontificibus Ioanne Vigeſimoſecundo, Benedicto Duodecimo, & Clemente Sexto.

Sub eodem Clemente Sexto, Innocentio item Sexto, & Vrbano Quinto Pontificibus Baſilicæ Lateranenſi præpoſitus fuit Petrus Rogerii Monſtrius de Malmonte natione Gallus, Diœceſis Lemouicenſis, & S. R. E. Cardinalis Diaconus S. Mariæ Nouæ, qui deinde ad Pontificatum euectus appellatus eſt Gregorius Vndecimus.

Succeſſor eius fuit in eodem Archipresbyteratu Angelicus Grimoardus è Griſaco, Gallus natione, Diœceſis Mimatenſis, qui antea fuit regularis Canonicus, & poſtea Epiſcopus Cardinalis Albanus, exceſſit verò è viuis ſedente Vrbano Sexto Pontifice.

Sub eiuſdem Pontificatu eſt renunciatus Baſilicæ huius Archipresbyter Petrus Tomacellus Neapolitanus ex Diacono Sancti Georgij in Velabro, Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Anaſtaſiæ, qui poſtea etiam ipſe Pontifex fuit, & Bonifacius Nonus eſt apellatus.

Hic verò Archipresbyterum adlegit Franciſcum Carbonum Neapolitanum ex Presbytero Cardinale tituli Sanctæ Suſannæ Epiſcopum Cardinalem Sabinum, qui diem vitæ poſtremum obijt ſedente Innocentio Septimo, cum fuiſſet etiam Maior Pœnitentiarius.

Poſt hunc munus Archipresbyteri geſſit Antonius Caietanus Romanus ex Presbytero Cardinale tituli Sanctæ Luciæ Epiſcopus Cardinalis primò Præneſtinus, deinde Portuenſis, ac San-

N ctæ

ctæ Ruffinæ, vixitquè ſub Pontificatu Innocentij Septimi; Gregorii Duodecimi, Alexandri Quinti, & Ioannis Vigeſimitertii.

Quo deinde Pontifice Oddo Columna Romanus S. R. E. Diaconus Cardinalis Sancti Georgii in Velabro idem obiuit munus, cum antea Lateranenſis Canonicus fuiſſet, atque is vniuerſæ Eccleſiæ conſenſu in Concilio Conſtantienſi creatus eſt poſtea Summus Pontifex, & Martinus Quintus appellatus.

Hic autem tres deinde ordine continuo Archipresbyteros Lateranenſis Baſilicæ creauit; fueruntque Alamannus Adimarius Florentinus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Euſebii.

Guilelmus Filaſterius natione Gallus Cenomanenſis, & S.R.E. Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marci.

Alphonſus Carillus natione Hiſpanus S. R. E. Diaconus Cardinalis Sancti Euſtachii, qui Eugenio Quarto Pontifice mortuus eſt.

Lucidus de Comitibus Romanus S. R. E. Cardinalis Alphonſo ſucceſſit, qui è viuis exceſſit ſuperſtite adhuc Eugenio Quarto.

Poſt eum adlectus fuit Angelottus Fuſcus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marci, qui in Laterano Sepultus eſt.

Sedentibus dein Nicolao Quinto, & Calliſto Tertio fuit Archipresbyter Baſilicæ Lateranenſis Dominicus Capranica Romanus S. R. E Cardinalis, & vir egregiis animi dotibus, & rebus geſtis in primis clarus.

Poſt Dominici obitum præfuit eidem Baſilicæ Proſper Columna Romanus Diaconus Cardinalis Sancti Georgii in Velabro, dum Pontificatum regeret Pius Secundus ex gente Piccolominea, ſub quo etiam Pontifice Proſper è viuis deceſſit.

Pius Pontifex Archipresbyteratum Eccleſiæ Lateranenſis contulit Latino Vrſino Romano Presbytero Cardinali tituli Pammachii, & deinde Epiſcopo Albanenſi primùm, poſtea Tuſculano, & S. R. E. Camerario, qui Pontificibus Pio Secundo, Paulo item Secundo, & Sixto Quarto ſuperſtes fuit.

Iulianus de Ruuere genere ligur, & patria Sauonenſis Latino ſucceſſit, qui ex Presbytero Cardinali tituli Sancti Petri ad Vincula Epiſcopus Albanenſis primùm, ac deinde Epiſcopus Oſtienſis,

ſis, & Maior Pœnitentiarius, & demùm etiam Romanus Pontifex fuit, nempe Iulius Secundus.

Hic ſucceſſorem ſibi adlegit in Lateranenſi Archipresbyteratu Ioannem Columnam Romanum Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ in Aquiro, qui Iulio ſuperſtite diem vitæ poſtremum obijt.

Iulius itaque ſuffecit ei in Archipresbyteratu Alexandrum Farneſium Romanum, qui ex Diacono Cardinale ſancti Euſtachij fuit Epiſcopus Tuſculanus, Præneſtinus, Sabinus, Portuenſis, Oſtienſis, Pontificibus Iulio Secundo, Leone Decimo, Hadriano Sexto, & Clemente Septimo, cui in Pontificatu ſucceſſit Paulus Tertius appellatus.

Hic verò ſucceſſorem ſuum in Archipresbyteratu renunciauit Ioannem Dominicum de Cupis Romanum S. R. E. Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, & ab Archiepiſcopatu, quem geſſit, Tranenſem nuncupatum.

Eo vita functo, Archipresbyter creatus eſt Rainutius Farneſius Romanus Diaconus Cardinalis S. Angeli, & Maior Pœnitentiarius, atque is Lateranenſi Baſilicæ præfuit Pontificibus Iulio Tertio, Marcello Secundo, Paulo, & Pio Quartis.

Pius Pontifex ei deinde defuncto ſubſtituit Marcum Siticum ex Comitibus ab Altaemps Diaconum Cardinalem Sancti Angeli, & deinde Cardinalem Presbyterum tituli SS. Duodecim Apoſtolorum, tum S. Clementi, ac poſtremò S. Mariæ Tranſtiberim, qui vixit Pontificibus Pio Quinto, Gregorio Decimotertio, Sixto Quinto, Vrbano Septimo, Gregorio Decimoquarto, Innocentio Nono, & Clemente Octauo

Huic ſucceſſit in Archipresbyteratu Aſcanius Columna Romanus, vir eximijs virtutibus, & de Lateranenſe Baſilica optimè meritus, vt infra dicam. Hic ex Diacono Cardinale primùm S. Mariæ Nouæ, dein S. Mariæ in Coſmedin, etiam presbyter Cardinalis fuit tituli S. Pudentianæ, ac tituli S. Crucis in Hieruſalem, atque inſuper Epiſcopus Præneſtinus, deceſſitquè è viuis ſedente Paulo Quinto Pontifice, atque in Laterano tumulari voluit iuxta Martini Quinti Pontificis Gentilis ſui ſepulcrum.

Archipresbyter poſt eum fuit Scipio Burgheſius Romanus Pauli Quinti Pontificis ſororis filius, Presbyter Cardinalis tituli S. Chryſogoni, & maior Pœnitentiarius.

Scipio autem ſponte huius Baſilicæ Archipresbyteratum, Paulo Quinto Pontifice Auunculo annuente, ceſſit Ioanni Baptiſtæ Lenio Presbytero Cardinali tituli Sancti Sixti primùm, ac deinde tituli Sanctæ Cæciliæ.

Huic verò ſuffectus eſt Franciſcus Barberinus Florentinus Vrbani Octaui Pontificis ex fratre nepos, & Diaconus Cardinalis Sanctæ Agathæ, qui poſt annum ceſſit eumdem Archipresbyteratum Hieronymo Columnæ Romano Cardinali Diacono tituli Sanctæ Agnetis in foro Agonis, deinde Sanctæ Mariæ in Coſmedin, Sancti Angeli in foro piſcium, ac Sancti Euſtachii, mox ordinem Presbyteratus tituli primo S. Syluestri in capite, deinde S. Mariæ Tranſtiberim adepto, cui adhuc ſuperſtiti florentiquè longum huius Eccleſiæ regimen precor.

De Baſilicæ Lateranenſis ornamentis.

CAPVT III.

ACTVRVS de huius Baſilicæ aureis, argenteisquè ornamentis, de ſacris eius veſtibus, atque imaginibus, deque Principum donariis ei collatis, meritò initium faciam ab Imperatore Conſtantino, qui primus eam conſtruxit, & muneribus ampliſſimis locupletauit, vti S. Damaſus tradit in vita Sancti Silueſtri, cuius nos auctoritatem hac in re ſequuti ſumus. Primò faſtigium argenteum, hoc eſt eminentior Eccleſiæ frons, munus fuit Conſtantini, eratquè, librarum bis mille viginti quinque: Item Saluatoris imago argentea duplex, altera ſedentis in ſella altitudine pedum quinque, librarum centum & viginti, altera ſimilis ſedentis in throno librarum centum, & quadraginta: ad hæc Apoſtoli duodecim altitudine pedum quinque, pariter argentei, librarum ſinguli nonaginta: Quatuor item Angeli gemmati, quorum ſinguli erant librarum centum & quinque: præ-

terea

terea Camera Baſilicæ, ſeù Ciborium ex auro tum longitudine, tum latitudine librarum quingentarum, & altaria ſeptem argentea librarum ducentarum: Coronæ aureæ quatuor ornatæ vicenis Delphinis, & ſingulæ librarum quindecim: Pharus aurea cum Delphinis quinquaginta, & cum catena librarum viginti quinque: Sed & aliam Pharum etiam, & Cantharum aureum ante altare collocauit, in quo ardebat oleum Nardinum, eratquè librarum quadraginta. Phari præterea, & Canthari argentei librarum quadraginta quinque erant in medio Baſilicæ oleo inſtructi pariter Nardino. Item Phari, & Canthari argentei quadraginta in dextera Baſilicæ, & viginti quinque in læua cernebantur, ſinguli librarum viginti, & ſimiles Canthari Ceroſtrati quinquaginta in medio Baſilicæ, qui omnes erant librarum viginti, regiæ eiuſdem Principis munificentiæ teſtimonia: quemadmodum etiam fuerunt Metretæ argenteæ tres, ſingulæ librarum trecentarum, portantes medimnos decem: item Candelabra ſeptem inaurata altitudine pedum decem argentea, celatura & Prophetarum imaginibus inſignia pro luminaribus Templi, erantquè ſingula librarum trecentarum: Hamæ aureæ duæ, ſingulæ librarum quinquaginta, portantes Medimnos tres: & Hamæ argenteæ viginti ſingulæ librarum decem, portãtes ſingulos Medimnos: Scyphi ex auro puriſſimo ſeptem, ſinguli librarũ decem: præterea Scyphus vnus Corallis, & gemmis Praſinis, ac Sapphyrinis circumquaque ornatus, auroque ex omni parte incluſus librarum viginti: Scyphos idemque argenteos viginti ſingulos librarum quindecim donauit: ad hæc minores Calices argenteos Miniſteriales, quos appellabant, numero quingentos, erantquè ſinguli duarum librarum, aureos verò Calices quinquaginta ſingulos ponderis vnius libræ, & Patenas aureas ſeptem ſingulas librarum triginta: Duo Thymiamateria aurea, ſingula librarum triginta, cum aſſignato aromatum prouentu librarum quinquaginta in ſingulos annos, vt ante aram maximam collocarentur. Hydrias duas argenteas, ſingulas librarum centum, quas poſtea Leo Primus Pontifex cum aliis quatuor eiuſdem ponderis, quæ in Baſilicis erant Sancti Petri ad Vaticanum, & Sancti Pauli via Oſtienſi, ſicut, & vaſa ſacra omnia à Vandalis in Vrbis direptione ablata ſuis quæque titulis reſtituit. Vniuerſa hæc ornamenta inæſtimabilis pretij, & ſupellectilem omnem

nem ad vſum, & ſplendorem huius Baſilicæ, quam breuitatis cauſa ſilentio prætereo, Conſtantinus religioſiſſimus Imperator munificentiſſimè largitus memorabile ſanè ſuæ pietatis, & religionis argumentum eſſe voluit. Libet autem pleraque ornamentorum huiuſmodi nomina ab vſitato ſermone paulò remotiora exponere, & primò quidem.

Pharus turrim, ſeù columnam ſignificat, cui lampades ſuperimponebantur, ſumiturquè eius appellatio à turribus, quæ in plerisque portubus lumen nocturno tempore præferentes, erroribus & imprudentiæ nauigantium, occurrunt; eæ ſiquidem Phari vocabulum ab inclyta illa in inſula Pharo in hunc ipſum vſum edificata turre ſortitæ ſunt.

Cantharus lampas erat magni Crateris formam referens, ſic enim à Poëtis Crater Bacchi appellatur: erat verò inſtar Phari, eiquè crater ſuperimponebatur ad vſum lampadum.

Cerostata perinde lampas erat ad cornu ſimilitudinem, quod Cerros græcè appellatur.

Delphini, & *Coronæ* lampades erant ad eorumdem ſimilitudinem conformatæ, interdum tamen pro Corona intelligitur Pharus, cum itidem ſit forma rotunda;

Lychnus, & *lucerna* idem ſunt, quare Anaſtaſius ſæpè pro lucerna candelabrum intelligit, quo lumen ſuſtinetur, & lychni nomine lampadem exprimit.

Hamæ ſunt vaſa aurea, & hoc vocabulum habent.

Thymiamateria ſunt vaſa odoraria ad ſacrum Templi ſuffitum, & ad excitandam odoris fragrantiam.

Conſtantini Imperatoris exemplum complures, & Pontifices, & Imperatores, & Reges ſunt ſequuti, nam Valentinianus Auguſtus rogatu Sixti Tertij Pontificis fecit denuò in Lateranenſe Baſilica ex argento faſtigium eius, quod bello Gothico à barbaris ſublatum fuerat, eratquè bis mille viginti quinque librarum.

Hilarius Papa eidem Baſilicæ hæc munera ampliſſima donauit: decem Pharos, & Cantharos argenteos librarum quadraginta, vt penderent ante altare; Scyphum aureum librarum ſex, & alium Scyphum perinde aureum librarum quinque; Calices aureos quinque, ſingulos libræ vnius, & Calices miniſteriales viginti

ginti, ſingulos librarum duarum; Hamas argenteas quinque, ponderis librarum decem.

Simplicius Papa donauit eidem Baſilicæ Scyphum aureum librarum quinque. Hormiſdas verò ante eius altare collocauit Arcum argenteum librarum viginti, & Cantharos argenteos ſexdecim, ſingulos librarum quindecim.

Gregorius Secundus Calicem aureum dedit librarum trium, & Patenam auream librarum viginti octo.

Gregorius Tertius in Lateranenſe Baſilica iconem Deiparæ Virginis collocari iuſſit ex argento cælatam librarum quinquaginta, dedit etiam Calicem aureum ſatis magnum, nempe librarum vnde triginta refertum gemmis, & Patenam auream gemmis perinde ornatam librarum viginti ſex; Codicem ſacrum Euangeliorum tabulis aureis compactum librarum quindecim, & præterea donauit ad altaris miniſterium veſtes pretioſas complures.

Hadrianus Primus eidem Baſilicæ dedit pollubra argentea tria, quæ Gabbates dicebantur ad lampadum vſum librarum centum; Delphinos item argenteos quamplurimos librarum triginta: & inſuper veſtem Pontificiam pretioſam, quæ appellabatur Stauracia & vela, vti loquitur Anaſtaſius, per diuerſos Arcus Syricia numero quinquaginta ſeptem, omnia ex pallijs quadrapolis, ter Stauracia.

Leo Tertius in vſum Conſtantinianæ Baſilicæ veſtes altaris duas feciſſe perhibetur, quarum vna ex Chyſoclauo, & gemmis, vt Bibliothecarius ait, intextam habebat hiſtoriam Chriſti Domini introeuntis in ſanctam Ciuitatem, alia ſimilis texturæ Dominicæ Reſurrectionis imaginem referrebat: In circuitu verò altaris vela Holoſerica rubra quattuor, totidem alba cum Chryſoclauo, tria etiam ante ſacras Imagines cum fimbria, quam Liſtam vocant, aliaquè ſerica coloris albi numero ſeptem & triginta dono dedit: ornamenta inſuper adiecit, quæ Anaſtaſius appellat Tetrauela circum altare alba holoſerica, ex quibus vnum in medio tabulam cum Cruce ex Chriſoclauo repræſentabat. Immò ipſummet Altare maius ex argento nitidiſſimo decoratum reſtituit perquàm magnificè, coronasquè ex argento appoſuit alias librarũ viginti trium, & alias librarum quinq; & Cantharos pariter ex argento librarum viginti octo: Aditum

verò

verò Altaris argento exornauit,& conueſtiuit rugas librarum quadraginta octo,& vnciarum octo ; arbitror columellas eas ſignificari , quas *Balauſtrate* Itali appellant,atque inſuper dedit Coronas alias ex argento librarum duodecim , & veſtes duas Chyſoclauas referentes tum hiſtoriam Reſurrectionis Dominicæ , tum Iconem ſanctiſſimæ Crucis .

Gregorius Quartus veſtem auream textilem hiſtoria Palmarum , & Dominicæ Cœnæ figuratam eidem Baſilicæ donauit ; alteramquè ſimilem veſtem cum Chryſoclauo ad frontem altaris , quæ hiſtoriam præſeferebat Sancti Ioannis Baptiſtæ , & Sancti Ioannis Euangeliſtæ : Ad altare autem circum ornandum obtulit eiuſdem operis vela , & expicta in eis Griphorum ſigna .

Sergius Secundus , qui ambitum Sacri altaris fieri laxiorem iuſſit, ad eius ornatum obtulit vela coloris albi Holoſerica numero viginti exornata in gyrum aurato limbo (de fundato appellant) & perinde alia vela viginti ex aureo panno , ſed prætextato in gyrum Blatteo , hoc eſt rubeo limbo .

Carolus Magnus Francorum Rex à Leone Tertio Romanorum Imperator creatus obtulit Lateranenſi Baſilicæ Crucem auream Hiacynthinis gemmis locupletatam , quam idem Pontifex eiuſdem Caroli rogatu in ſupplicationibus circumferri mandauit . Eamdemque poſtea furto ablatam gemmarum ornamento ſpoliatam , cum eſſet Caroli Magni nomine , ac liberalitate nobilis , Leo Quartus Pontifex redemit , & gemmis , tum Hiacynthinis , tum Praſinis rurſus ornauit , & antiquo ſupplicationum vſui reſtituit . Idem Carolus altare cum Columnis argenteis , & Ciborio exſtruendum curauit , adiecto inſuper Euangelij codice auri puriſſimi textura , & gemmarum ornatu inſigni . Idem Leo Quartus aliam Crucem auream gemmatam dedit , quæ à Subdiacono more maiorum ante Pontificem perferri deberet .

Benedictus Tertius Pontifex Icónem argenteam auratam Saluatoris proterentis Leonem , & Draconem librarum ſexaginta ſex donauit .

Nicolaus Primus Pontifex aliquot argenteas Cruces dedit,ſingulas libræ vnius,ac ſemis , quæ inſtar candelabrorum cereis inſtructæ,feſtis ante auguſtiſſimam Euchariſtiam diebus arderent ;

Ser-

Sergius Tertius, qui penè à fundamentis, vt dixi, Lateranenſem Baſilicam inſtaurauit, ornamenta ei plurima aurea argentea, æreaquè, & ſacras præterea veſtes attribuit, ex quibus peculiaris mentio in eiuſdem Baſilicæ archiuiis habetur Imaginis Saluatoris aureæ, librarum quinque; referuntur præterea Imagines argenteæ tres, quarum vna dexteram auream habebat, & fibulam in pectore gemmatam; Crux aurea vna; duæ argenteæ, in quarum altera pendentis Chriſti Domini Imago aurea, in altera Agni ex auro confecti, gemmisquè conſpicui cernebatur; Crux item aurea, ſed parua; Cruces argenteæ quatuor, ex quibus Gabatæ præpendebant; Crux argentea aurata, ſed parua; ciborium partim aureum, partim argenteum miræ pulchritudinis, & gemmis interſtinctum librarum ducentarum, & quinquaginta; Arcus argentei ſex, Columellæ item argenteæ duodecim cum vaſculis, & pomis pariter argenteis; Vectis argentea, ex qua lampades pendebant; aurea Corona cum Crucibus duabus; duæ aliæ coronæ ex mixtis metallis, & rurſus quinque argenteæ Coronæ cum decem delphinis; vas paruum chryſtallinum auro illigatum; Oenophora duo argentea magna gemmis exornata; duo locelli, ſeù vaſa argentea aurata, & gemmis referta; Fibula aurea pariter redimita gemmis; Ciſtulæ argenteæ duodequadraginta, Gabatæ argenteæ viginti quinque; Thuribula quatuor argentea, & ſacræ veſtes holoſericæ auro intertextæ, aliaquè maximi precii ornamenta.

Innocentius Secundus ad ornatum Altarium huic Baſilicæ munera complura largitus eſt, inter quæ fuerunt præcipua, Pallium, & Planeta ad Miſſæ Sacrificium auro contexta, & inſtrumentum, quo altare ipſum veſtiretur, quod Tharantaſmum, appellabant, & inſuper Thuribulum argenteum librarum vndecim.

Lucius Secundus, qui ante Pontificatum Lateranenſis Eccleſiæ Canonicatum obtinuerat, octauo poſt conſecrationem die donauit eidem volumen Euangeliorum compactum laminis aureis opere Encauſtico exornatis, & gemmis precioſiſſimis intertextum, atque inſuper in vſum ſacrificiorum duas prægrandes Ampullas argenteas inauratas, & præclaro artificio elaboratas cum veſtibus ſacris pro miniſterio Altaris.

Anaſtaſius Quartus ad aræ maximæ ornatum donaria com-

O plu-

plura, & ſacras veſtes magni pretii huic Baſilicæ obtulit; item dedit Candelabra duo fuſilia, Tharantaſmum vnum optimum; die verò dedicationis Baſilicæ Calicem donauit inuſitatæ magnitudinis, atque elegantiæ, vt qui librarum vndetriginta pondus æquaret, emblemata verò hiſtorias variæ eruditionis referentia contineret.

Alexander, Clemens, & Cœleſtinus Tertii, tum ſacra vaſa, tùm altaris ornamenta ſatis multa huic Baſilicæ ſunt elargiti; Innocentius verò Tertius Crucem auream pretioſis lapillis ornatam, & Calicem aureum cum Patena prægrandem, pretioſæ item veſtis, & cæteri ſacrificiorum inſtrumenti plurimum.

Honorius Tertius dedit Crucem argenteam gemmis diſtinctam cum incluſo Sanctiſſimæ Crucis ligno, & ſacras Iconas pariter argenteas, tùm ſanctorum Angelorum, tùm aliorum Paradiſi ciuium, Tabulam item argenteam; Thuribulum argenteum auratum, Candelabra duo argentea magna pro Aræ maximæ vſu, & ſacras veſtes complures.

Gregorius Nonus tum pro Baſilica, tùm pro Romanorum Pontificum functionibus in ea peragendis ornamenta plurima contulit, veſtes nimirum ſacerdotales auro, & argento contextas, præterea Crucem auream Vnionibus, & gemmis ornatam cum incluſa ſanctiſſimæ Crucis particula marcarum triginta ſex, & inſuper Candelabra argentea, plurimaquè alia donaria.

Vrbanus Quintus, ne cultus, & ornatus, Capitibus SS. Apoſtolorum deeſſe congruus eorum dignitati videretur; ſtatuas argenteas marcarum mille, Sapphyris, Adamantibus, atque Vnionibus diſtinctas confecit.

Carolus verò Quartus dictus Quintus Francorum Rex aurea Lilia duo magni pretij Adamantibus, & Vnionibus conſpicua, vt dixi, ad ornatum eorumdem Sanctorum Apoſtolorum donauit.

Martinus Quintus, & Eugenius Quartus dona complura tùm aurea, tum argentea, inſuper ſacras veſtes huic Baſilicæ contulerunt; ſedente autem Paulo Secundo Pontifice Ludouicus Vndecimus Francorum Rex donauit Calicem aureum trium millium ducatorum, quem Regis, nomine idem Pontifex ſolemniter obtulit.

Fer-

Ferdinandus Rex Catholicus dono dedit aureos Calices duos, & ante eum Luſitaniæ Rex eiuſdem nominis Crucem auream, cui poſtea argentea vaſa, lampades, Cruces, & candelabra addiderunt Nicolaus Quintus, Sixtus Quartus, Innocentius Octauus, & Paulus Tertius: vertentibus autem annis Iubilei pleriquè Pontifices pallia, & veſtes ſacras albi, rubei, cæterorumq. colorum, quos in Eccleſia adhiberi mos eſt, ſericas, auroquè contextas ad vſum huius Baſilicæ confecerunt, atque hoc præſtitere admodum magnificè Iulius Tertius, Clemens, atque Vrbanus Octaui, & Innocentius Decimus.

Præcipuè Clemens Octauus, vt dixi, & Baſilicam ornauit munificentiſſimè, & pro ornatu Altaris Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ donauit Dominicam Cœnam, in qua Chriſto Domino aſſident Apoſtoli duodecim fuſili opere ex argento, cuius precium eſt duodecim millium aureorum; Candelabra item argentea ſex auro illita, & vaſa argentea prægrandia pro ſacri olei ordinaria Conſecratione.

Paulus Quintus dono dedit huic Baſilicæ Roſam auream, quam Summi Pontifices quotannis benedicere Dominica Quadrageſimæ quarta, & Regibus ſummisquè Principibus donare conſueuerunt.

Ad hæc plurimi è Cardinalibus egregia erga hanc Baſilicam liberalitate vſi ſunt, quorum præcipuos referam, eosquè recentiores, quoniam de ſuperiore paulùm memoria nihil hac de re apud auctores, aut in Archiuio noſtro reperio. Lucius Cardinalis Saxus guttum, & pollubrum argenteum, binaquè inſuper argentea Candelabra, atque adeò ſuppellectilem omnem ſacram ſui domeſtici ſacelli teſtamento huic Baſilicæ legauit. Ioannes Dominicus de Cupis Cardinalis de Trano nuncupatus Crucem, & duo argentea candelabra; & Rainutius Farneſius Cardinalis Diaconus S. Angeli argentea quatuor candelabra eidem reliquerunt. Aſcanius Cardinalis Columna Archipresbyter huius Baſilicæ, vti eam vnicè dilexerat, ità Capitulum, & Canonicos ſcripſit hæredes ex aſſe, Crucemquè, candelabra, pollubra, aliaquè argentea vaſa, & ſacra vtenſilia magni pretii donauit. Ioannes Baptiſta Cardinalis Lenius Cruces, Candelabra, & vaſa argentea Baſilicæ Lateranenſi, cuius Archipresbyter fuerat, teſtamento reliquit.

Ad hæc Ferdinandus Magnus Dux Etruriæ Secundus argenteas ſtatuas duas, alteram S. Ioannis Baptiſtæ, alteram Sancti Ioannis Euangeliſtæ, veſtesquè ſacras ſericas, aureasquè miro artificio perfectas Altaris, ac Sacerdotum vſui obtulit.

Multorum præterea diuerſi generis fidelium munificentia erga hanc Eccleſiam illuſtris fuit, quorum nomina ſigillatim recenſere longum, nec operæ pretium fuerit, inter quos tamen haud fraudauero debito ſuæ pietatis teſtimonio Ioannem Baptiſtam Scannarolum Sidonienſem Epiſcopum, qui Calice, & Patena ex auro ſolido confectis ſacram eius Templi ſupellectilem augendam cenſuit, in quo ipſe ſæpè in habendis Clericorum Ordinationibus vices recolendæ memoriæ Vrbani Octaui Summi Pontificis geſſit.

De alijs Donis Lateranenſi Baſilicæ collatis.

CAPVT IV.

SVMMA Imperatoris Conſtantini pietas, & religio, in eo etiam enituit, quod poſt Baſilicam Lateranenſem à ſe conſtructam pro illius deinceps Dote, ac reparatione, pro ornatu Templi, & miniſtrorum ſuſtentatione, & iugi luminarium interdiù, noctuque ſplendore, eximia vſus munificentia magnæ æſtimationis prouentus ei annuos præter ornamenta, de quibus proximè ſuperiori capite loquuti ſumus, atribuit. Cuiuſmodi fuerunt prædia, quæ olim appellarunt Maſſas, & nunc vulgo Caſalia vocamus; eorum verò cenſus hic habetur apud Damaſum Pontificem in vita Sancti Silueſtri.

Maſſa Gargillana in territorio Sueſſano præſtans ſolidos. 409.

maſ-

Maſſa Bauronica in territorio Sueſſano præſtans ſolidos 360.
Maſſa Auriana in territorio Laurentino præſtans ſolidos. 500.
Maſſa Vrbana in territorio Antiatino præſtans ſolidos 240.
Maſſa Caſtis in territorio Catinenſi præſtans ſolidos 1000.
Maſſa Trapeas in territorio Catinenſi præſtans ſolidos 1650.

Porrò aureus ſolidus, ſi ad monetæ noſtratis æſtimationem deducatur, nummum aureum vnum, ſeu ducatum cum dimidio æquaret.

Quamquam fundos adhuc plures eidem Baſilicæ datos à Conſtantino magno veriſimile admodum videtur, cum ex prædijs ei collatis ſeptuaginta ſeptem millia, & octingentos quinquaginta ſex aureos coronatos ad eam quotannis redire conſueuiſſe conſtet: verùm priuſquam ſigillatim agamus de ijs, quæ huic Baſilicæ Imperatores, aliique ſæculares Principes tribuerunt, dicendum iuxta ſeriem temporis eſt, quantum munerum, ac donorum à Summis Eccleſiæ Romanæ Pontificibus acceperit: Hadrianus huius nominis primus, etiam in huius liberalitatis laude eorum omnium, quorum ad nos vſque memoria peruenit, princeps fuit; multos enim reditus Lateranenſi Baſilicæ contulit, præſertim ex quibus Chriſti pauperes alerentur, quod libro huius voluminis quarto ſeorſim proſequemur. Bona verò hæc ab Hadriano fuiſſe collata refert Anaſtaſius Bibliothecarius.

Domos cultas quatuor, vnam quidem, quæ vocatur Capracorum poſitam, &c. ex qua primitus fundum ipſum Capracorum cum alijs pluribus fundis ei coherentibus ex hæreditaria parentum ſuorum ſucceſſione teneri videbatur, eius proprij olim exiſtentes, & alios plures fundos, ſeù Caſales, & Maſſas à diuerſis emere, & eidem Domui cultæ addere viſus eſt, &c.

Cæterum ante ipſum Hadrianum Primum, alios Pontifices prædijs & fundis locupletaſſe Lateranenſem Eccleſiam, veriſimile ex eo eſt, quòd Ioannes Tertius præceperit Oblationes, & Hamulas, ſeù luminaria in Cœmeterijs Sanctorum Martyrum ſingulis Dominicis ex Lateranenſis Eccleſiæ prouentibus miniſtrari: incuria verò æui illius factum eſt, vt ignorentur eorum nomina: immò nec mentio quidem vlla inuenitur eorum, qui ab Hadriano Primo vſque ad Leonem Nonum Eccleſiæ

Ro-

Romanæ præfuerunt, quos procul dubio conſtat, tanto annorum interuallo multa huic Baſilicæ contuliſſe, cum Leo Nonus ei titulo Confirmationis complura eiuſmodi prædia de integro aſſignauerit, quemadmodum illius Diploma Pontificium demonſtrat, cuius hoc loco partem inſerendam curauimus.

Bona igitur, quæ poſtulatis à Nobis, quatenus concederemus, & Confirmaremus vobis fontes, & oratoria quatuor Sancti Ioannis Baptiſtæ, & S. Crucis, S. Ioannis Euangeliſtæ, ſimulquè Eccleſiam Sancti Venantij cum duobus porticibus, in quibus ſunt oratoria duo Sanctarum Virginum Luciæ, & Barbaræ, Paradiſum quoque etiam confirmamus. Itemque Cameras duas, quæ ſitæ ſunt iuxta Apſidem eiuſdem Baſilicæ Saluatoris, & terra, in qua ſunt Columnæ marmoreæ, atque cryptæ in integrum, qui vocatur Lardaro; itemquè & Palatium, qui vocatur Baſilica Vlpia pari modo Confirmamus vobis, veſtriſquè ſucceſſoribus Eccleſiam Sanctarum Ruffinæ, & Secundæ cum vineis, & terris, ſiue pertinentijs ſuis. Hæc namque loca cum introitu, & exitu earum vna cum campo Lateranenſi, & cum omnibus earum pertinentijs, ſicut infra hos concluduntur confines, à primo latere Decurias, à ſecundo latere muros Ciuitatis, Turrem, quæ dicitur Saracena, à tertio latere Palatium, qui vocatur Veſtiario, & rectè tenditur per parietem vſque Incaminata, in qua ſunt neceſſaria, & hoſpitalia, quæ retinent Epiſcopi, & quarto latere prænominata Baſilica Saluatoris &c. Itemquè in integrum Portam vnam, quæ nominatur Sancti Ioannis, cum omni datione, & redditu, quam etiam Proteraticum, quæ exinde exierit . . . . Sanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ vobis ad . . . . perceptione inclinatis precibus veſtris per huius priuilegij concedimus, & Confirmamus vobis Domum vnam . . . . ponitur in ſtabello cum olcorio Dominico, præterea concedimus, & confirmamus vobis ea, quæ ſuperius exarata leguntur, vel quæcunque alia bona habet ipſa Canonica, &c.

Innocentius Secundus largitus eſt Lateranenſi Baſilicæ libras centum monetæ Lucenſis, vt prædia coëmerentur pro alimentis Canonicorum; coemit Bernardus eiuſdem Baſilicæ Prior, vt iam diximus, qui poſtea S. R. E. Presbyter Cardinalis fuit tituli S. Clementis, eaquè fuere prope Vrbem, ad Formas, ſeù

Aquæ-

Aquæductus iuxta Eccleſiam S. Helenæ, ſeù Sanctæ Crucis in Hieruſalem. Præterea idem Pontifex huic Baſilicæ donauit, cum omnibus ſuis iuribus Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Colle Scipionis.

Alexander Secundus Lateranenſi Baſilicæ donauit dimidium earum omnium Oblationum, quæ Aræ maximæ conferebantur, atque inſuper domos vniuerſas in ambitu ſitas eiuſdem Baſilicæ, prædiaquè, & fundos in diuerſis Ciuitatibus, Oppidis, & Pagis, de quibus meminit ſigillatim Ioannes Diaconus: Nos verò de Oblationibus Aræ Lateranenſis in huius Capitis calce aliqua dicemus.

Calliſtus Secundus conceſſit huic Baſilicæ integram Pedicam in Oſtienſi campo ſitam, & in loco quidem, quod *fornello* nuncupabatur, cum vniuerſis, quæ ad eam pertinebant ſalis conficiendi cauſa.

Lucius Secundus Lateranenſi Baſilicæ conceſſit Eccleſiam Sancti Ioannis ante Portam Latinam cum eius ſacellis, quæ nominantur Sancti Stephani in Capite Apicæ, Sancti Laurentij extra Porticum B. Petri, S. Anaſtaſij cum Caſtro Noualia, & S. Luciæ in Columna cum omnibus eorum iuribus, atque inſuper Hoſpitale ante eamdem Portam Latinam.

Anaſtaſius Quartus pietatem, liberalitatemquè ſuperiorum Pontificum æmulaturus non ſolùm huic Eccleſiæ Confirmauit omnia prædia, & bona, quæ poſſidebat, ſed alia inſuper adiecit, inter quæ fuerunt Eccleſia Sancti Gregorij, quæ in Martio dicebatur, cum ædibus, in quibus erat ſita, & omnibus eius iuribus, atque inſuper terræ ſpatio cum Molendino extra portam in capite, vbi fuerat aliquando lacus. Porrò Anaſtaſius Confirmauit de integro dimidium Oblationum eius Aræ maximæ excluſo omni penitùs diſpendio, item reditum, quem Granaticum, ſeù Herbaticum appellabant, aliaquè bona feudalia, de quibus inferiùs à me ſermo habebitur, & quæ deinde ſingula tum ab Hadriano Quarto, tum ab Alexandro Tertio eius ſucceſſoribus Pontificibus ampliſſimo Diplomate roborata fuere.

Vrbanus Tertius Eccleſiam S. Horitiæ in Colle Scipionis cum priuilegijs, iuribus, & pertinentibus ad eam Lateranenſi Baſilicæ tribuit, eique vni ſubeſſe voluit.

Inno-

Innocentius Tertius donauit eidem Baſilicæ tum Caſtra plurima, de quibus modò dicam, tum peculiariter Eccleſiam Sancti Andreæ in Silice, locus vulgo dicitur *le Caſtella*, & eſt Veliternæ Diœceſis. Dedit inſuper ſiluam S. Pancratij Montis Faliſci cum omnibus iuribus, redditibusquè.

Honorius Tertius, & conceſſit, & conceſſa ab alijs confirmauit Eccleſiæ Lateranenſi bona complura, præcipuè Cœnobium Sanctæ Mariæ de Cathicio, quod Cardinalis Sanctæ Suſannæ Legatus Apoſtolicus in prouincia Æmiliæ ei donauerat, ſicut & Diplomate Pontificio muniuit Monaſterii de Calcedonia donationem huic Baſilicæ à Cardinali S. Praxedis pariter Apoſtolico Legato factam.

Gregorius Nonus Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Colleſcipionis, quam religioſus vir, & presbyter Petrus nomine filius Ioannis Leonis incola eiuſdem Oppidi huic Baſilicæ addixerat cum omnibus iuribus ſuis, Diplomate Pontificio habendam conceſſit, Confirmauitquè ſententiam Epiſcopi Oſtienſis Cardinalis, qua Epiſcopo, & Capitulo Spoletano iniungebatur, vt ſoluerent Lateranenſi Baſilicæ annuum cenſum duodecim librarum monetæ Lucenſis pro Eccleſia Sanctæ Mariæ de Syllano Spoletanæ Diœceſis.

Innocentius Quartus Confirmauit conceſſionem omnium bonorum huic Baſilicæ à ſuperioribus Pontificibus, nempe à Lucio Secundo, ab Anaſtaſio Quarto, ab Innocentio, & Honorio Tertiis, & aliis factam, præſertim Eccleſiæ Sancti Ioannis ante Portam Latinam cum ſuis ſacellis, videlicet Sancti Stephani in Capite Apicæ, Sancti Laurentii extra porticum Beati Petri, Sancti Anaſtaſii, cum Caſtro Noualia, & Sanctæ Luciæ in Columna cum iuribus omnibus ſpectantibus tam intra, quàm extra Vrbem ad eamdem Eccleſiam Sancti Ioannis ante Portam Latinam: Item Hoſpitale, atque Eccleſiam Sancti Nicolai iuxta portam Diui Ioannis cum ſuis iuribus, Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Pauellata, Eccleſiam Sancti Gregorii in Martio, & Palatium, in quo ſita erat, Molendinum in Capite laci, Eccleſias Sancti Bartholomæi, & Sancti Danielis, aliaſquè complures: Præterea quicquid erat tam intra, quàm extra Caſtrum Montisfaliſci, Molendinum de Rege, Eccleſias Sanctæ Mariæ in Colle Scipionis, Sancti Ioannis in Paterno, Sanctæ Thomæ in Ciuitate

uitate Interamnenſe Ducatus Spoletani, Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Scillano, & Hoſpitale Sancti Ioannis de Taratenſe; Ad hæc in Epiſcopatu Alerienſi Eccleſias Sancti Romani, & Sancti Pauli iuxta eamdem Ciuitatem; Suburbium inſuper, quod erat propinquum Baſilicæ Conſtantinianæ in ſtabello iuxta Sacrum Palatium; Domos, & Vineas emptas à Theodora Raynonis filia iuxta formam Claudiam in Campo Lateranenſi; Item in Cancello, & via Maiori Domos, quas Eccleſia habebat, & prædia in Caſtello nouo ſita; Terras, & hortos circum Eccleſiam finitimos à Vineali Sancti Nicolai, vſque in Tertium Sancti Thomæ; Turrim etiam cum fundo, vineiſquè in loco, qui dicebatur ad Quartum, & fundos ſtabellulæ Campi Vitali ſicut, & fundum, atque Eccleſiam Sanctæ Luciæ in Renati cum vineis, & iuribus eius, fundos Fauaroli, Marana cum prato, & Turre, Vineas in Monte Honorii, & in Cruce Veteri, Vineam, & Molendinum in Vallè, fundum qui dicitur Prata cum Aquæductu, Molendina, & Vineas ſitas in loco, cui erat nomen Priori Papæ; In territorio verò Tuſculano Turrim cum monumento, & columna, quæ dicebatur Fellecti, alioſque fundos duos; Prædium item Sancti Andreæ in ſilice cum omnibus eius iuribus, Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Tuſculano ſitam in fundo Oliuano, multaſquè Salinas in Territorio tum Oſtienſi, tum Portuenſi, quæ omnia idem Pontifex Lateranenſi Eccleſiæ partim ipſe tribuit, partim ab aliis tributa auctoritate Apoſtolica confirmauit.

Bonifacius Octauus huius Baſilicæ iuri ſubiecit Eccleſiam Sancti Laurentii in Pane, & Perna, quàm Cardinali Columnæ, anno milleſimo trecenteſimo octauo poſtquàm Lateranenſis Baſilica incendio conflagrauerat Capitulum ideò conceſſit, vt cum antedicta Eccleſia Sancti Laurentii reparatione indigeret proſpiceretur eius neceſſitati, ne intermitti officia diuina oporteret, ſed ea conditione adiecta, vt ibi Monaſterium, ſeù Monachorum, ſeù Sanctimonialium ædificaretur, quo cultui diuino iam inſtituto ſatisfieret, Præterea Palatium Antonianum cum ſuis iuribus, atque Abbatiam, & Monaſterium Ferentilli à Feroaldo Spoleti Duce è Longobardorum gente fundatum, in quo ipſe monaſticam vitam iuxta Diui Benedicti regulam fuerat profeſſus, Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Lateranenſis

P do-

donauit, cum omnibus Caſtris, iuribus, & annuis prouentibus. Ditio tamen temporalis, & Caſtra fuerunt deinde à Capitulo ſedente Leone Decimo permutata cum viro Illuſtri Franciſco Cybò, qui viciſſim Capitulo tradidit Portam Lateranenſem, & Prioratum S. Petri de Ceſena.

Cum verò Vrbanus Quintus alienaſſet à Lateranenſe Baſilica Eccleſias S. Margaritæ, & S. Pancratii, eorum loco dedit Eccleſiam, quæ Schola Cantorum appellabatur cum omnibus ſuis iuribus, quandoquidem Schola eadem iam antiquata, & in Canonicorum Collegium electa, inutilis eſſe cenſebatur.

Gregorius Vndecimus Cenſum florenorum aureorum decem, quem pro Molendino, & quadam vinea perſoluebat Cameræ Apoſtolicæ Lateranenſis Baſilica ad annuum florenum aureum redegit, atque vſumfructum conceſſit Viridarii Pontificii Lateranenſibus Canonicis pro tempore, quo ab Vrbe Pontifices abeſſent.

Bonifacius Nonus ſuperiorum Pontificum pietatem emulaturus Lateranenſem Eccleſiam; quam in hac Bulla appellat omnium Eccleſiarum Vrbis, & Orbis caput, atque Gubernatricem, ac Præſidem neminem alium ſupra ſe præter Romanum Pontificem agnoſcentem ditauit Abbatia Cryptæ ferratæ.

Martinus Quintus inſignis in primis memoriæ Pontifex vniuit Eccleſiæ noſtræ Baſilicam ad Sancta Sanctorum ſuppreſſis Prioratu, & Collegio Canonicorum, per quos eo loci cultus antea diuinus obiri conſueuerat.

Sixtus Quartus Abbatiam de Gloria ab Eugenio Quarto tranſlatam ex ordine Ciſtercienſi ad ſæculares Commendatarios, aggregauit, atque addixit Lateranenſi Baſilicæ, cuius Grancia, vt vocant, ſiue membrum erat Eccleſia Palneariæ, cum qua noſtræ Baſilicæ multa Caſtra obuenere, de quibus mox dicam.

Leo Decimus declarauit Plateam, ſeu aream omnem Sancti Ioannis, eiusquè dominium ad Canonicos, & Lateranenſem Capitulum pertinere.

Pius Quartus motu proprio ad ſtructuræ Lateranenſis reparationem conceſſit eidem Baſilicæ annulos Cardinalium, ſeù pretium eorum, vt nimirum pecuniâ ex eis proueniente loca Montium non vacabilium, coemerentur quorum redditus in fabricæ vſum conuerteretur. Atque hæc emolumenta Clemens Octa-

Octauus ad beneplacitum ſuum confirmauit.

Paulus autem Quintus, & Gregorius Decimusquintus ad triennium de integro conceſſerunt.

Poſtremò Vrbanus Octauus cum hos prouentus annulorum tranſtuliſſet ad Collegium de propaganda fide, fabricæ Lateranenſi eorum loco addixit ſcuta tria millia, quæ ex Regnis Hiſpaniarum penduntur, ac repræſentantur Sedi Apoſtolicæ pro ſubſidio, ſeu collecta, quod Cruciata vulgò appellatur.

Neque dubitandum videtur quin plurimorum præterea Summorum Pontificum effuſa fuerit in hanc Eccleſiam liberalitas quemadmodum ex inſita tot Principum pietate, debitoquè propriæ ſponſæ cultu, ac ſtudio ſuſpicari libet: in noſtro tamen Archiuio, præter ea, quæ hic attulimus, haud quidquam amplius reperiri conſtat. Dona item Regum, cœterorumquè Principum, præſertim verò S. R. E. Cardinalium in eamdem Eccleſiam non vulgaria recenſentur, interquè præcipuos duorum Regum Chriſtianiſſimorum Ludouici videlicet Vndecimi, & Henrici cognomento Magni. Hic enim Abbatiæ de Clayraco in Prouincia Aquitaniæ annuos redditus ſcutorum quatuor millium Lateranenſi Eccleſiæ ſumma liberalitate perpetuò addixit, accedente ſummi Pontificis auctoritate, cuius ingentis beneficii monumentum eſt ſtatua ænea eidem Regi Henrico Quarto à Capitulo erecta, & conſtituta, vt dixi, ad Porticum Eccleſiæ Lateranenſis ſequenti cum Elogio.

PAVLO V. PONT. MAX.

Henerico IV. Francorum, & Nauarræorum Regi Chriſtianiſſimo, pietate alteri Clodoueo, varietate præliorum Carolo Magno, amplificandæ ſtudio Religionis Sancto Ludouico generis propagatori, ſtatuam hanc æneam Sacroſanctæ Lateranenſis Baſilicæ Capitulum, & Canonici grati animi monumentum collocandum curarunt, Carolo de Neufuille regio Oratore, Anno 1608.

E numero verò Cardinalium, qui eidem Baſilicæ benefici fuerunt, enituere imprimis Antonius de Clauibus Portugallenſis appellatus, qui Eccleſiæ Lateranenſi, & Canonicis donauit Caſale Trigoriæ, ex quo habetur annuus cenſus trium millium aureorum, & Aſcanius Cardinalis Columna Marci An-

tonii Columnæ Tagliacotii Ducis, & Magni Comeſtabilis Regni Neapolitani filius, qui huius Baſilicæ Archipresbyter cum fuiſſet, vaſa illi omnia aurea, argenteaquè, gemmas, Bibliothecam, numeratam pecuniam, ſupellectilem domeſticam precioſam, & omnia iura paternæ hæreditatis munificentiſſimè teſtamento legauit. Hic autem breuitatis cauſa prætereo Cardinales alios, & præcipuè Antonium Mariam Saluiatum, Lucium Saxum, & Ioannem Dominicum de Cupis, qui loca Montium plura, & prædia etiam huic Baſilicæ reliquerunt.

Inter reliquos tandem Principes dignitate viros quingentis ab hinc annis Raynaldus nobilis vir Victoris filius oppida multa dono dedit huic Baſilicæ, quorum nomina inferius enumerabuntur. Riccardus Annibaldenſis Apoſtolicus Protonotarius donauit prædia complura. Franciſcus Vrſinus Grauinæ Cuperſani Comes, Præfectus Vrbis prædium Lateranenſi Eccleſiæ aſſignauit in dominio Terræ Ponticellorum, atque id egerunt perinde alii Principes, ac viri pii, quorum hic ego cenſum, & nomina (ne ſim longior) adſcribenda non puto.

Porrò hæc ſunt, quæ à Ioanne Diacono de Altaris oblationibus referuntur.

In Chriſti nomine; Amen. Breue recordationis de conſuetudine Altaris S. Saluatoris, quid ſcilicet Clericis eiuſdem Eccleſiæ, vel ipſi Eccleſiæ competat. De medietate ſcilicet Epiſcoporum.

In primis. In natiuitate Domini Eccleſia debet condiri, & duo paria facularum, vnum ante Altare, & aliud in Lectorio, & quatuor denarij Manſionarijs dari debent.

In S. Ioannis Euangeliſtæ Eccleſia condiatur, & vna acquaricia olei ad fontes, & quod ſupererit ſit Eccleſiæ, & duodecim denarij Papienſes Clericis, & vinum ad potandum ante vigiliam, & tria paria facularum, vnum Clericis, & aliud Acolytis, & ſi deſunt Acolyti, ſunt Clericorum Eccleſiæ, aliud ad Miſſam.

In Dominica prima Quadrageſimæ Eccleſia debet condiri, & quatuor denarij Manſionarijs, & par facularum ad Miſſam, & reſidua ſunt de Clericis, ſi deeſt Acolytus, & quatuor denarij Manſionarijs.

A Dominica prima vſque in Octauam Pentecoſtes quotidie debent habere Manſionarij vnum caput de communi. In ſabbato verò pro emundatione Eccleſiæ tria capita.

Feria

Feria quarta in hebdomada quarta, quando Clerici vadunt cum Cruce per Cæmeteria ad S. Paulum, & ad S. Anaſtaſium, totum Altare eſt Clericorum, donec Crux egreditur, & deportatur, aut ſi Clericis placuerit, panem, & vinum, & piſces inde habeant ad Cœnam.

In Dominica Palmarum condiatur Eccleſia, & quatuor denarij Manſionarijs, & par facularum ad Miſſam.

In Cœna Domini ſimiliter etiam quatuor denarij Manſionarijs, & vnum pro ablutione ampullarum, & alia præparatione.

In Sabbato Sancto par facularum ad Miſſam, & pretium mundat ionis Paradiſi, & Chriſmatis, & Porticus clauſæ, & Ecceleſia condiatur.

Die Sancto Paſchæ, par facularum ad Veſperas. Feria ſecunda ſimiliter.

Sabbato in Albis, debet condiri Eccleſia, & par facularum ad Miſſam, & quatuor denarij Manſionarijs.

In Litania Maiori, donec Crux vadit, & redit, totum Altare ſit Clericorum.

In tribus Litanijs, feria ſecunda debet condiri Eccleſia, & Altare eſt Clericorum, vnde debent habere piſces.

Feria tertia panem, & vinum, & oua, & caſeum.

In Sabbato Sancto Pentecoſtes, par facularum ad Miſſam, & vnum denarium illis, qui flores ſuper Dominum Papam iactant, & Eccleſia condiatur more ſolito.

In Natiuitate Sancti Ioannis Baptiſtæ, Eccleſia principaliter condiatur, & duodecim denarij, & vna libra olibani, & vnum rotulum de cereis, Græcis, & decem & octo denarij Cantoribus, & vna aquaricia olei ad fontes, & ſeptem paria facularum, vnam libram pro pari, vnum Acolytis, aliud Græcis, aliud ante Altare ad fontes, alia verò ad Miſſam, quæ omnia ſunt Clericorum, ſi Curia deeſt, & quatuor denarij Manſionarijs, & vinum ad potum ante Vigiliam omnibus Clericis, & Græcis, & Latinis.

In Vigilia Sancti Petri, vinum ad potum Clericis ante Vigiliam.

In Vigilia Sancti Pauli ſimiliter.

In Vigilijs SS. Pancratij, & Venantij Martyrum, SS. Ruffinæ, & Secundæ ſimiliter.

In

In Aſſumptione S. Mariæ, Eccleſia condiatur, & vinum ante Vigiliam Clericis, & ſex paria facularum, & quatuor denarij Manſionarijs.

In Vigilia S. Laurentij, vinum ante Vigiliam.

In Decollatione S. Ioannis, Eccleſia condiatur, & vinum ante Vigiliam.

Ia Exaltatione S. Crucis, Eccleſia condiatur, & par facularum ad Miſſam, & quatuor denarij Manſionarijs, & vinum Clericis.

Et ab iſta feſtiuitate vſque in Octauam S. Martini quotidie Manſionarij habent duo capita.

In ſolemnitate S. Saluatoris, Eccleſia debet condiri, & ſex paria facularum, vnum Cubicularijs, aliud Acolytis, aliud ante Altare, aliud in Lectorio, aliud ad Miſſam, aliud Clericis, & duodecim denarij Clericis, & quatuor Manſionarijs, & vna aquaricia vini ante Vigiliam, & omnia reſidua facularum de nocte, & de Miſſa ſunt Clericorum, ſi Acolyti deſunt.

Per totum annum debet habere Eccleſia de medietate Altaris, videlicet Epiſcoporum, oleum quotidie ad quindecim lampades, vna ad Apſidem, ſeptem ante Altare, vna ante grandem Imaginem ſuper Columnas æreas, quinque ante Crate, vna ante Imaginem S. Mariæ, quæ eſt ſuper Horologium, & funes ad appendendum candelas, & tintinabula aurea, & olibanum quotidie ad Miſſas, & in nocte Candelas ad lectiones, & pſalmos, & accendendas lampades, & quærendam Eccleſiam ſufficienter. Et in omnibus ſtationibus, quando Dominus Papa deſcendit celebrare Miſſam, ſubminiſtratur de Altari vinum ad ſacrificium, & communicandum, & tunc oblatio Altaris deſuper eſt Scholarum, & inferiùs Clericorum Eccleſiæ. Omnes cinturæ tam Altaris, quàm Imaginum, Clericorum ſunt. Conſuetudo etiam eſt Clericorum, vt quando curam faciunt de altari, ſecundùm tempus procurantur, & inde accipiant denarium vnum Papienſe. Pro abluendis quoque, vel reſarciendis pannis, vel cortinis Eccleſiæ, clauibus, & oſtijs, pretium datur de altari de medietate Epiſcoporum. Omnes lampades, & baciles Canonicorum ſunt. Omnes oblationes, quæ eueniunt ad manus Epiſcopi, Hebdomadarij altaris maioris, medietas eſt ipſius Epiſcopi. & medietas Canonicorum. In Natali Domini de medietate Epiſcoporum duas lau-

mas

mas de Merlis pro Eccleſia, & ſimiliter in Reſurrectione, Natali S. Ioannis Baptiſtæ, & Feſto S. Saluatoris.

In eodem libro Ioannis Diaconi Lateranenſis (non autem eo auctore) extat & hoc monumentum.

In nomine Domini: Amen. Anno MCCXXXII. Indictione V. Conuentio talis facta eſt inter Lateranenſem Eccleſiam, & Primicerium, & Scholam Cantorum. Quod ipſe in Feſto S. Ioannis Baptiſtæ cum decem Cantoribus veniet dictus Primicerius, ita quod ipſe ſit vndecimus, & officiabunt Eccleſiam in Vigilia, Matutinis, & Miſſa, & procurabunt ipſi, & duo eorum ſeruientes decenter, & honeſtè in illis Cibarijs, quibus Conuentui ſeruietur in ipſa die, & pro ſua mercede recipient ſextam partem oblationum Maioris Altaris dumtaxat in ſpatio, quo Miſſa celebratur ſuper illud, cadentium, inſuper ipſe Primicerius recipit ab Eccleſia duos ſolidos Prouiſinorum Senatus pro mercede, & vnuſquiſque Cantorum duodecim denarios, computatis in prædicta ſumma denarijs illis, qui dantur Cantoribus pro reſponſorijs, hoc autem vtraquè pars obſeruare tenetur in omnibus illis feſtis, quæ Lateranenſis Eccleſia voluerit prædicto ordine, & ad quæ Primicerium cum Schola duxerit inuitandum. Sed & in omnibus Stationibus Lateranenſis Eccleſiæ Primicerius, & Schola etiam non inuitati venire debent ad ſeruiendum in officio Miſſæ tantùm pro ſua mercede nihil aliud percepturi, niſi ſextam partem oblationum Maioris Altaris tantùm, ſicut ſupra ſcriptum eſt.

De temporali Iuriſdictione Baſilicæ Lateranenſis.

CAPVT V.

AMPLISSIMA Summorum Pontificum liberalitas, ac indulgentia nequaquam ſatis habuit veſtimenta iucunditatis ſponſæ Domini, in quem ſupra recenſuimus decorem, & magnificentiam extuliſſe, niſi ad potentiam, & opes, quibus ſpecioſior inter filias hominum videretur, eoq. dignitas eius non augeretur quidem, ſed certè inſtrueretur) extuliſſet. Plurimis itaque oppidis ex Apoſtolica conceſſione aliis, atque aliis temporibus aucta eſt Baſilica Lateranenſis, & primò quidem Anaſtaſius Quartus diplomate ſuo eidem confirmauit Caſtra Vallis Montonis, & Metalanici, quæ illi donata fuiſſe aſſerit, non tamen conſtat quis huius piæ liberalitatis fuiſſet auctor;

Innocentius Tertius huic Baſilicæ dedit Caſtrum Tuſculanum, quod deinde Canonici anno MCCCCXXIII. vendidere Iordano Columnæ Principi Salernitano vnà cum finitimo Portii oppido, poſtea Eugenius Quartus Lateranenſi Eccleſiæ reſtituendum curauit per Nicolaum de Guizzano Cameræ Apoſtolicæ Clericum.

Gregorius Nonus non ſolùm ei Vallis Montonis, & Metalanici Oppidorum poſſeſſionem confirmauit, verum adiecit etiam Caſtrum Carpineti cum adiacentibus prædiis, & iuribus eius.

Innocentius Quartus inſuper Caſtra Noualiæ, & Perlatæ conceſſit eggregia ſanè liberalitate, atque adeo confirmauit donationem, quæ aucta olim fuerat ab illuſtri viro Raynoldo filio D. Guittonis, Caſtrorum videlicet Grumuli, Pulegiæ, Vallaculæ, Murri Malliæ, Caſtri Noui, Phorcæ, Nilonis, Turci, Planetæ, Crucæ, cum omnibus eorum iuribus, & Eccleſiis cuius

præ-

præterea Raynaldi liberalitatem in munere Caſtrorum Labari, Bonacquiſti, Meletis, Cothoroni, & Caſtri, cui nomen Bellacoſa, & Modii, experta eſt.

Innocentius autem Pontifex Apoſtolici diplomatis robore muniuit donationem Oppidorum Carpineti, Vallis Montonis, Metalanici, & confirmauit per æquè Caſtrum Perlatæ in Epiſcopatu Alatrino, atque adeo Eccleſiam S. Mariæ ſitam in fundo Oliuano cum Caſtro; & prædiis eius, qui locus nunc eſt Cryptæ Ferratæ.

Bonifacius Octauus, qui Abbatiam Ferentilli donauit Eccleſiæ Lateranenſi, eiuſdem inſuper conceſſit Ferentilli ſtatum, ſeu ditionem cum omnibus ſuis iuribus, & Caſtris, itaut exercere in ea poſſet merum, & mixſtum imperium. Hæc porrò ſunt eorum nomina: Caſtra Materelli S. Mauigliani, Præcepti, Caſtri Riuoſii, Lorini, & Niuiani, Vmbriani, Rigouiti, Montis Petani.

Præterea Villæ, ſeù Vniuerſitates vndecim, quæ omnia deinde ſedente Leone Decimo, Franciſco Cybo tradita ſunt, at Lateranenſi ab eo Porta & Prioratu Sancti Petri de Ceſena viciſim acceptis.

Sixtus Quartus donauit Lateranenſi Baſilicæ Abbatiam Sanctæ Mariæ de Gloria, ad quam in Regno Siciliæ pertinebant Terræ Balneariæ, Solani, & Seminariæ, quas ei addixerat Rogerius Siciliæ, & Calabriæ Comes, eiuſdem Abbatiæ fundator, & quæ à Iacobo Ruſo emptæ fuere pretio aureorum viginti duorum millium non ſine graui Lateranenſis Eccleſiæ læſione. Idem Sixtus Quartus confirmauit donationem Ludouici Vndecimi Chriſtianiſſimi Regis, qui pro ſua erga S. Ioannem Apoſtolum, & Euangeliſtam inſigni pietate, cui ſanitatem aliquoties recuperatam, & pacem, tranquilitatemquè Regni, atque prolem, & ſucceſſionem acceptam referebat, donauit Eccleſiæ Lateranenſi annuum reditum perpetuum quatuor millium librarum Turonenſium ſoluendum per Siniſcalcum ſuum ex pedagiis Prouinciæ Petragoricenſis vulgo de Peri gort. Sed & adiecit idem Rex omnes reditus Prouinciæ de Prouesque cum omnibus eius prouentibus, atque emolumentis, bonaquè inſuper omnia Fiſco Regio addicta Comitis d'Armignach lege Maieſtatis damnati, atque adeò Caſtra, Caſtellanias, Terras, & Villas de Monte Flaquin, omnesquè prouentus, & pedagia dominii de

Rodès; Item gabellas, & pedagia de Mellahu, Syndicatum de Albigios, emolumenta, & prouentus des Albergues Notariam, ſeu Bailagium de Gaille, & dominium du Gref Notariatus ſcilicet de Agen; Quæ vniuerſa ſuomet Regio Patrimonio ademit, & Lateranenſi Baſilicæ penitus addixit liberalitate ſanè non tacenda, ac munificentia prorſus digna, in qua pietas eximia eminet Primogeniti filij erga parentem tantæ dignitatis, & amplitudinis, quantam Eccleſiænoſtræ Principatus inter reliquas omnium gentium Eccleſias, altitudoquè conciliat.

Henricus autem Quartus Abbatiam Clayracenſem in Aquitania Capitulo Lateranenſi dono dedit cum adiunctis Caſtris, videlicet Ciuitatem ipſam Clayraci, medietatem Terræ, quæ nuncupatur la Parada, Caſtra de Marſach, e dell' Affitte Oppida, quæ de Vaque, Tignaques, & Dimeu appellantur; Inſuper Oppidum de Mombarbat, & partem Oppidi de Colegnès, tertiam partem Iuriſdictionis Terræ de Tonins, multaquè alia prædia, & Caſtellanias munificentia planè Rege Chriſtianiſſimo digna.

Carolus Quintus Imperator gloriam, & liberalitatem Principum aliorum æmulaturus etiam ipſe munificus fuit erga Lateranenſem Baſilicam conceſſione Sanctæ Mariæ duodecim Apoſtolorum de Balnearia in Siciliæ Regno. Item alterius Sanctorum Luciæ, & Geminiani de Montaneis, ſiuè de Noto, & Palazzolo cum omnibus eius iuribus, & patrimonijs. pœna nullitatis, & caducitatis adiecta, ſi eam diuendi, diſtrahiquè contingeret, quæ quidem omnia referendæ gratiæ cauſſa ob acceptum, vt diximus, Lateranenſis Eccleſiæ Canonicatum ſeſe feciſſe teſtatus eſt: atque hæc ſunt potiſſima Oppida, Caſtra, & prædia, quæ magnorum Principum liberalitate Lateranenſi Eccleſiæ acceſſere.

De

De Spirituali Iuriſdictione Lateranenſe Baſilicæ.

CAPVT VI.

NON eſt hic ſermo de iure Lateranenſis Eccleſiæ, quod ad eam tanquam Cathedram Epiſcopi Romani, reliquarum omnium Matrem, & peculiarem Sponſam Summi Pontificis pertinet; eſſent enim recenſendæ quotquot vbiquè terrarum habentur Eccleſiæ, nulla enim eſt eius ſubiectioni non obnoxia, nulla eius poteſtati non ſubdita; Sed ſolùm de peculiare quadam inſtitutione, collatione, cura, atque adminiſtratione, quam erga nonnullas exercet, miniſterio plerumquè Capituli: cum alioquin generalem erga omnes Summus Pontifex vocatis in partem curarum Epiſcopis, & reliquis Eccleſiæ Catholicæ paſtoribus impertiat. Verùm, vt ab Italia exordium capiam, illaquè potiſſimum eius parte, quæ Eccleſiaſticæ ditioni ſubiecta eſt. In Patrimonio Sancti Petri, per Latium, agrumque Sabinum, ac Picenum, Vmbriamquè, Flaminiam, atque Æmyliam Baſilica Lateranenſis habet ſub ſe quinque, & quadraginta ſupra ſeptingentas Eccleſias, inter quas inſignis imprimis eſt vetuſtiſſima D. Agnetis Ædes propè Vrbem in via Nomentana, ex qua teſtandi obſequii cauſa quotannis ipſo Sanctæ Martyris Natali die offerri Eccleſiæ noſtræ ſolent agni duo à Sacerdote inter Miſſarum Solemnia benedicti, Præfecto cæremoniarum veteri conſuetudine tradendi, ac deinde per Eccleſiæ Manſionarios, albo in equo, ac ſericis ornato Phaleris Summo Pontifici offerendi, qui acceptum benignè munuſculum, & Cruciferorum Decano tradi iuſſum aureo Ducato Eccleſiæ noſtræ Impertito remunerari conſueuit. Cæterum Agnos huiuſmodi Cœnobio cuipiam Sanctimonialium mitti mos eſt, vt ea lana ad confectionem Sacrorum Palliorum vtan-

tur, quo Ornamenti genere haud ſcio, an aliud Chriſtianæ Cæremoniæ auguſtius, aut altioribus myſterijs refertum habeant, Reliquiis namque B. Petri Apoſtoli admiſſum, rituquè omnium ſanctiſſimo conſecratum tribui per Romanos Pontifices Patriarchis, & Metropolitanis in ſignum ſublimioris in Eccleſia poteſtatis ſolet.

Huic adiungitur inſignis Eccleſia SS. Petri, & Marcellini Lateranenſi Baſilicæ immediatè ſubiecta, quæ à Conſtantino Magno exſtructa, ampliſsimiſquè donarijs locupletata Helenæ Auguſtæ eius parentis cineres excepit teſte Anaſtaſio, qui hæc narrat.

Eiuſdem temporibus Auguſtus Conſtantinus fecit Baſilicam Beatiſſimis Martyribus Marcellino Præsbytero, & Petro Exorciſtæ inter duas lauros, & Mauſoleum, vbi Beatiſſima Mater ipſius ſepulta eſt Helena Auguſta in Sarcophago Porphyretico via Lauicana milliario ab Vrbe Roma tertio, iu quo loco, & pro amore Matris ſuæ, & veneratione Sanctorum poſuit dona voti ſui. Patenam ex auro puriſſimo penſantem libras triginta quinque, candelabra argentea quatuor auro cluſa in pedibus duodecim penſanti a ſingula libras ducentas, Coronam ex auro puriſſimo, quæ eſt Pharus, Cantharus, cum Delphinis centum & viginti, penſantem lib. triginta. Calices aureos tres penſantes ſingulos lib. decem cum gemmis praſinis, & Hiacynthinis. Amas aureas duas penſantes ſingulas lib. vndecim. Altare ex argento puriſſimo penſans lib. ducentum. Ante Sepulchrum Beatæ Helenæ Auguſtæ fecit ex metallo Porphyretico, ex ſculptis ſigillis Phara Canthara viginti ex argento puriſſimo, penſantia ſingula lib. viginti. Item in Baſilica SS. Petri, & Marcellini donum quod dedit tale eſt. Altare argenteum puriſſimum penſans lib. ducentas, Patenas aureas puriſſimas duas penſantes lib. quindecim, Patenas argenteas duas penſantes lib. quindecim; Scyphum aureum maiorem penſantem lib. viginti, vbi nomen Auguſtæ deſignatur. Scyphos argenteos quinque penſantes ſingulos lib. duodecim. Calices miniſteriales argenteos viginti penſantes ſingulos lib. tres; Amas argenteas quatuor penſantes ſingulas libras quindecim. Annis ſingulis olei Nardi piſtici lib. noningentas; Balſami lib. centum. Fundum Laurentium iuxta formam cum balneo, & omne magrum à Porta Seſſoriana via itineraria

raria vſque ad viam Latinam ad Montem Galbium. Ipſe Mons Galbeus poſſeſſio Auguſtæ Helenæ præſtans ſolidos Mcxx. Inſulam Sardiniam cum poſſeſſionibus omnibus ad eamdem pertinentibus præſtantem ſolidos Mxxiv. Inſulam Miſenum cum poſſeſſionibus ad eamdem pertinentibus præſtantem ſolidos Dcccx. Inſulam Atetiæ, & Montem Argentarij præſtantem ſolidos Dc. Poſſeſſionem in Territorio Sabinenſi, quæ cognominatur ad duas Caſas ſub Monte Lucretio, præſtantem ſolidos cc.

In Regnis Neapolitano, & Siciliæ, & præſertim Apulia, & Calabria, atque in Principatu Mediolanenſi, ſubiectas habet Eccleſias trecentas, & quindecim.

In Ditione Venetorum Eccleſias nouem, & triginta.

In Ditione Genuenſium Eccleſias duodecim.

In Magni Ducis ditione, item in Mantuana, Mutinenſe, & Parmenſe Eccleſias ſeptuaginta.

In Ducis Sabaudiæ quindecim.

In Garmania viginti quinque.

In Gallijs præter Abbatiam S. Petri de Clayraco cum ſubiectis, & Eccleſijs duodenis Eccleſias alias ſibi ſubiectas adhuc quattuordecim enumerat.

In Regnis Hiſpaniarum Eccleſias ſex, & quadraginta.

In Luſitaniæ Regno Eccleſias quatuordecim.

In Regno Angliæ, priuſquàm ab Eccleſia Romana deficeret, Eccleſias duo de viginti, & ad Mare Propontiois apud Dardanos in Gallipolitana ditione olim Eccleſias obtinuit quinque.

Neque contenta veteribus, & ſemper notis Terrarum Orbis finibus Eccleſiæ noſtræ Maieſtas ad patefactos Auorum noſtrorum memoria populos porrecta eſt, vt præter ſupremam in omnes per eos terrarum tractus excitatas Eccleſias poteſtatem vndecim fermè peculiari ſuæ ditioni ſubiectas habeat; Quo circa Iure Alexander Geraldinus Ciuitatis Sancti Dominici apud Indos Epiſcopus Idola quædam nephandæ eius gentis ſuperſtitioni, & cultiui detracta Leoni Decimo Summo Pontifici antè Lateranenſis Eccleſiæ veſtibulum proijcienda miſiſſe dicitur; vt ſua verbis Chriſti Domini fides tunc præcipuè conſtaſſe ſit viſa, cùm non ſolum aduerſus Eccleſiam ſuper Apoſtolorum petra fundatam portæ inferi, per ea maximè tempora in Cœlum

fre-

ſrementes, præualere non potuerunt, ſed ipſa de omni Infero-rum poteſtate omniquè ſuperſtitione ornatiſſimum omnium, pulcherrimumquè, vel hac vna ſpecie Triumphum egit.

De Baſilicæ Lateranenſis Priuilegijs.

CAPVT VII.

AMPLISSIMIS Conſtantinianam Baſilicam, & eius Canonicos priuilegiis Summi Pontifices decorarunt, quemadmodum ſatis luculenter eorum diplomata teſtantur. Horum potiſſimum fuiſſe videtur, quod Canonici Lateranenſes obtinuerint, Titulum S. Crucis in Hieruſalem, & Diaconiam S. Mariæ Nouæ, itaut ſemper Presbyter Cardinalis, & Cardinalis Diaconus earum Eccleſiarum ex Capitulo Lateranenſi dumtaxat à Romanis Pontificibus aſſumeretur; Huius verò priuilegij Alexander Tertius auctorem agnoſcit Lucium Secundum, nam in diplomate ſuo illud ad exemplar diplomatis eiuſdem Lucij Pontificis confirmat; Immò Zacharias Ferrerius in his, quæ ad Leonem Decimum ſcripſit, non tantùm (ait) ad Canonicos Lateranenſes Titulum S. Crucis in Hieruſalem, & Diaconiam S. Mariæ Nouæ, ſed multarum præterea aliarum Eccleſiarum ſpectaſſe, nempe SS. Apoſtolorum, Sanctæ Sabinæ, S. Cæciliæ, S. Praxedis, S. Stephani in Cælio Monte, SS. Ioannis, & Pauli, S. Petri ad Vincula, & S. Pudentianæ. Ego tamen harum Eccleſiarum Cardinales nequaquam Lateranenſes Canonicos, ſed in earum potiùs Eccleſiis, & Collegiis Lateranenſium Canonicorum regulam ſeruatam exiſtimo. Hic verò animaduertere obiter licet per ea tempora nomen Canonicorum cuiuis Clericorum Collegio, qui ſpeciem aliquam regularis diſciplinæ

næ præferrent, tribui conſueuiſſe; Certè Ioannes Diaconus in Hiſtoria, quam ſcripſit de rebus Lateranenſibus, dum recenſet eos, quos adeſſe oportebat ſummo Pontifici in Ara Maxima Lateranenſis Baſilicæ ſolenniter celebraturo, inter cætera hæc habet,

In quibuſdam Dominicis, & feſtiuis diebus, Sanctorumquè præcipuis ſolennitatibus, quando qui Sacerdos eſt Regalis, & Imperialis Epiſcopus, immò Patriarcha, & Apoſtolicus, in ſupradicto Altari Sanctiſſimi Saluatoris huius Lateranenſis Eccleſiæ Miſſam debet celebrare, & celebrat D. Papa S. Petri Vicarius, debent ei aſſiſtere Collaterales ſui, videlicet ſeptem Epiſcopi cum viginti octo Cardinalibus, totidem in Eccleſiis infra muros Vrbis Romæ præſidentibus, qui poteſtatem obtinent iudicium faciendi ſuper omnes Epiſcopos totius Romani Imperij cum omnibus Concilijs, vel Synodis quibuſcunquè accerſiti, vel præſentes aſſuerint. Debet etiam ibi præſens eſſe Archidiaconus cum ſex Diaconibus Palatinis, qui in Palatio legere debent Euangelium, & in Baſilica Lateranenſi, & alij duodecim Diaconi regionarij, qui ſolent Euangelium legere in Stationibus Eccleſiarum Romæ conſtitutis. Iſti decem & octo Diaconi totidem Eccleſias habent infra muros Ciuitatis, & tamen omnes iſti Canonici Patriarchalis Eccleſiæ Lateranenſis, &c.

Ex quibus haud leuis coniectura duci poteſt inter Diaconos Cardinales, & Lateranenſes Canonicos ſummam olim coniunctionem, Ordinumquè ſimilitudinem interceſſiſſe, vt qui vnum eos, idemquè Collegium fuiſſe dixerit, non multum à ratione diſcedere ſit iudicandus, quamobrem optimo ſanè iure Summi Pontifices Honorius Secundus Alexander & Nicolaus Quartus Innocentius Tertius & Innocentius Quintus tantum huic Eccleſiæ tribuendum cenſuerunt, vt peculiari lege ſtatuerint, quoties mentionem de Eccleſiis in vniuerſum per litteras Apoſtolicas, ſanctionesquè, ac decreta fieri contigerit, Lateranenſem Eccleſiam, quod commodo eius non fiat, nunquam intellectam videri; quaſi extra comunem Eccleſiarum ſorrem poſita nihil par ſibi, nihilque ſecundam in rebus humanis admittat.

Innocentius quoque Secundus hoc idem ei conceſſit, immò & à Collectis eam exemit, quod idem indulſerunt Alexander Tertius, Clemens, & Nicolaus Quarti, Nicolaus Quintus, &

Bo-

Bonifacius Octauus, qui etiam adiecit, vt ab eiſdem Collectis eſſet penitus exempta, quamdiù eius expreſſa mentio non fieret.

Vrbanus Tertius conceſſit inſuper Lateranenſi Eccleſiæ, vt generale Interdictum eam non adſtringeret, ſed poſſent Diuina munia in ea celebrari, perinde ac ſi non emanaſſet, atque adeò poteſtatem fecit, vt defuncti ſepulturæ, etiam eius cenſuræ tempore in ea traderentur.

Innocentius Tertius indulſit, ne quis ex Lateranenſi Clero excommunicari à quouis Iudice poſſet, immo ne laicus quidem, quem intra Eccleſiam verſari contingeret, adiecto litteris Apoſtolicis, quibus ea diſponit, decreto irritanti: quod quidem Priuilegium confirmauit etiam Bonifacius Octauus. Idem Innocentius Tertius, Lateranenſem Eccleſiam hæredem eſſe iuſſit omnium Peregrinorum, qui inteſtati in eius Parœcia decederent.

Honorius Tertius ſanxit, ne contra Eccleſiam Lateranenſe præſcribi, niſi ſpatio centum annorum, poſſet, & hoc ei confirmauit Gregorius Nonus, qui conſtituit præterea ne Eccleſiæ aliquo mòdo ad Lateranenſem Baſilicam ſpectantes cogerentur litteris Apoſtolicis obtemperare, niſi de eadem Lateranenſe Eccleſia fieret in eis mentio ſpecialis, quod Priuilegium etiam Innocentius Quartus confirmauit.

Gregorius Decimus excommunicationis nodo vinctos eos omnes fore declarauit, qui attinerent, & vſurparent non bona tantùm, ſed etiam ſcripta, ornamenta, & quæcunque alia ſpectarent tum ad ipſam Lateranenſem Eccleſiam, tum ad Eccleſias illi ſubiectas, quod pariter confirmauit diplomate ſuo Pontificio Paulus Quartus.

Bonifacius Octauus, qui addixit obſequiis huius Baſilicæ Canonicos ſæculares, multis eos priuilegiis communiuit; præcipuè verò decreuit ne Canonici, & Capitulum Eccleſiæ Lateranenſis poſſint à Iudice vllo in ius vocari, niſi ab ipſo Pontifice, & ab eius Apoſtolica Sede ad id fuerit conſtitutus, cui Baſilicæ, & ei ſubiectis Eccleſiis. Paulus Tertius Archipresbyterum aſſignauit Iudicem in omnibus cauſis contra quoſcumque, & conſuetudo hæc ab aliis quoque Pontificibus adhuc retinetur.

Idem

Idem Bonifacius Octauus Canonicis Lateranenſibus habitum, ſeu veſtimenta conceſſit, quæ à Capellanis Papæ deferebantur.

Præterea exemit eoſdem Canonicos menſibus Iulio, Auguſto, & Septembri à reſidentia, vt vocant, perſonali, & eis conceſſit, vt omnes prouentus quorumcunque Sacerdotiorum, etiamſi reſidendi conditionem additam haberent, percipere poſſent; exceptis tamen diſtributionibus quotidianis. Item Eccleſiæ Lateranenſi facultatem impertiuit, vt concedere, & locare annuo cum cenſu poſſet bona, ſibi ablata, & Canonicis Presbyteris poteſtatem dedit abſoluendi ab anathemate, & diſpenſandi in irregularitate Canonicos, Beneficiatos, Clericos, & quoſuis alios Eccleſiæ Miniſtros; quin etiam poteſtatem eis dedit, vt in quacunque Diœceſi Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, & Oratoria abſque Epiſcopi venia in noſtris fundis erigerent, conſtruerentquè, ibiquè munia diuini cultus obirent, atque erga pauperes hoſpitalem pietatem exercerent.

Innocentius Quartus exemit Eccleſias etiam omnes Lateranenſi Baſilicæ ſubiectas à collectis, in quarum impoſitione expreſſa mentio de illa non fieret.

Gregorius Decimus confirmauit omnes Indulgentias, Gratias, & Immunitates à ſuperioribus Romanis Pontificibus conceſſas, ſicut etiam Libertates, Immunitatesquè à Regibus, & Principibus laicis profectas, (quod fecit etiam Sixtus Quartus) & præcipuè Indulgentias, Priuilegia, Exemptiones Alexandri, Innocentij, Honorii Tertij. Item Alexandri, Innocentii, Anaſtaſii Quarti; & Gregorii Octaui, quod etiam extenſum fuit ad Eccleſias, Monaſteria, & Hoſpitalia Eccleſiæ Lateranenſi ſubiecta.

Clemens Sextus Pontifex, qui annum Iubilei à centeſimo ad quinquageſimum deduxit, conſtituit, vt eiuſdem Iubilei piaculiares Indulgentias conſequuturi, Baſilicam Lateranenſem inuiſerent. Immò extat diploma eius ad Capitulum, & Canonicos, in quo eos adhortatur, vt morum optimorum exempla, aliis præbeant; & vitæ normam tàm inſigni Collegio dignam præſtent, eiſdemquè iniungit, vt pro ſtudio pacis, & pro eorum ſecuritate, qui Romam eo tempore confluunt, cum Nobilibus Romanis interponant operam ſuam, quò illis tranquille, & quietè viuere liceat. Supereſt adhuc Epiſtola Ioan-

nis Cardinalis Columnæ Archipresbyteri ad Capitulum data, quam hoc loco interſerere decreui, quoniam de his, quæ tempore Iubilei geſta ſunt, mentionem facit.

Venerabilibus, & diſcretis viris Romanis Canonicis, & Capitulo Sacroſanctæ Lateranen. Eccleſiæ amicis noſtris cariſſimis Ioannes de Colupna miſeratione diuina Sancti Angeli Diaconus Cardinalis ſalutem, & Iubileum æternæ ſalutis. Saluator noſter Dominus Ieſus Chriſtus Sacroſanctam Eccleſiam ſpenſam ſuam ſic inter mundi huius procellas, & turbines in fundamento ſtabili collocauit, & aduerſus perſequentium impetus defenſionis ſuæ clypeo, mirabili diſpoſitione protexit, quod licèt contra ipſam in vnnm Reges, & Principes conuenirent, ipſorum tamen miniſterio illam in ſtatu quietis, & pacis, culmen quoque honoris, & gloriæ noſcitur prouexiſſe. Chriſto eiuſdem Capite fundamento, & fundatore Eccleſiæ diſponente intellexit Rex, & Imperator pijſſimus Conſtantinus, vt ſeruiret Domino in timore Chriſti ſuſcipiens diſciplinam. Factusquè de perſecutore promotor, de ſubuerſore defenſor, amicus de hoſte, & humiliter ſubditus, qui fuerat damnabili perſecutione ſuperbus in honorem eiuſdem Saluatoris Mundi Venerabilem Baſilicam, quæ nunc Lateranenſis dicitur, fabricauit. Hæc eſt, ſicut noſtis, diuino munere pariter, & humano ordinata in Orbe terrarum Caput, & Mater Eccleſiarum; In hac eſt ſpiritualis Sedes Summi Pontificis Chriſti Vicarij, & Apoſtolorum Principis ſucceſſoris. Hæc ſanctiſſimis ornata reliquijs, cum inter omnes Eccleſias primatum obtineat, meritò eſt omnibus Chriſti fidelibus veneranda. His, & alijs pia conſideratione penſatis benigniſſimus Pater, & Dominus clementiſſimus D. N. D. Clemens diuina prouidentia PP VI. ſupranominatam Baſilicam in illius honorem, cuius eſt Vicarius, conſecratam gratia mirifica mirabiliter magna, & magnificè mirabili gratiosè cenſuit honorandam. Cum enim in eadem Domino noſtro quaſi in vna ſpeculo diuinæ benignitatis forma reſplendeat; caritatiuis affectibus illum deſiderat, & ſvmmo ſtudio nititur procurare, per quæ fideles ad ſalutem reparet miſericordia Saluatoris. Nuper ſiquidem vt eò magis fideles Chriſtiani propitium ſibi noſtrum inueniant Saluatorem, quò per ipſos templo in honorem eius ſpecialiter dedicato, cultus reuerentiæ fuerit exhibitus plenioris, de concordi conſilio Sacri Collegij DD. meorum S.R.E. Car-

Cardinalium ordinauit, & ſtatuit, quod illi, qui pleniſſimæ Indulgentiæ omnium peccatorum, quam idem D. N. D. Summus Pontifex de anno Centeſimo reduxit ad Quinquageſimum proprie Iubileum, voluerint eſſe participes, ſupradictam Lateranenſem Eccleſiam ſic vt beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli venerandas Baſilicas debeant viſitare. Hortamur itaque prudentiam veſtram, rogamus attentiùs, & ſano conſilio ſuademus, quatenus redemptori noſtro bonorum, & gratiarum omnium largitori, & poſt ipſum ſupradicto D. Noſtro Summo Pontifici, necnon Sacro Collegio DD. Cardinalium pro tanta, & tali gratia indefeſſas laudes, & vberes gratias reddere feſtinetis, & quoniam conſiderata tam magni beneficij qualitate vires vobis ſolis non ſuppetunt, ad autidora gratiarum, inuitate Clerum, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate paruulos, & ſugentes vbera, & exultet in Iubileo Chorus pſallentium Domino in die inſignis ſolennitatis veſtræ; Fiat in illa per vos, & ipſos proceſſionalis, & magna ſolennitas, in qua pro ſalute Domini, & Capitis veſtri, eiuſdemquè videlicet clementiſſimi Domini Summi Pontificis, & Fratrum ſuorum DD. Cardinalium prædictorum, pro tranquillitate, & pace totius Eccleſiæ, illi preces, & hoſtias humiles, & laudabiles offeratis, qui menti ſupradicti Domini mei miſericorditer inſpirauit, vt orbi, & Vrbi, nec minùs Baſilicæ, in qua Domino deſeruitis, gratiam gratioſè concederet, per quam poſſet multis animarum ſalus ſalubriter peruenire. Cæterum cum quanta deuotione cordis, & ſinceræ mentis affectu præmiſſa facere debeatis inde poteſt prudentia Veſtra oolligere, quod idem Dominus noſter Eccleſiam ſupradictam non ſolùm materialibus ædificijs reparat, ornat, & reficit, ſed etiam ſpiritualibus beneficijs honorat, & erigit, & ad ipſius reuerentiam fidelium multitudinem allicit, & inducit. Igitur ad prælibatas laudes, & gratias ſic lætantes exprimite, & deuotio veſtra ſatagat, quod nos, qui ad obtinendam præfatæ gratiæ largitatem, & propterea ſupradictæ Baſilicæ reuerentiam fidelium mentibus deuotiùs inſerenda dedimus operam efficacem in tanto ſancto, & pio gaudeamus opere laboraſſe, quouſque idem Dominus noſter veſtram gratitudinem recognoſcens reddat ſemper veſtris deuotis obſequijs ſuam clementiam gratiorem. Dat. Auenion. Die xv. menſis Ianuarij decima quarta Indictione.

Vrbanus Quintus conceſſit, vt ſi fortè Eccleſia Lateranenſis, vel ſacella eius prauitate hominum polluerentur, poſſent de integro à Capitulo conſecrari.

Gregorius Vndecimus ad controuerſias omnes dirimendas, quæ de Lateranenſis Eccleſiæ primatu oriri poſſent, declarauit eam obtinere omnium Eccleſiarum Vrbis Romæ, & Chriſtiani Orbis vniuerſi Principatum, etiam ſupra ipſam Vaticanam Principis Apoſtolorum Baſilicam, vti iam inſinuauimus ex Pontificio eius diplomate, quod Martinus Quintus, & Paulus Secundus, & poſtremò etiam Pius Quintus, ne dubitatio vlla ſupereſſet, confirmarunt.

Bonifacius Nonus Capitulo Lateranenſi tribuit poteſtatem omnem conferendi beneficia, & Eccleſias ædificandi, præterea Chriſti fidelibus quibuſcunque poteſtatem eſſe voluit Eccleſias alias ſubmittendi Lateranenſi Capitulo, cui merum, & mixtum imperium, atque adeo ius omne, collationem, prouiſionem, & præſentationem eorumdem tam beneficiorum, quàm Eccleſiarum conceſſit, quæ vniuerſa confirmauit Sixtus Quintus, cum ea antea ſuſtuliſſet Pius Quartus, & rurſus eadem confirmauit Gregorius Decimus Quartus. Sed & idem Bonifacius Nonus ad Riuiaquæ Marianæ defenſionem deſtinauit Capitulum, & Canonicos Lateranenſes, eisquè voluit ſuppetere facultatem conſtituendi Cuſtodes, Officiales, & Miniſtros, & cum omni iuriſdictione, ac poteſtate definiendi, iudicandi, ac etiam puniendi, ſi qui damnum inferrent.

Eugenius Quartus cunctis Apoſtolicæ Sedis Miniſtris diplomate ſuo inhibuit, ne à Lateranenſe Eccleſia, vel à Miniſtris eius pedagia, impoſitiones, veſtigalia, vel alia eius generis vmquam exigerent, decreuitquè eam immunem ab huiuſmodi oneribus eſſe debere. Immò Eccleſiam ipſam cum quibuſcunque illius iuribus, & bonis redintegrat, reſcindens alienationes quaſcunque à Canonicis, & Capitulo factas, & abſoluens à iureiurando quouis interpoſito occaſione iſtiuſmodi alienationum.

Paulus Tertius Lateranenſem Baſilicam, cuius ante Pontificatum Archipresbyter fuerat, amore ſummo eſt proſequutus, & tam illam, quàm Capitulum eius Priuilegijs plurimis communiuit, confirmauitquè omnia, quæ à ſuperioribus Pontificibus

fue-

fuérant conceſſa, atque inſuper conſtituit, decreuitquè, ne Lateranenſis Baſilica, & Eccleſiæ ei ſubiectæ aut earumdem Rectores litteris Apoſtolicis debeant reſpondere, niſi de hoc indulto expreſſa in iis fiat mentio, & niſi ſingillatim reuocetur; quod motu proprio confirmauit etiam Gregorius Decimus Quartus.

Sixtus Quintus ad maiorem Lateranenſis Baſilicæ ſplendorem, ac dignitatem ſanciuit, vt in Supplicationibus, & Ordinationibus generalibus, ac etiam tempore Chriſmatis, alijsque ſolennioribus Eccleſiæ celebritatibus Capitulum quatuor argenteis Mazzis, quas vocant, vtatur, quas perferant Cardinalis Vicarii Mandatarii habitu clericali, & pileis quadratis, ſeu biretis Presbyteralibus induti, quæ indumenta eorum quouis biennio fiant Cameræ Apoſtolicæ expenſis, ex mulctis videlicet pœnarum, in eis verò argenteis clauis inſignia ſint, tum ipſius Pontificis; tùm eiuſdem Eccleſiæ.

Nouiſſimè Alexander Septimus (temporum noſtrorum felicitas, & cuius hodie ſapientia, conſiliisquè ſpiritualis humanæ gentis gubernatio continetur) inſigniuit Baſilicam Lateranenſem ornamento præclaro in primis, & nulli eorum, quæ ſupra retulimus, poſthabendo. Nuper enim, dum nos extremam huic noſtro Commentario manum admoueremus, ſanciuit, vt munus Presbyteri aſſiſtentis, qui Sacerdoti in Capellis Pontificiis rem diuinam facienti præſto eſſe ſolet, & inter omnes reliquos celebranti ad altare miniſtrantes principem locum tenet, nemini obtinere, aut gerere, niſi Lateranenſi Canonico liceret, isquè ex numero ſex electorum per eius Capituli ſuffragia à Summo Pontifice adſumi in poſterum deberet, qui vſum coloris violacei, locumquè inter vtriuſque Signaturæ Referendarios, ac Prælatos Pontificis pro tempore domeſticos haberet. Idem ſimul iuris eſſe voluit Capitulis quoque Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ Maioris, huic in Subdiacono, illi in Diacono pro iiſdem Capellis eadem ratione deligendo. Ex quo inter cætera elucet ſingularis Eccleſiæ noſtræ ſupra reliquas Vrbanas adeoquè terrarum Orbis vniuerſi præſtantia, & principatus, de quo ſuprà ſatis accuratè tractauimus.

Irrepſerat ſanè alienus admodum, & religioſis Eccleſiaſtici decoris exactoribus minimè probatus in cæremonias Pontificias mos, vt in Capellis ſolemnibus inter Miniſtros, quorum pro

loci

loci amplitudine, ac dignitate magnus eſt numerus, nec ſolùm cum inferiores Antiſtites, & Cardinales celebrarent, ſed etiam ipſo Summo Pontifice ſacra faciente,promiſcuè nonnulli, & ſine vllo delectu admitterentur. In eius autem rei cauſa ſuperiorum temporum calamitates, atque anguſtias fuiſſe conſtat, quibus adducta veterum Pontificum prouidentia reditus, ac ſtipendia Subdiaconis, Acolythisquè Capellæ Pontificiæ, qui Apoſtolici appellantur, attributa pretio diſtrahere, ementibusquè honorem quoque gerendum eius Ordinis, ac munus exercendum permittere inſtituerat. Quod quidem melioribus etiam Reipublicæ temporibus, tuente videlicet vſum vetuſtate, diſtentoquè plures alias in curas Pontificum animo, nequaquam eſt vſurpari omiſſum. Ergo à nobiliſſimo omnium inter Eccleſiaſtica munera, pulcherrimoquè multum de priſtino honore, atque exiſtimatione paulatim decedere, ac res ipſa honeſtiori cuiquè, atque opulentiori ſordere, atque adeò ad humiliores recidere cœpit, non ſine ſumma offenſione eorum, qui ab vltimis vſque terris ad viſendam noſtrorum ſacrorum amplitudinem maieſtatemquè ſe conferunt, deque perſonarum, quas ibi animaduertunt, conditione ſtudiosè admodum, ac diligenter inquirunt; vna ſiquidem cum Rotæ Auditoribus, Abbreuiatoribus litterarum Apoſtolicarum, & cæteris Aulæ Ròmanæ Proceribus, quibus Capellas Pontificias obeundi ius eſt, obſcuriſſimos nonnullos, & humilitate originis, ac vitæ ſordibus inquinatos verſari conſpiciebant; vulgoque iam pridem remedium eius rei piorum, ac ſapientum hominum ſermonibus expoſcebatur, quod quidem ſingularis Paſtoris noſtri vigilantia diu tius deſiderari paſſa non eſt; animaduerſo etenim nequaquam exhauſtam opibus adeò rem Romanam (quamquam ſummis alioquin æris alieni difficultatibus efflicta ſit) vt in huiuſmodi remediorum extremitatibus pergendum vlterius videretur, iniuit rationem, qua conſilium nobilitandæ Capellæ Pontificiæ non modo nouo Reipublicæ oneri non eſſet vllo, ſed compendium etiam aliquod leuandis præſentibus ærarii incomodis afferret, translato penè vniuerſo altaris Pontificii Miniſterio in Primores Ciuitatis, dignitatequè, & honoribus in Romana Eccleſia præcipuos, quibus ſatis amplum tam honeſtæ operæ pretium in ipſa eius adhibendæ, atque impendendæ claritu-

ritudine videri poſſit; poſtquàm humiliores illos, qui per ſpeciem coemptorum redituum, quos diximus, Capellis intererant, vnum familiaritatis Pontificiæ ius in amiſſi reliqui honoris ſolatium retinere iuſſos amouiſſet; pretio eis optima fide reſtituto, requè publica ſtipendiorum illorum, redituumquè oneribus in perpetuum leuata; quò inter cætera firmior non modò tolerandis æris alieni moleſtiis in poſterum eſſet, verum etiamſi fieri poteſt, penitus excutiendis; cuius operis grauiſſimi, atque operoſiſſimi ſine cuiuſquam iniuria conficiendi omnis hoc tempore prudentiſſimi Principis deſudat induſtria, omnes artes, omnia ſtudia intenta ſunt. Itaque ſubmotorum huiuſmodi loco nobiliora quæque munera Rotæ Auditoribus ex prima ſui inſtitutione Pontificiis Capellanis (quos in poſterum veſtem violaceam, & circulum pilei eiuſdem coloris ferre voluit, & Subdiaconorum Apoſtolicorum officio honeſtauit), cætera Clericis Cameræ Apoſtolicæ attribuit, veteremquè ea occaſione inter eos Ordines de dignitate controuerſiam diremit, quo dignitatis incremento illud inter cætera ab Auditoribus Rotæ obtentum eſt, vt ſupra S. Palatii Apoſtolici Magiſtrum collocarentur, quo modo priores illos Subdiaconos collocare mos erat, qui honos antea niſi vetuſtiſſimo eorum (quem Decanum apellant) minime tribuebatur, ac ne in præſens quidem poſt Auditores Rotæ cuiquam omnino tribuitur. Et quò vberiùs Pontificiorum Sacrorum amplitudini, atque ſplendori conſultum videretur, Votantes Signaturæ Iuſtitiæ, quos appellant, quorum in Romana Curia auctoritas ampla in primis, & latiſſimè patens eſt, Capellarum Miniſterio (hactenus eo honore procul habitos) adſcripſit, cæterisquè muneribus poſt Rotæ Auditores, & Cameræ Clericos aſſignauit, Acolythosquè Apoſtolicos in poſterum eſſe iuſſit, Quo effectum eſt, vt ſuus Romanis cæremoniis honos, ac dignitas hac etiam ex parte egregiè nunc conſtet, verequè Princeps noſter decorem domus Domini, & locum habitationis gloriæ eius dilexiſſe vnà cum Rege Propheta videatur.

Hæc autem quamquam ſuſcepti operis inſtituto non admodum omnia congruere videntur, quando tamen rerum noſtra memoria in Eccleſia geſtarum nequaquam obſcura, aut co-

gnitu iniucunda ſunt, poſteritati tradere, & noſtris hiſce Comentariis inſerere nequaquam ab re futurum exiſtimauimus; Nunc ad intermiſſum rerum ordinem redeamus.

De functionibus Romanorum Pontificum in Eccleſia Lateranenſi, deque Miniſtris, & Apparitoribus earum.

CAPVT VIII.

ROMANI Pontifices tùm Sacrificium Miſſæ, tùm alias complures in Eccleſia Lateranenſi ceremonias ſolennioribus quibusque anni totius diebus, occaſione ad hæc ſtationum (de quibus infra dicturi ſumus) obire conſueuerant. Ad minores anni celebritates, & ad ferias ordinarias Cardinales Epiſcopi per vices, vt iam dixi, ſingulis diebus loco Romani Pontificis in Ara maxima ſacra peragebant. Ab huiuſmodi autem Cardinalibus oblationes omnes cuiuſcunque generis, aut pretii, quæ ipſis celebrantibus, Ordinationeſuè, aut Conſecrationes habentibus, aliaquè myſteria diuina peragentibus obueniebant, cum Baſilicæ Canonicis ex æquo diuidebantur, quos tamen, vel functionibus huiuſmodi miniſtrare, vel aliàs præſentes adeſſe contingeret. Pane dumtaxat, & vino excepto, cuins oblatio ad ſolos huiuſmodi Canonicos integra pertinebat. At dum ipſe Pontifex ſacrum in Ara eius maxima celebrabat, aderant, ei obſequebanturquè omnes, qui in Romana Curia quocumque honore, vel munere cingebantur; Erant verò inter primos ſeptem Epiſcopi Cardinales, nempè Oſtienſi, Portuenſis, ſanctæ Ruffinæ,

Præ-

Præneſtinus, Tuſculanus, Sabinus, & Albanus; atque hi tamquam Romani Pontificis Collaterales vocabantur primæ Sedis Epiſcopi, & primus inter illos appellabatur Prior Epiſcoporum, quem nunc Sacri Collegii Decanum appellamus. Dein octo & viginti Presbyteri Cardinales, qui Eccleſiis totidem, ſeu titulis intra Romanam Vrbem Epiſcopali auctoritate præſident, eidem Pontifici obſequebantur, & primus inter illos Archipresbyter nominabatur; cur autem numero eſſent octo & viginti, ſuperius expoſuimus. Aderant præterea Archidiaconus S. R. E. cum Diaconis Cardinalibus ſeptemdecim, & primi ſex hos inter Diaconi Palatini, ſeù Altaris Lateranenſis Miniſtri vocabantur, qui in Lateranenſi Palatio, & Baſilica ante Pontificem per vices recitabant Euangelium; alii duodecim vocabantur Diaconi Regionarii, qui Euangelium idem recitabant in Stationibus, & in aliis Romanæ Vrbis Eccleſiis, quando Pontifex ad eas ſe conferebat. Qui omnes Diaconi præerant totidem Eccleſiis intra Vrbem, quæ appellabantur Diaconiæ. Aderant præterea quinque Præſules Eccleſiarum Patriarchalium Romanæ Vrbis, nempe Prior Lateranenſis Baſilicæ, Archipresbyteri Baſilicarum Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ Maioris, atque Abbates Monaſteriorum Sancti Pauli, & Sancti Laurentii; intererant quoque Diaconus, & Subdiaconus Græci adlecti ambo ex Monaſterio Cryptæ Ferratæ, qui celebrante Pontifice recitarent Græco idiomate Epiſtolam, & Euangelium; aderantquè inſuper Romanæ Vrbis Abbates omnes, qui erant numero viginti hoc eſt.

Abbas S. Cæſarii in Palatio.

Abbas S. Gregorii in Cliuo Scauri, vbi adſeruatur Brachium S. Andreæ Apoſtoli.

Abbas S. Mariæ in Auentino, vbi eſt pars Corporis S. Sabini Epiſcopi.

Abbas S. Alexii, vbi tùm eiuſdem Sancti, tum Sancti Bonifacii corpora quieſcunt.

Abbas Sanctæ Priſcæ, & Aquilæ, vbi ex parte ſunt earumdem corpora.

Abbas Sancti Sabbæ cellæ Nouæ, vbi eſt Caput S. Tiburtii Martyris.

Abbas S. Pancratii Martyris Tranſtyberim.

Abbas Sancti Silueſtri inter duos Hortos, cuius Monaſterium ædificauit Dionyſius Pontifex; ibidem poſtea Conſepultus.

Abbas Sanctæ Mariæ in Capitolio, vbi eſt Ara filii Dei.

Abbas S. Blaſii iuxta Palatium Imperatoris Traiani.

Abbas S. Agathæ, quæ eſt in capite Suburræ.

Abbas S. Laurentii in Pane, & Perna, vbi idem Sanctus fuit in craticula excruciatus.

Abbas S. Thomæ iuxta Formam Claudiam.

Abbas S. Blaſii inter Tyberim, & Pontem Diui Petri.

Abbas S. Trinitatis Scotorum.

Abbas S. Valentini iuxta Pontem Miluium.

Abbas S. Mariæ in Caſtro aureo.

Abbas S. Mariæ in Pulara, vbi fuit ſagittis confoſſus Sanctus Sebaſtianus Martyr.

Abbas Sanctæ Mariæ in Monaſterio iuxta Sanctum Petrum ad Vincula.

Abbas Sanctorum Coſmæ, & Damiani in Vico Aureo Tranſtyberim:

Intererant quoque vnus & viginti Subdiaconi S. R. E. quorum primus appellabatur Prior; ex his verò ſeptem Baſilicarii, ſeù Palatini vocabantur, ſeptem Regionarii, ſeptem verò reliqui erant Scholæ Cantorum. Palatini in Palatio, & in Baſilica Lateranenſis celebrante Pontifice recitabant Epiſtolas, itemque ſuper eius menſa lectiones ſacras prælegebant; Regionarii id munus in aliis Vrbis Eccleſiis, & in Stationibus obibant. Scholæ Cantorum Caput, & Magiſtrum habebant Primicerium, cum quo, & cum aliis miniſtris ij ſeptem Subdiaconi, dum Pontifex celebrabat, vbicumque id contingeret, ſacrum concentum emodulabantur, & horas Canonicas perſoluebant. Poſtremo intererant Acolythi, Capellani Pontificis, Lectores, Exorciſtæ, Oſtiarii, & ſinguli munia propria ritè obibant. Ex Laicis verò olim aderat Vrbis præfectus, qui poſt Pontificem Romæ cæteris dignior habebatur, amiciebaturquè pallio ſerico rubei coloris, in quo nuper habitu poſt Vrbini Ducis Vrbis præfecti obitum Romana Ciuitas Thaddæum Barberinum Præneſtinum Principem S. R. E. Generalem Ducem, & Vrbani Octaui Pontificis fratris filium ab eodem Pontifice Præfectum Vrbi delectum

ſpe-

ſpectauit,qui præter togam induebatur caliga vna rubea, alia verò aurea, cum eo autem intererant ſeptem Palatini Iudices, qui Ordinarii olim vocabantur, eorumquè Iudicum nomina ſunt Primicerius, Secundicerius, Arcarius, Protoſcriniarius, Primicerius defenſorum, & Adminiculator.

Primicerius, & Secundicerius incedebant cum Pontifice dexterum eiuſdem, & læuum latus tegentes, eumquè ita ſemper comitabantur in publicis Supplicationibus, celebritatibus, & conuentibus, atquè iidem diebus ſolennioribus, dum Matutinum recitaretur, octauam lectionem prælegebant, horum verò munus nunc obeunt duo primi Cardinales Diaconi, qui Aſſiſtentes nominantur; habebanturquè primi, & præcipui, qui Romano Pontifici erant à conſiliis, immò etiam Sedis Apoſtolicæ Conſiliarii apellabantur.

Arcarius tabulis, ſeu monumentis ſcripturarum præerat.

Sacellarius Militibus diſtribuebat ſtipendia,& Sabbatho Scrutiniorum Romanis erogabat eleemoſynam, Clericis verò elargiebatur Presbyterium.

Protoſcriniarius præſidebat duodecim Scriniariis.

Primicerius Defenſorum Aduocatis præerat.

Adminiculator erat Patronus pauperum, qui deſtitutorum,indefenſorumque cauſſas ex officio ſuſcipiebat.

Porrò his Iudicibus interdictum erat ſententiam capitis pronunciare, & tametſi forent Clerici, nihilominus promoueri ad ordines non ſolebant; dequè his præcipuè in libro huic proxime ſequenti ſermo à nobis habebitur.

Demùm Senatores; Iudices, Aduocati, Scriniarii, Præfecti Nauales cum Prioribus, & omni nobilitate, ac Romanis Proceribus Pontifici in rebus diuinis adſtabant.

Eo, quem deſcripſi ordine Clerus Romanus, & Magiſtratus Pontifici aderant celebranti in Baſilica Lateranenſe, erant enim præfiniti dies,in quibus idem Pontifex ritu ſolenni in Ara eius maxima ſacrificabat, nempe Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum: Feria quinta in Cœna Domini: Sabbathum Sanctum: Prima,& ſecunda dies Paſchatis ad Veſperas tantum: Sabbathum in Albis,& Sabbathum Pentecoſtes. Id agebat præterea Pontifex in annuis celebritatibus S. Ioannis Baptiſtæ,

Exaltationis S. Crucis, Dedicationis Baſilicæ Lateranenſis; in Anniuerſario die electionis eius, & in Stationibus pro Eccleſia eadem conſtitutis, quas infra enumerabimus. Functiones autem reliquæ per ſummum Pontificem obiri ſolitæ erant huiuſmodi. Benedictio Palmarum, Olearumque in Dominica Palmarum, quæ fieri ſolebat ante ipſum Miſſæ ſacrificium, deferebanturquè Palmæ, & Oleæ, ſicutdiximus, benedictæ per vniuerſam Eccleſiam agmine totius Cleri, ac Populi Eccleſiæ more, atque ordine ad incedendum compoſito. Conſecratio olei Sancti Cathecumenorum, ac Infirmorum, & Chriſmatis, idquè Feria Quinta in Cœna Domini. Ritus autem huiuſmodi conſecrationis erat ferè idem, quem hodiequè ab vniuerſis Eccleſiis vſurpari videmus, & quia à Praxe Romanorum Pontificum in hac Eccleſia ſeruari ſolita originem duxit, non incongruum exiſtimauerim paulo diligentiùs hoc loco ea de re verba facere. Inter cæteras itaque ſolennitates ad diem Cœnæ Domini obiri ſolitas deſcendens cum mitra Pontifex ſine Faſcia, ſeu Frigio, quod appellant, & ante Crucem ſupplicans in Eccleſia comitantibus Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, Clero, & Ordinibus enumeratis, ad Secretarium ſe conferebat, hoc eſt ad Oratorium Sancti Thomæ vbi Nona decantatur, ſacra ſumebat indumenta vſque ad Dalmaticam, ſuiſquè etiam Dalmaticis Cardinales Diaconi, & Sacerdotalibus Caſulis Cardinales Presbyteri amiciebantur aderantquè Pontifici. Tum Prior Diaconorum eidem Pontifici ſedenti adferebat Ampullam cum oleo, cui Balſamum infundebatur, & permiſtum cum ramuſculis aliquot Palmarum, ſuper Altare Sancti Thomæ collocabat. His perſolutis Pontifex Mitram cum aureis Infulis, & caſulam induebat, & è Secretario per Porticum Baſilicam intrabat, præcedentibus ſeptem accenſis cereis in totidem Candelabri, & in Ara Maxima ſacris operabatur, Verſiculus *Kyrie eleiſon*, *Gloria Patri*, *Gloria in excelſis Deo*, *Symbolum*, *& Agnus Dei*; omiſſo pacis oſculo decantabantur, ſed & poſt ſymbolum Pontifex ſacram concionem ad populum habebat. Diaconi Cardinales Sacrificio peracto, Dominicam menſam ex Ara maxima ſubmouentes illam in ſecreto, & conſtituto loco deponebant, & denudato altari, geminiſquè Ampullis ex

ex eo acceptis ſanguinem, & aquam Chriſti continentibus ſuper Altare exponebant, quod linteo erat obuelatum, atque id poſt Miſſam in quatuor angulis ſignabant. Præfatione inchoata Diaconi Cardinales cum Subdiaconis, & Acolythis, Crucem, Thuribulum, & cereos duos præferentibus accedebant, deferebantquè Pontifici Ampullas Olei, vt eas benediceret; Pontifex autem priuſquàm recitaretur. *Per quem omnia Domine*, benedicebat oleum pro infirmis, dein poſt verba. *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, ſolus Pontifex ſumebat ſacram Synaxim, eiquè Chriſti ſanguinem porrigebat Cardinalis Diaconus Altari ſuperimponens Calicem, & iuxta eum Patenam ſuper Corporale, quæ vtraquè mox ſyndone munda operiebat. Poſt hæc Acolythi duo ſtatim deferebant gemina Olei vaſa obuoluta velo albo ſerico ſiniſtro brachio, ita tamen vt aliquantulum videri poſſent. Tunc accedens vnus ex Diaconis Cardinalibus Ampullam Olei ſumebat, in qua permiſtum erat Balſamum, tradebatquè illam Archidiacono, & is ante Altare Pontifici eam offerebat, Pontifex vero ad Orientem conuerſus Diacono ſuſtinente ſiniſtro brachio ſyndonem inuolutam, ter ſignum Crucis ſuper illam efformando inhalabat, & ſacro Chriſmate, ita confecto clara voce Præfationem decantabat, eaquè expleta Ampullam Olei Sancti ordine,ac ritu adſimili Conſecrabat, conſuetam orationem recitans, *Dominus incrementum, &c.* Porrò Ampulla Sacri Chriſmatis iam benedicta velo tegebatur, & Diaconus Cardinalis eam præferens ita Pontifici ter eamdem conſalutabat, inquiens. *Aue Sanctum Chriſma*, quàm è manibus Diaconi acceptam adempto velo oſtendebat populo, & hoc pacto eam per Acolythum exhibitam tàm Epiſcopi, quàm Presbyteri, & Diaconi Cardinales pariter conſalutabant. His omnibus peractis Pontifex manus proluebat, accedebat ad Altare, & ſacram Synaxim populo diſtribuebat, ſeruabatquè particulas eius intra Corporale impoſterum diem. Schola verò Cantorum cum cæteris officium diuinum abſque Organi modulatione canebat. Demum Miſſa peracta Pontifex cum ſuo Comitatu ad Palatium redibat in Sacellum Sancti Laurentii, quod dicitur Sancta Sanctorum, vbi iuxta Chriſti Domini inſtitutionem, quemadmodum infra dicam, pedes Subdiaconis

duo-

duodecim eluebat. Item ad functionem Summi Pontificis Benedictio Cerei, aliæque Cæremoniæ Sabbatho Sancto obiri ſolitæ pertinent; quarum ritum eiſdem, quibus ſupra dixi, de cauſſis hic attexam. Nouum ignem hora ſexta in Atrio ante Baſilicæ Veſtibulum iunior Presbyterorum Cardinalium accendebat, eumque cum thure, & Luſtrali Aqua Benedicebat, dein Cardinalis Diaconus procedens in Eccleſiam impoſitis arundini ternis facibus, quæ ex nouo igne rutilabant, ter canebat. *Lumen Chriſti*. Poſtea Latinè, & Græcè, vti mos erat, recitatis in Choro duodecim Prophetiis cum tribus Reſponſoriis, videlicet. *Cantemus Domona. Vinea facta eſt. Attende cœlnm*. Pontifex deſcendebat ad Fontem Lateranenſem, ibique ea peragebat, quæ nos explicabimus in Libro tertio; poſtea in Baſilieam reuerſus, Sacra rite perſoluebat, & eò die Pontifice celebrante ſeptem faces impoſitæ totidem candelabris ſemper ardebant. Symbolum, Offertorium, *Agnus Dei*, & Communio omittebantur, & poſt Epiſtolam Pontifex *Alleluia*, enunciabat, quod de Suggeſto repetebat Primicerius cum Schola Cantorum. Ad Euangelium faces non præferebantur, & ſeruabantur omnia, quæ in Miſſa Sabbathi Sancti iam ſeruari conſueuerunt, poſteaque Pontifex cum Comitatu ad Palatium ſe conferebat. Et quia Cereo huiuſmodi mos erat conficere Cereas Icunculas Agni ſpeciem præferentes, quas Agnos Dei appellamus, easquè Sabbatho proxime conſequenti, quod dicitur in Albis, benedicere, ac populo diſtribuere, non ab re futurum puto; ſi pauca de ritu huius venerabilis Cæremoniæ, deque temporibus, quibus initio fuerit vſurpata, & cæteris, quæ ad eam ſpectant, paulo accuratius diſſeram.

Priſcis temporibus ex Cerei Paſchalis cera Agni Dei conficiebantur, quapropter æque veterem eſſe credimus conſuetudinem benedicendi Agnos Dei, ac Cerei Paſchalis inſtitutio, ſeù Benedictio vetus eſt. Tradit Cencius Camerarius Zoſimum Pontificem omnibus Romanæ Vrbis Pareciis, vt Cereum Benedicerent mandaſſe, & S. Hieronymus qui Pontificatui eiuſdem Zoſimi proximus fuit ad Præſidiam Diaconum ſcribens (ſi tamen illa Epiſtola vere Hieronymi eſt) verſus illos refert, qui in eiuſdem Cerei laudem decantabantur, atque eum elegan-

gantium quoque orationum floribus etiam decorari ſolitum fuiſſe tradit. Diuus Ambroſius, qui Zoſimo Pontifici annis quadraginta ſuperſtes fuit, formulam benedictionis Cerei nobis reliquit, qua hodiequè Eccleſia vtitur quamuis non tota eius opus fuiſſe a plerisque putetur; quin etiam Prudentius Chriſtianus Poeta, & Diuo Ambroſio æqualis, Cerei mentionem habet, atque in eius benedictione ſacrum Chriſma vſui fuiſſe videtur innuere, vt proinde mihi perſuadeam eo ipſo tempore ceram diſtribui conſueuiſſe, quæ ex Paſchali Cereo ſuperfuiſſet, & ſenſim inductum eſſe morem, vt ſigillis Agni ea Cera imprimeretur, typumquè Chriſti innocentiſſimi Agni, qui pro nobis obiit, & reuixit, haberet. Fortaſſe etiam eiuſmodi Agni in Cera expreſſi ideo tunc nouis Chriſtianis diſtribui ſolebant, vt ſcirent, quid credere ipſos oporteret, & ad cuius manſuetudinem, innocentiamquè mores ſuos conformare deberent. Agnorum Imagines in vſu, cultuquè Eccleſiæ omnium, quas nobis vetus memoria tradidit, antiquiſſimæ, & frequentiſſimæ putantur: nulla ſiquidem alia figura, cum in veteri, tùm in nouo Teſtamento Chriſti Domini humanitatem, eiusquè omnia myſteria elegantius, expreſſiùsque ſignificari teſtes innumeræ in Diuinis litteris ſententiæ ſunt, quibus Agnus ad occiſionem ductus; Agnus terræ Dominator, & mundi peccata tollens, librumquè obſignatum, & occluſum aperiens, occiſus à mundi Origine, & aliis huiuſmodi formulis identidem appellatur: hinc illæ Icones agnorum, quæ Tertulliano auctore in ſacris Calicibus inſculpi ſolebant, paſſimque vetuſtæ Eccleſiarum Apſides eiuſdem ornamenti genere diſtinctæ; priſcorumquè Chriſtianorum Imagines, quos cum Agnis huiuſmodi ad Amuleti, ac Bullæ formam ex collo pendentibus pingi Romæ ſolitos perhibent; Verùm haud abſurdum fuerit affirmare hanc effingendi Chriſti Domini rationem ipſis Eccleſiæ primordiis vſurpatam ex ttito Apoſtolorum, atque Euangeliſtarum loquendi more paſſim eo genere Allegoriæ ſacros de Diuinis Myſteriis ſermones intermiſcentium; quo fideles manſuetudinem, humilitatemque Agnorum, propriam Chriſti virtutem ſequi condiſcerent; quamuis enim omnibus abſolutiſſimæ ſapientiæ partibus ſalutarem Euangelii ſui doctrinam ſuper omnem terrenæ Philoſophiæ gloriam cumulauiſſet; nullius tamen laudis expreſſiorem ſe diſertio-

tioremquè Magiſtrum ſimul, & Exemplum profeſſus eſt, quàm eius, de qua dixit, *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*; quæ virtus, vt dictum eſt, luculentiſſimè Agni Imagine repræſentatur; vnde etiam profectum reor, vt qui ad Baptiſmatis fontem ſordes animæ poſituri accedebant honeſtiſſimo hoc Agnorum titulo decorarentur: id, quod à Sanctiſſimo Epiſcopo Paulino elegantibus hiſce verſiculis effertur.

Inde parens ſacro ducit defonte Sacerdos
Infantes Niueos Corpore, corde, habitu,
Circundansque rudes feſtis Altaribus Agnos
Pura ſalutiferis imbuit ora cibis;
Hinc ſenior ſociæ congaudet turba Cateruæ
Alleluia nouis balat Ouile Choris.

Quin etiam ad tollendos profanos Ethnicorum cultus aduerſus Faſcinorum præſtigia vaſculis quibuſdam Succineis ad muniendos pueros vtentium, credibile eſt Apoſtolos ipſos, aut certè Apoſtolis proximos Patres, quo dociliores gentium animos recipiendæ Euangelii doctrinæ redderent, profanos eos ritus ad morem Chriſtianorum Sacrorum accommodaſſe, vt pro ſuperſtitioſis illis inanium Deorum Simulacris, ad auertendas corporum, animorumquè peſtes, hanc Spiritualis medicinæ rationem homines adhiberent, quam inuocatio Cœleſtis adiutorii, & effigies Chriſti Domini, qua mitiſſimus, & maximè propitius mortalium animis accedit, expreſſa conſecraret. Fuit autem admodum frequens huiuſmodi Bullarum olim penès Ethnicos vſus, vimque haud vulgarem ad prohibendam eam contagem, quam ab inuidentium obtutu proficiſci plerique exiſtimant, habere credebatur; vt propterea collo Triumphantium appendi ſolerent, propterea quod illam celebritatem, & pompam ſupremum fortunæ mortalis apicem arbitrarentur, & ea de cauſſa materiem inuidiæ, & liuoris indiuiduam iudicarent. Neque verò perindè apud veteres Romanos, vt apud nos huiuſmodi conſuetudinis initia obſcura ſunt; namque memoriæ proditum eſt Tarquinium Priſcum filio vix pubertatem ingreſſo, quod fortem operam in prælio contra Sabinos nauaſſet fœdatam hoſtili cruore dexteram referenti Bullam auream, ac Prætextam dono

dono dediſſe, indequè vſum nobiles pueros prætextæ indumento, ac ornamento Bullæ decorandi manaſſe, diuquè à poſteris retentum, vt eſſet incitamento ciuibus ad eius laudem æmulandam, cuius virtus teneris in annis ea præmia meruiſſet. Sed vt aliena mittamus, quod attinet ad peculiarem, Agnos cereos benedicendi ritum, quo in præſens vtimur, exſtant eius monumenta ſatis clara apud Alcuinum, & Amalarium, qui ſub nonum ab aduentu Chriſti ſæculum vna cum Carolo Magno floruere; Item in ordine Romano, cuius haud ſecior antiquitas eſt, vbi hac de re tamquam de olim inſtituta, & inter ſacros Eccleſiæ ritus ſtabili iam, & confirmata ſermo eſt: Certè Gregorij Magni tempore viguiſſe argumento haud dubio eſt, id quod ipſe de Chriſmate ceræ admiſcendo ordinaſſe ab his ipſis auctoribus traditur, idque *quando Myſteria Paſchalis agni reſerauit*. Adde quod ex Mariano, & Surio habemus. Repertum hi teſtantur ab effodientibus noua Templi Vaticani fundamenta Mariæ Stiliconis filiæ, & Honorij Auguſti coniugis ſepulcrum, loculum ſcilicet Heraclio ex marmore confectum, corporisquè in eo reliquias precioſis veſtibus argentea in arcula poſitis inuolutas, vnaque annulos ad quadraginta, aureaque, & argentea nummiſmata complura, inter quæ inſignis fuiſſet cerea huiuſmodi agni effigies aureo concluſa circulo, cuius in limbo huiuſcemodi caracteres legerentur. *Maria noſtra Flomentiſſima*, cum nominibus in altera lamina Michaelis, Gabrielis, Raphaelisque, Archangelorum, & Vrielis. Hanc autem ab Anaſtaſio, ſeu Innocentio, alioue Romanorum Pontificum ea tempeſtate florentium Imperatrici dono miſſam, reiquè pretioſiſſimæ loco ab ea acceptam credibile eſt, iàm tum obſeruato à Sede Apoſtolica laudabili hoc more, qui nunc obtinet Sanctorum Reliquias, aliaquè ad pietatem, ac Religionem pertinentia quaſi Xeniola ad inſigniores quoque Chriſtianæ ditionis Principes mittendi; quo modo poſterioribus ſæculis ab Vrbano Quinto Imperatorem Conſtantinopolitanum Caloioannem hoc cereorum agnorum munere donatum eſſe accepimus, vna cum verſiculis ipſius muneris interpretationem continentibus, quos hic ſubiicio.

Balſamus, & cera munda cum Chriſmatis vnda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum;
Fonte velut natum per myſteria ſanctificatum;
Fulgura deſurſum depellit & omne malignum
Peccatum frangit, vt Chriſti Sanguis, & angit
Prægnans ſeruatur ſcilicet partus liberatur
Dona defert dignis, virtutem deſtruit ignis
Portatus munde de fluctibus eripit vndæ.

His autem, libet adiicere non minus ſcitu dignos Iani Vitalis admodum eruditè hoc ipſum argumentum pertractantes.

Candida Cera Dei Diuini ope Numinis Agnos
Agnos nouellos conficit.
Adduntur ſucco mox Balſama pinguis oliui,
Et lympha puri gurgitis.
Conceptis verbis arcano, & munere ſacrat
Romanus illos Pontifex.
Et quia deſignant nobis Myſteria Summi
Agni Deorum Principis,
Reſtituit Nobis proprio qui funere vitam;
Agni rogat Vicarius.
Ventorum, vt rabiem excutiant, pelagiquè procellas,
Ictusquè frangant fulminum.
Vt Stygios noſtris pellant à ſedibus hoſtes,
Vt fæda tergant crimina.
Cunctantem educant vtero de ſoſpite fætum
Matris dolores abrogent.
Flammarum extinguant incendia dira, boniſquè
Opes honoris augeant.
Præterea tollant horrenda pericula mortis
Mortis repente concita,
Sit Victor quiſquis pugnans dat laudis honores
Agnis Nouellis debitos.
Exorent nobis Diuini Numinis auram
Opis ſequeſtres Cælitum.

Om-

Omnia ſint votis noſtris, atque omnia poſſint
Culti fideli Spiritu,
Vt ſunt in ſe ipſis pars totum quælibet, vtquè eſt,
Totum illud abſque partibus.
Hæc rogat, & ſanctis vndis ſimul abluit Agnos
Paſtor Gregis Mortalium.

Et hæc ſatis de ritus Agnorum Dei Inſtitutione, antiquitate, & Myſteriis dicta ſint, ſupereſt vt de materia, de Benedicendi Cæremonijs, & ratione diſtribuendi pauca ſubiiciamus. Olim Agnos Dei ex cera Paſchalis Cerei fieri ſolitos ſuperius innuimus. Deinde vſus obtinuit, vt ex cera promiſcua in hoc ipſum ad aram Confeſſionis B. Petri oblata conficerentur. conficiendi Miniſterium primò quidem Archidiaconi, deinde Subdiaconi Apoſtolici, mox Acolythorum Pontificiorum, poſtea Sacriſtæ fuit, nunc verò neminem præcipuum Miniſtrum adhibere, ſed viris Religioſis pro arbitrio Pontificis negocium eius rei dare mos eſt. Benedicendi quoque Agnos Dei Archidiacono Ius olim erat, qui ea de cauſa ſummo mane Eccleſiam ingredi ſolebat, & ceram à ſordibus diligenter purgatam, atque elutam, deinde delibutam Chriſmate intra vas admodum amplum iniicere, ſuperque ea ſolitum benedictionis carmen, ac formulam pronunciare; ex cera hoc modo ſanctificata Agnorum Dei effigies efformabantur, ac Sabatho deinde in Albis poſt Euchariſtiam Populo diſtributam, ipſæ quoque diſtribui conſueuerant præſentibus Miſſæ Sacrificio, & deuotè ea ſacra Munuſcula domum aſportantibus, inque iis tamquam haud dubia Cæleſtis patrocinii teſſera certum ſibi aduersùs omnes diabolicas inſidias præſidium, & adiumentum exiſtimantibus; olim quidem ſingulis annis Agnos Dei benedicere, mos erat, poſtea vero inſtitutum, eſt vt Summi Pontifices ipſi per ſemetipſos primo ſui Pontificatus anno, ac ſingulis deinceps ſeptennijs, quoad eos vita perduxerit, id facerent, quinimò diſtribuendi quoque Miniſterium ab Archidiacono ad ſummos Pontifices tranſlatum eſt, qui antiquitùs tres dumtaxat ſingulis Cardinalibus, reliquis vero Præſulibus duos, non amplius impertiebat; isque largiendi modus ad Paulum vſque ſecundum, ſeruatus eſt, qui in diſtributione harum Imaginum liberalior

multò eſſe cœpit, fuitque in cauſa, vt honos huic Ceremoniæ pridem habitus admodum vulgaretur, minoriquè longè in pretio apud fideles eſſet, omiſſa nimirùm habendi raritate, ex qua nemo eſt, qui non intelligat quantum gratiæ rebus omnibus, ac venerationis accedat. Illud autem imprimis notatu dignum hac in rę cenſeo, quod complures ritus in Baptiſmatis Sacramento vſurpari conſueti in Cereorum quoque Agnorúm benedictione vſurpantur, idque probabile eſt magna ex parte inde eſſe profectum, quod in eadem dierum periodo (octaua videlicet Paſchatis) vtramque ſolemnitatem antiquis temporibus celebrari mos eſſet, antequam hodiernus vſus ſingulos priuatè Baptizandi fideles in Eccleſiam inualuiſſet; mirificè autem hæc rituum ſimilitudo congruere videtur, cùm eo, quod ſupra exequuti ſumus imaginum huiuſmodi Myſterio, debitum in ablutis baptiſmate animis humilitatis, & manſuetudinis officium, puritatem præterea vitæ, morumq. candorem deſignante. Ac, ne quidem inter epulas (id quod antea fiebat) agenti Summo Pontifici Agnos Dei offerendi mos diù viguit, namque ſequutis poſtea temporibus, ſolemne cum ſupplicatione ſacris interuenienti per Subdiaconum Apoſtolicum in argentea pelue portari, & hæc verba pronunciari inſtitutum eſt. *Pater Sancte. Iſti ſunt Agni Nouelli, qui annunciauerunt vobis alleluia, modo veniunt ad fontes, & ſunt repleti claritate, alleluia*. Quæ deinde Schola Cantorum exciperet reſpondendo *Deo gratias alleluia*. Verùm de his hactenus, ne longius ab inſtituti operis ordine diſcedamus; qui vero plura deſiderat plenum hac de materia, abſolutum Io: Mariæ Suareſij Epiſcopi Vaſionenſis doctiſſimi, & optimè de Eccleſiaſtica eruditione meriti viri opus propediem in publicum exiturum expectet.

Demum ſummus Pontifex ipſo die anniuerſario S. Ioannis Baptiſtæ, & in eius Peruigilio vna cum Cardinalibus, atque alijs Cleri ordinibus Veſperas celebrabat, intereratquè Nocturnis Matutini Vigilijs in Eccleſia Lateranenſe, & mane in ea ſolemni ritu Miſſam celebrabat; idque Lateranenſes Canonicos à diuinis officijs obeundis ea nocte immunes faciebat. Sed & recens creati Pontifices ad Lateranenſem Eccleſiam, vtpote propriam eorum Cathedram, adire ſolent, poſſeſſionem eius iuxta ritum, qui in Rituali Codice S. R. E. præſcribitur, acce-

pturi,

pturi,ac etiam ſacra ibidem tunc Deo perſoluere conſueuere. Inſignis præterea eſt inter Cæremonias huius Eccleſiæ frequentia Stationum ibi præcipuè antiquitus celebrata; receptiò item ad ſolemnem Pœnitentiam, Celebratio Conciliorum; Conſecratio Pontificum de quibus idcirco commodioris intelligentiæ gratia diſtinctè ſequentibus in Capitulis agemus.

De Stationibus tùm antiquis, tùm recentibus Baſilicæ Lateranenſis.

CAPVT IX.

ETSI de Stationibus Eccleſiarum Vrbis ſatis multa aliis à Scriptoribus tradita ſint, haud alienum exiſtimo pauca primùm de hoc Eccleſiæ ritu in vniuerſum afferre, inde ad ea deſcendere, quæ ad noſtram Eccleſiam præcipue ſpectant, ſeruataque in hac materia tum antiquitus fuere, tum vſque ad hæc tempora ſeruantur. Cum Eccleſia Dei quidam velut exercitus ſit aduersùs diaboli poteſtatem comparatus, quaſi inſtructo agmine, non ad decorem dumtaxat diuini cultus, quem celebrat, ſed ad piorum vtilitatem ſimul, & hoſtium formidinem incedat oportet, quo nimirum appareat, in conſpectu eorum terribilis, vt Caſtrorum acies ordinata; verum non ſtrepitu armornm, ſed oratione, cinere, & cilicio eius apparatus inſtruitur, quod cauſæ eſt, cur Romanus Pontifex olim nudis pedibus Stationes ſupplicabundus obiret, & Crucem, quaſi vexillum regale, ac triumphale ſignum præmitteret, cuius à conſpectu illicò partes aduerſæ diffugerent. Inſtituebatur autem proceſſio quoties ad Eccleſiam aliquam Statio haberetur, & populus cum Clero in ſacra æde alia illi propinqua conueniebat (quod dicebatur Collectam facere) ibiquè operiebatur Pon-

Pontificem, eo autem aduentante, ibatur ordine conſueto ad locum Stationis, vbi Pontifex concionem habebat, & aræ operabatur, omiſſo Kyrie, ſi quidem in ſupplicatione iam fuerat recitatum, ante Communionem verò Subdiaconus Regionarius alta voce Stationem his verbis in poſterum diem indicabat.

Craſtina die veniente, Statio erit (exempli cauſſa) *in Eccleſia Sancti Laurentij in Damaſo.*

Sacris verò peractis Acolythus ellychnium accipiens, illud immittebat in oleum lampadis, ac deinde accuratè mundatum perferebat ad Pontificem, dicens, *Iube Domne benedicere,* & Pontifex impertiebat ei Benedictionem, poſteaquè ellychnium Acolythus offerebat hæc dicens.

Hodie fuit Statio ad S. Laurentium in Damaſo, quæ ſalutat te.

Pontifex illud accipiebat, & ob Sancti illius venerationem oſculabatur, tradebatquè Cubiculario, qui vnà cum alijs (nam in omnibus Stationibus dari conſueuerat) illud condebat, ſeruabatquè vſque ad obitum Pontificis, tunc enim eo demortuo paruum puluinar ex ijs conficiebatur, vt capiti eiuſdem in ſepulcro ſupponeretur, quemadmodum prolixiùs apud Cencium Cardinalem Camerarium habetur. Cæterum Stationes in Eccleſia perantiquas fuiſſe conſtat, & cum illas, tùm etiam ſolemnes ſupplicationes ad diuerſas Romanæ Vrbis Eccleſias certo numero à Diuo Gregorio Magno, iuxta ſingulas anni ſolemnitates inſtitutas. Stationis nomen, ac eius ſignificatio ab ipſo actu ſtandi deriuari videntur. Ita nimirum primò intelligitur Statio, eſſe locus ille, in quo aut Naues, aut Milites ad tempus perſtant, quemadmodum videre eſt apud priſcos Latinæ linguæ Scriptores, & præcipuè Virgilium.

Nunc tantùm ſinus, & ſtatio male fida carinis.
Frangere nec tali puppim ſtatione recuſo.

Hinc Metaphoricè ſumitur etiam Statio pro temporaria habita-

bitatione, & originem habet hæc tranſlatio ab eo littoris loco, in quo ad tempus Naues commorantur, quapropter Cicero ad Atticum libro ſexto. *Athenis* (inquit) *ſtatio mea nunc placuit*.

Locus etiam Vigiliarum, vbi ſtantes Milites ad cuſtodiam excubant, appellatur Statio; quare Virgilius Nono Aeneidos ait

Seruantquè vices ſtatione relicta.

Et inde nomen habuerunt milites Stationarij. Item locus, in quem conueniunt multi ad res ſtatuendas, ſiue ad ius dicendum, Statio nuncupatur, & ideo Gellius libro decimo tertio, cap. decimotertio hæc habet.

Quæ ſitum eſſe nemini in plerisque Romæ ſtationibus ius publicè dicentium.

Et Iuuenalis Satyra prima.

ſtationes omne Theatrum.

Quæ cum ita ſint, videtur hoc Stationis nomen in Chriſtianorum antiquum vſum efluxiſſe, vel à Romana militia, vel ab aliqua peculiari harum ſignificationum, quas modo inſinuaui, nam quemadmodum Milites ſtantes, & præſidium certo in loco habentes ſtationes obibant, ita & Chriſtiani hoc Stationis nomine peculiarem corporis ſitum præſeferebant, ſiquidem orantes ſtabant nunc in vnam, nunc in aliam Baſilicam conuenientes. Certe ipſos apud Martyria, ideſt apud Martyrum ſepulcra ſtantes Deum orare conſueuiſſe, præcipuè Dominico die Tertullianus teſtatur in libro de Corona Militis, vbi militem Chriſtianum ſic alloquitur.

Iam, & Stationes, aut alij magis faceret, quàm Chriſto, aut nec Dominico die, quando nec Chriſto.

Quæ vt accuratiùs perpendantur, illud animaduertere oportet, veteres Chriſtianos duobus modis, hoc eſt aut de genu orare

re conſueuiſſe, aut ſtantes, vt infra dicemus. Hiſtoria de Chriſtiana Legione Fulminatrice, quæ in expeditione Germanica Marci Antonini exercitui pluuiam à Deo impetrauit, dum ardentiſſima ſiti laboraret, teſte Tertulliano ipſo in Apologetico, & ad Scapulam, refert eos Legionarios milites genibus flexis, & prouolutos in terram Deum precatos fuiſſe, atque adeò Clemens Alexandrinus tradit vltimo Stromatum libro ſolitos fuiſſe Chriſtianos orantes ſeſe in terram proſternere, quod de geniculis adorare in libro de Corona militis, & geniculationem in libro ad Scapulam vocat Tertullianus;

Quando non (inquit) *geniculationibus, & ieiunationibus noſtris, etiam ſæuitates ſunt depulſæ.*

Idemquè teſtatur Origenes homilia quarta in Numeros: Ad hæc aliud precandi genus erat, cum ſtantes Chriſtiani orabant, quod Tertullianus vocat de geniculis non adorare. Atque hunc orandi morem per dies Dominicos, atque inſuper toto eo temporis interuallo, quod inter Paſcha, & Pentecoſten intercedit, retinebat, idque idem Tertullianus in libro iam citato ſic affirmat.

Die Dominico ieiunium nefas duximus aut de geniculis adorare, eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſtem vſque gaudemus.

Quapropter illæ precationes appellantur Stationes, vti veteres ſcriptores tradunt, & earum ſolemniores etiam fieri ad aras ſolebant, vti indicat idem Tertullianus in libro de Ieiunio, inquiens.

Solenniter erit Statio tua, ad Aram Dei ſteteris.

Ibidemque teſtatur eiuſmodi Stationes interdum vſque ad Veſperas conſueuiſſe produci, atque adeo de Stationibus fit mentio apud eumdem in libro ſecundo ad vxorem.

Vt ſi ſtatio facienda eſt, maritus de die condicat ad tabernas.

Et in

Et in libro de fuga in perſequutione.

Tum & fides in expeditione ſollicitior, & diſciplinatior in ieiunijs, Stationibus, orationibus, & humilitate.

Orabant verò ad Orientem conuerſi, vti in Apologetico idem Tertullianus eſt Auctor. Ergo Stationis vocabulum hoc ferè ſenſu ex antiquitate acceptum obſeruatione perueteri veluti per manus traditum, & retentum apud Chriſtianos eſt, etenim antiqui Romani Pontifices ſtatis quibuſdam anni diebus, in Quadrageſima præſertim eo, quem dixi, modo ad diuerſas Vrbis Eccleſias ſe conferebant, vbi ad populum adſtantem concionem habebant, & rei ſacræ operabantur, qui actus religionis Statio eſt nuncupatus eadem ſignificatione, qua Cicero ad Atticum expreſſit temporariam habitationem; vel etiam à ſtando vocabulum hoc deriuatum eſt, ſiquidem hæc loca frequentans populus ſtare conſueuerat. Stationes autem ad Lateranum in vſu hodierno ſunt pro diebus quos hic refero.

Pro Dominica prima Quadrageſimæ, quæ vetuſtiſſima eſt & cuius habetur mentio apud S. Gregorium Homilia decima ſexta. Dominica Palmarum. Feria Quinta in Cœna Domini. Sabbatho Sancto, & Sabbatho in Albis. Atque has pariter temporibus Diui Gregorij Magni, qui tum Homiliam vigeſimam ſecundam ad populum habuit in vſu fuiſſe conſtat. Feria tertia Rogationum, ſeù triduanarum Litaniarum antè Aſcenſionem Domini. Sabbatho ante Pentecoſtem. & quinto Idus Nouembris, nempe ipſo Anniuerſario die Dedicationis eiuſdem Baſilicæ ſollemni. Stationes autem veteres præcipuè fuerunt Sabbatho, quo Lectiones duodecim recitabantur, hoc eſt primum. Sabbatho primæ Hebdomadæ Quadrageſimæ. præterea in omnibus ieiunijs quatuor temporum. Feſto die Sancti Ioannis Euangeliſtæ, die Paſchatis Veſperi. Feria Secunda Paſchatis etiam Veſperi. Feria Quinta Octaua Paſchatis, qua Diuus Gregorius habuit Homiliam vigeſimam quintam. Dominica in Albis, qua idem D. Gregorius habuit Homiliam vigeſimam ſextam: Feria ſecunda Litaniarum in Anniuerſariis Celebritatibus S. Crucis. Sabbatho quatuor temporum Aduentus Domini, quo D. Gregorius habuit Homiliam vigeſimam.

In Litanijs verò Maioribus, hoc eſt feſto die S. Marci, olim intrà Baſilicam Lateranenſem collectio erat, quandoquidem in ea

V Pon-

Pontifices habitabant, qui intererant ſolemni eius diei ſupplicationi. Cæterum hæ Stationes, quas hactenus recenſuimus, permutatæ, atque ad Eccleſias alias tranſlatæ ſunt. Pleræque penitùs exoleuerunt, & ſunt Dominicæ Octauæ poſt Trinitatem Octauo Kal Iulii, decimo octauo Kal. Octobris in feſto Exaltationis S. Crucis quo die collectio fiebat ad Baſilicam S. Laurentii, ſeu ad Sancta Sanctorum, & Statio erat in Laterano. Decimo quinto Kal. Nouembris, ſeu in feſto Sancti Lucæ. Item feſtis diebus S. Andreæ, S. Silueſtri, S. Felicis, Sancti Sebaſtiani, Sanctæ Agnetis, S. Pancratii, SS. Proceſſi, & Martiniani, & S. Mammæ. Quod autem attinet ad Eccleſias Baſilicæ Lateranenſi ſubiectas, imprimis ad Eccleſiam SS. Petri, & Marcellini Martyrum Statio erat Dominica Tertia Aduentus, & quarto Nonas Iunii, quæ adhuc viget. Sabbatho ante Dominicam Palmarum Statio in Eccleſia Sancti Ioannis ante portam Latinam, licet antiquiſſima ſit, nunc etiam in viridi eſt, pariterque ad S. Agnetem duodecimo Kal. Februarii. Atque hæc fermè ſunt, quæ de Stationibus Baſilicæ Lateranenſis apud veteres auctores inueni.

De

De ſolemni ritu Pœnitentes recipiendi in Lateranenſe Baſilica.

CAPVT X.

QVEMADMODVM Baptiſmus ſolus humanæ naturæ primam in Adami peccato tempeſtatem paſſæ, portus eſt, ita poſt propriæ cuiuſque culpæ naufragium, cuius præſenti periculo propter reſiduum vitiorum fomitem nunquam expoſiti non ſumus, vnicam in pœnitentiæ remedio tabulam ſalutis habemus. Ritus autem, qui in eo publicè celebrando, quod veteribus Chriſtianis admodum ſolemne erat, obſeruabantur, ſicuti apud cæteras Ciuitates in Eccleſijs Matricibus, ita Romæ in Lateranenſe Baſilica præcipuè celebrabantur. Traduntur autem à Sozomeno in hæc verba.

Romæ perſpicuus eſt Pœnitentium locus, in quo ſtant mœſti, ac veluti lugentes. Peracta autem Liturgia, Myſterijs excluſi, quæ ad Initiatos pertinent, cum lamentatione, & planctu ſeſe ad terram proijciunt. Epiſcopus exaduerſo cum lacrymis accurrens, & ipſe ad pauimentum lamentando prouoluitur, & vniuerſa Eccleſiæ multitudo lacrymis effunditur. Poſtea Epiſcopus primus exſurgit, & iacentes erigit, & quatenus conuenit pro peccatis Pœnitentium facta oratione ex Eccleſia illos dimittit. Seorſum quiſque ſponte ſua, vel ieiunijs, vel balneorum, aut eduliorum abſtinentia, ſiue alijs modis, ſecundùm quod iuſſus eſt, ſeſe affligens, tempus expectat, quod Epiſcopus determinauit. Conſtituto autem die peccati mulcta, quaſi debito quodam remiſſa, populo in Eccleſia coniungitur.

Neque alibi, quàm in Lateranenſi Baſilica hæc fieri conſueuiſſe teſtatur D. Hieronymus hæc ſcribens in Epitaphio Fabiolæ.

Quis hoc crederet, vt poſt mortem ſecundi viri in ſemet reuerſa ſaccum indueret, & errorem publicè fateretur, & tota Vrbe ſpectante Romana ante diem Paſchæ in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in ordine Pœnitentium?

Ex his verò colligitur Pœnitentes Quadrageſimali etiam tempore ad Lateranenſem Baſilicam accedere, vt ſuorum piaculorum veniam ab Eccleſia conſequerentur fuiſſe ſolitos, & hoc pariter aſſerit D. Hieronymus in Epiſtola ad Oceanum.

In Eccleſia Romana peccator ſaccum induebat ante diem Paſchæ, in ordine Pœnitentium ſtabat, peccatum publicè fatebatur Epiſcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus.

Quibus quidem teſtimonijs paſſim à Scriptoribus afferri ſolitis libet ad adſtruendam huius cæremoniæ vetuſtatem adiicere mirificum Plutarchi locum in tractatu de Superſtitione, (cuius tunc vitii nomine ab ignaris Euangelicæ veritatis Gentilibus Chriſtiana Religio notabatur) vbi deſcribens nimio cœleſtis iræ timore correptos animos, hæc habet

ἔξω κάθηται σάκιον ἔχων ἤ, περιεζοσμένος ῥακέσι ῥυπαροῖς, πολλάκις δέ γυμνός ἐν πηλῷ καλινδούμενος ἐξαγορεύει τινάς ἁμαρτίας αὐτοῦ καὶ πλημμελίας. *Foris ſedet ſacco indutus, panniſque præcinctus ſordidis, ac ſæpè etiam nudus, inque cæno volutatus, peccata ſua quædam, & culpas enunciat.*

Quibus in verbis Chriſtiani hominis publicè Pœnitentis imago, etſi ab irridente, atque damnante talia, vt tunc ſapientibus huius mundi paſſim fides noſtra irridebatur, expræſſa ad viuum repreſentatur: Atque hæc ſunt, quæ de pœnitentibus olim in Lateranenſe Baſilica recepit ſoliti, paucis referre viſum eſt.

De

De Concilijs habitis in Baſilica Lateranenſe.

CAPVT XI.

NIHIL in Eccleſia grauioris vnquam rei ſine communi plurium Epiſcoporum ſententia geri veteri more, & iam inde ab Apoſtolorum temporibus tradito receptum eſt; exemploquè primi Hieroſolymitani Conuentus ab Apoſtolis habiti, nunquam eſt poſtea deſitum Synodos Epiſcoporum modò ſingulas per Prouincias, modò latius per Nationes, modo totius Chriſtianæ gentis Vniuerſalia Concilia celebrandi, quæ deſumpto è re vocabulo Oecumenica à deinde ſunt appellata. Nec ſolùm ad ſtabilienda fidei dogmata, & mores fidelium emendandos veteres illi Patres in vnum coibant; verum etiam ad ipſos interdum Epiſcopos, aliosquè viros in Eccleſia principes iudicandos, quoties grauioris alicuius, & in malum publicum erupturi criminis arguebantur. In variis quidem orbis terræ partibus, prout Eccleſiæ tulere tempora, cœtus huiuſmodi celebratos accepimus; ac Niceam, Epheſumquè, & Chalcedonem, quamquàm ſponte etiam ſua inclytas per omnia antiquitatis monumenta Ciuitates, multò tamen in ore famæ frequentiores effectas ob nomina, titulosque Conciliis ab ipſis inditos haud dubium eſt. Vrbem autem Romam, quomodò cœteras pietate, ita etiam Conciliorum numero, & amplitudine Vrbes omnes anteceſſiſſe conſtat propter aſſiduos huiuſmodi cœtus per omnem Chriſtianarum ætatum memoriam in ea celebratos, eorumquè auctoritate, & ſanctiſſimis inſtitutis Hæreſes profligatas; compoſita Schiſmata, moreſque hominum ordinatos, & cæteram rem Chriſtianam benè, & ſapienter adminiſtratam. Horum alia in Vaticano, alia in Exquiliis, alia aliis in locis Templorum Rel-

ligio-

ligione, ac Maieſtate inſignibus habita traduntur, pars autem multo maxima apud Lateranum titulum etiam, atque appellationem in tantum accepit, vt Synodus ibi coactæ, non Romanæ plerumque, ſed Lateranenſes dicantur. Idcirco etiam omnes eas, de qua um peculiari in Vrbe ſede mentionem apud auctores nullam habemus propiùs verò eſt habitas in Laterano; cum propter conſuetudinem eiuſmodi celebrationum ea in Eccleſia, quam vſquam alibi, frequentiorem, tum propter opportunitatem ædium Pontificiarum Lateranenſi Eccleſiæ, vt ſæpè diximus coniunctarum. Non alienum autem ab Inſtituti mei ratione futurum exiſtimo, ſi breuiter quarumdam magis inter cæteras inſignium huic meo labori mentionem attexam, quando verboſior tàm præclaræ materiæ tractatio nec exiguis huius argumenti terminis claudi poteſt, & multorum nobilium ingeniorum acumen, & vires non feliciter minus, quàm prolixè, & diligenter exercuit; Atque hic de Synodis in Eccleſia Lateranenſe celebratis peculiariter dicemus, nam de habitis in Patriarchio commodius libro quarto, qui totus rebus ad Patriarchium ſpectantibus ſepoſitus eſt, agètur.

Primus omnium Romanorum Pontificum, qui hos Epiſcoporum cœtus in Lateranum ad Baſilicam Sancti Saluatoris congregaret, Iulius huius nominis Primus eximiæ vir ſanctimoniæ fuit, qui ſui Pontificatus initio Synodum centum, & ſexdecim Epiſcoporum Romæ habuit, in eaquè ſuffragio ſuo Oecumenicam Nicenam Synodum confirmauit, iterumquè Arianam hæreſim iam aliàs damnatam Cenſura Excommunicationis proſcripſit. Feliciano, & Titiano Conſulibus, neque alia acta huius primæ Synodi Romanæ reperiuntur.

Deinde à Felice Secundo, qui Tertius nuncupatur celebrata eſt alia Synodus duodequadraginta Epiſcoporum, & Presbyterorum Romanæ Eccleſiæ, tertio Idus Martij anno Pontificatus eius Quinto, in qua de Lapſis reſtituendis actum eſt; ingens enim eius turbæ numerus Romam confluebat, vt remedium videlicet opportunum contractæ ea labe ægritudini inueniret.

Sub Agathone Primo alia in Laterano coacta Synodus eſt centum vigintiquinque Patrum, & Monothelitarum Hæreſis eſt damnata, nam prius contra eoſdem conuocauerat Epiſcopos cen-

centum, & quinque Martinus huius nominis Primus, qui Tudertinus patria, vir Apoſtolicæ virtutis, & ingentis animi, ſummæquè doctrinæ, ac prudentiæ inter Sanctos relatus eſt. Exiſtimant aliqui inter Synodos Oecumenicas hanc Synodum eſſe connumerandam, ſed verè fuit tantùm Vniuerſalis Occidentalibus Eccleſijs, & iis dumtaxat indicta. In hac eadem Synodo Martinus Pontifex intra Baſilicam Lateranenſem coram Patribus præfatus eſt contra capita hæreſis Monothelitanæ Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum, qui vnam in Chriſto eſſe voluntatem affirmabant, itaque omniumque Patrum ſuffragio damnati ſunt. In hac eadem Synodo plures Epiſtolas, ac libellos expôſitos conſtat. Epiſcopus Dorenſis, & Presbyter Hieroſolymitanus libellum obtulere, & iuſſi ſunt à Martino Conuentum ingredi; petebant verò nomine Orientalium, vt Hæretici, de quibus iam memini, damnarentur. Ad hæc idem Epiſcopus Dorenſis miſſum ſe ait à Sophronico Epiſcopo Hieroſolymorum ante annos duodecim ad Honorium Primum Pontificem, vt hæreſim tunc primùm enaſcentem auctoritate Apoſtolica reſtingueret, profitebatur enim ſolùm Romanum Pontificem ſacrarum Scripturarum clauem habere, hoc eſt poteſtatem aperiendi, declarandi, atque interpretandi, neque in oraculis ſuis eum falli poſſe. Vt autem pietatem Sophronii magis perſpicuam faceret, adiunxit Epiſcopus Dorenſis, eum ita commotum dininæ gloriæ deſiderio fuiſſe, vt ſe, qui eo tempore tantum erat Presbyter Hieroſolymis in Montem Caluariæ euocauerit atque in hunc modum ſit alloquutus.

Tu niſi quantocyus Romam ad Summum Pontificem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, aduolaueris, Diuini Iudicis ante Tribunal ſiſtendus hic eris in extremo mundi die damnandusquè, aduola ergo citiſſimè hinc, & votis omnibus condemnationem impiæ ſententiæ impetrabis. Ego verè Eccleſiam Hieroſolymitanam relinquere non poſſum tot expoſitam aduerſariorum, hoſtiumquè Saracenorum periculis, nam ſanguinem dare pro populis meis paratus ſum.

Quin etiam idem Epiſcopus omnium præterea Epiſcoporum Orientalium precibus fatigatus Romam peruenit, ad Honorium Pontificem adiuit, commouitque vehementer aduerſus Hæreticos illos, & grauiſſimas Epiſtolas retulit, quibus increpabantur, & ad errorem deponendum, quo vnam tantùm

in

in Chriſto eſſe voluntatem affirmabant, inuitabantur addita cenſurarum ſi dicto audientes eſſe nollent comminatione, ſed ſurdas ad hæc omnia contumacium Hæreticorum aures zelantiſſimus Diuinæ legis Antiſtites expertus eſt. Hanc Dorenſis Epiſcopi operam Eccleſiæ Catholicæ nauatam ad Honorium pertinere, ab eoque potiſſimum Pontifice Monothelitarum nouitatem damnatam auctorem habeo virum eruditionis, ac pietatis haud contemnendæ, qui euoluendorum omnimodæ vetuſtatis monumentorum, & copiam ſummam, & ſtudium cum habuiſſet; eaque in materia Eccleſiæ, poſteriſque inſeruiendi peculiarem à Sede Apoſtolica prouinciam cum accepiſſet, in ſuis id commentarijs ob mortem imaturam, haud editis reliquit; verum quia ſcriptorem ſatis idoneæ ad tantum teſtimonium antiquitatis nullum reperio; fidem in hac re noſtram interponere nequaquam conſentaneum Iudicaui; cœterum propter eximiam eius grauitatem, momentumq. mirificum ad redarguendos Honorij vituperatores, & Romanæ fidei iniquos in ea poſitum, neq; omnino præterire in animo fuit. Deinde ingreſſi Concilium Orientales Abbates, Pontifice annuente, ſupplicem libellum eidem Pontifici contra Epiſcopos Hæreticos Orientales dedere, in quo profitebantur nullam aliam eſſe veram fidem, niſi eam, quam in Vrbe Roma Romanus Pontifex Chriſti Vicarius, & totius Eccleſiæ Caput viſibile à Deo conſtitutus docet; eadem verò hic libellus, quæ iam inſinuaui de duabus voluntatibus, & de duabus naturis abſque confuſione in Chriſto vnitis continet: Quoniam autem ibelli ſupplices plurimi ad Martini Anteceſſores Romanos Pontifices deſtinati fuerant, quibus non dum fuerat reſcriptum, ſtatutum in ſynodo eſt, vt reſponſio ad eos daretur. Quare propoſitus fuit libellus Sergii Cypri Archiepiſcopi (hic alius erat à Sergio Hæretico), in cuius libelli principio appellatur Pontifex Vniuerſalis Papa, & firmamentum fidei Orthodoxæ; directus verò hic libellus eſt ad Theodorum Pontificem Maximum ante ſeptem annos, & hic vocatur in eo Doctor Orthodoxæ, atquæ immaculatæ fidei, atque adeò Sergius Archiepiſcopus paratum ſe profitetur pro eadem Orthodoxa fide, quam docet Romanus Pontifex, Martyrium etiam ſubire. Quæ profectò magni æſtimanda ſunt, ad redarguendos eos, qui minus obſequentes erga Pontifices Romanos, & erraſſe in fide Honorium perperàm aſſeruere. Poſt hæc lectæ fuerunt datæ ad Pontificem

Afri-

Africanorum Epiſcoporum, Cleri, & Chriſtianorum totius Africæ litteræ. Atque hic animaduertere eſt manifeſtum erga Romanam Eccleſiam cœli fauorem, dum ſcilicet videmus Pontificem eumdem, licèt ſub iniquiſſimo iugo Conſtantis Imperatoris hæretici gemeret, & inopia rerum omnium vrgeretur, eſſetquè adeò Romana Ciuitas veluti deſolata, & abſque Imperio dignitate, poteſtate, opibusquè ſpoliata; per omnes nihilominus Vrbes, omnesquè Prouincias, omnia Regna, reſponſa, atque oracula Catholicæ veritatis vnà cum ſolis radiis defferentem. Nullæ hic erant Academiæ, nulli Theologorum diſceptantium libri, ſed ſola Patrum, & Romanorum Pontificum volumina, ſoli Codices Conciliorum, & tamen reſponſa dabantur diuinitùs, quæ iure optimo ſapientiæ, & ſanctitatis oracula credebantur. Cur autem non alii Patriarchæ, ſi omnes æquales erant, adibantur? Egregii enimuerò teſtimonii loco Africanorum Epiſcoporum libellus eſt, quo poteſtas ſuprema, quam in terris habet Romanus Pontifex, aſſeritur; in eo ſiquidem ex auita traditione à Patribus eorum acceptum dicitur, nullam doctrinam eſſe ſolidam, ac tutam, niſi quam Romanus Pontifex tradiderit. In fine libelli cum petiiſſent damnationem hæreticorum in genua ſupplices procubuerunt iidem Epiſcopi Africani, & vt oſtenderent cupere ſe impensè Pontificis preces apud diuinum numen, ter dixerunt.

Ora pro nobis Sancte Beatiſſime Pater.

Lecti præterea ſunt libelli dati ad Conſtantem Imperatorem, qui terræ, marisquè Dominus in eis appellabatur. Ei verò ſupplicatum eſt, vt Hæreticos ſua deprimeret potentia, neue tot mortales in præceps ire pateretur. Libelli etiam lecti ſunt ſcripti ab Epiſcopis Africanis ad Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum teſtantibus, cum eo ſe non communicare, etenim palàm faciunt, modeſtè tamen, eum Hæreticum eſſe, atque hortantur, vt reſipiſcat. Ad hæc in eadem Synodo examinati publicè fuerunt Codices eorum, qui Hæretici habebantur, vt errores notarentur, à quibus oportuerat cauere, ex quo coniicitur morem Eccleſiæ antiquum in ſcriptoribus damnandis, & proſcribendis fuiſſe, vt errores priùs indicarent, in quos, ii erant

prolapſi, oſtenderentquè ipſorum ſenſus, vel ſcripturæ Sacræ, vel Romanorum Pontificum definitionibus aduerſari. Alia etiam multa conſtituta in Synodo fuerunt, neque hic eius ſanctiones refero, cum id præter inſtituti mei rationem ſit.

Gregorius Tertius Pontifex etiam ipſe in Laterano pro cultu aſſerendo ſacrarum Imaginum Conuentum quinque, & nonaginta Epiſcoporum habuit, & ex eorum ſententia hoc decreuit, Valafredo Stabone atteſtante; ſi quis poſthac veterem Catholicæ Eccleſiæ vſum contendens aduerſus eamdem, cultum ſacrarum Imaginum abrogarit, is verò extorris à corpore, & ſangnine D. N. Ieſu Chriſti, totius videlicet Eccleſiæ vnione ſit. Quare indignatione commotus Leo Iſauricus Imperator in hunc non ita pridem errorem lapſus, ingentem exercitum claſſe in Italiam miſit, vt Eccleſiæ bellum inſerret. Sed diuina prouidentia factum eſt, vt ſucceſſu tam impii eius conatus caruerint; etenim immiſſa claſſis, & ſi nauigatione proſpera vſq; in Hadriaticum ſinum vſa, ſæua ibi coorta tempeſtate fœdum naufragium fecit.

Præterea Concilium aliud coactum in Lateranenſi Baſilica traditur à Stephano Quarto, qui etiam Tertius dictus eſt. In eo concilio præſens ipſe cum aliquot Galliæ, pluribus verò Italiæ Epiſcopis, Conſtantinum, qui Apoſtolicam Sedem, dum adhuc laicus eſſet, inuaſerat, in medium templum prodire iuſſit, atque, vt abdicaret ſe, & Monaſticam vitam profiteretur adegit. Eius etiam acta omnia abrogauit, quæ in medio eiuſdem Baſilicæ combuſta ſunt, nouasquè ſanctiones potiſſimùm ſuper ſummorum Pontificum creatione promulgauit, ne ſcilicet, niſi Presbyteri, & Diaconi Cardinales, eligi in poſterum poſſent. Illud etiam in eo cœtu mirum dictu accidit, quod vniuerſus Populus ingemuit pœnitentia, propter ſacram communionem ex manu Conſtantini Sedis Romanæ Inuaſoris acceptam. Tunc prolatis, vti habetur ex Bibliothecario, Sacris Canonibus, eisque ritè diſcuſſis, ſententia lata eſt ab eodem Concilio, ne ſub anathematis cenſura vllus Laicorum, aut Ordinis cuiuſuis præſumeret ad Pontificatus apicem aſcendere, niſi per gradus antea Diaconus, aut Presbyter Cardinalis fuiſſet renunciatus. Cæterum alia plura, quæ correctione Canonica indigebant eodem in Concilio ſancita ſunt. Panuinius ad hæc refert.

fert Hadrianum Primum in Baſilica Conſtantiniana Synodum celebraſſe, cui Carolus Magnus interfuerit, eique tunc delatum ius confirmandi Romanos Pontifices affirmat, qui error ſanè maximus per plures alios Scriptores Catholicos vagatus, primum auctorem habuit Sigibertum hiſtoricum Schiſmaticum, atque hoſtem Romanorum Pontificum manifeſtum. Vt autem res comperta fiat, ſcire oportet Carolum Magnum comparatis ingentibus copijs in Italiam ad vendicandam à Longobardis Eccleſiam veniſſe. Deſiderius eorum Rex Sedem apud Ticinum habebat, qui Carolo aduentanti in Campo Vercellenſi cum inſtructa ſuorum acie obuius fuit, ibiquè collatis ſignis atrociſſimum prælium factum eſt, ſed partim cæſis, partim actis in fugam Longobardis, Rex, Ticinum regreſſus victori Carolo portas oppidi clauſas obiecit. Erat ea Ciuitas cum ingenio naturæ propter fluminis, qui eam præterfluit, opportunitatem, tum opere munitiſſima; quamobrem, cum non ita expedita eius capiendæ ratio videretur, relictis in obſidione copiis, ipſe cum primoribus ad Vrbem, pietatis, & religionis cauſa, profectus eſt, ac ſub ipſum Reſurrectionis Domini diem feſtum peruenit. Non videtur hoc loco prætermittendum, quin obiter redarguamus abſurdam Hæreticorum noſtri temporis coniecturam, quod ſcilicet, vt eſt auctor Anaſtaſius Bibliotecarius, poſt peractam inter Hadrianum Pontificem, & Carolum Regem mutuam ſalutationem, cæteraquè beneuolentiæ officia ſeruata, inter incedendum ad Confeſſionem Beati Petri, dexteram Pontificis manum Regem tenuiſſe conſtat, id enim nihil ad indicandam aliquam in Rege ſupra Pontificem præſtantiam pertinuiſſe ex antiquiſſimo Codice Cæremoniarum, qui extat in Vaticana Bibliotheca, perſpicuum eſt; ibi namque dexterum quidem Pontificis latus in huiuſmodi congreſſibus tegi ab Imperatore debere diſertè traditur, ita tamen vt adſumpto ad ſiniſtrum primò ex Cardinalibus Diaconis, medium inter duos, & ſic loco omnium potiſſimo Pontificem incedere contingat. Si verò vſu quandoquè veniat, vt vnico Rege, aut Imperatore Comite Romanus Pontifex incedat, dextero illum, adeoquè potior, latere collocari per ea quoque tempora fuiſſe ſolitum, haud dubio argumento ſunt Icones illæ opere vermiculato confectæ, quas nuper egregia Franciſci Cardinalis Barberini opera ab inte-

ritu imminenti vindicatas hodiequè videmus in Apſide peranti-qua Leoniani Triclinii apud Lateranum, ibi namque Leo Tertius Hadriani ſucceſſor cum eodem Rege Carolo Sancti Petri genibus aduoluti, hoc ipſo, quem diximus ordine, viſuntur; ipſas autem Iconas iiſdem illis temporibus confectas fuiſſe eleganter admodum, & eruditè probat ex eodem Bibliothecario Nicolaus Alemannus in ſua Diſſertatione Hiſtorica de Lateranenſibus parietinis reſtitutis, qua occaſione meminit etiam alterius Iconis, quam ſe vidiſſe teſtatur in Eccleſia Sanctæ Suſannæ ad Thermas Diocletianas cum Imaginibus perantiquis ipſius Leonis, Regisquè Caroli, Lateranenſibus illis vultu, habitu, operequè ſimillimis, vbi pariter dexterum latus Pontifex, Rex verò ſiniſtrum obtinere conſpiciuntur. Nec verba Bibliothecarii quicquam aduerſari videntur, non enim eius auctoris propoſitum eſt, quo Pontifex ordine, Rexquè Carolus inceſſerint eo loco docere; quoniam ſolius dexteræ Pontificis manus à Rege comprehenſæ mentionem facit, quo certè nihil de loco, ſituquè incedentium ſignificatur; ſed potiùs quædam cultus, & venerationis erga Pontificem imago refertur per eum Principem exhibita, quam eiuſmodi manus apprehenſione antiquioribus quoque ſæculis vſurpatam fuiſſe facilè quis intelligat ex celebri illo Taciti in fine lib. ſexti Annalium loco. Exceſſum enim Tiberij Principis traditurus hic auctor ſic habet.

Illic eum appropinquare ſupremis tali modo compertum. Erat Medicus arte inſignis nomine Charicles, non quidem regere valetudines Principis ſolitus, conſilij tamen copiam præbere; is veluti propria ad negocia digrediens, & per ſpeciem officij manum complexus, pulſum venarum attigit; neque fefellit, nam Tiberius incertum an offenſus, tantoquè magis iram premens inſtaurari epulas iubet, diſcubuitquè vltra ſolitum, quaſi honori abeuntis amici tribueret, Charicles tamen labi ſpiritum, nec vltra biduum duraturum Macroni affirmauit.

Quis autem non videt haud ſatis probabilem ei medico futuram fuiſſe attingendæ, & explorandæ venæ rationem; niſi mòs complectendæ dexteræ aduenientibus digredientibusquè vſitatus admodùm, vulgatusquè fuiſſet. Sed redeo ad Carolum, qui Roma ad Ticini obſidionem reuerſus poſt aliquot menſes Vrbe potitus Deſiderium Regem in Gallias captiuum

miſit;

miſit; atque hæc Anaſtaſius vtique veritati (cum ſit Scriptor ferè eorum temporum proximus) conſentanea narrat. At Sigebertus, qui poſt annos trecentos à Carolo Magno vixit, promat ſi poteſt ex quonam Auctore didicerit eundem Carolum capto Ticino in Vrbem veniſſe. Nimirum libido adulandi Henrico Imperatori excommunicato hominem in hoc tam palmare mendacium induxit; vt enim Henrico ius eligendi Pontifices tribuat, Carolum Magnum in Vrbem aduentaſſe, & Romæ à Pontifice Concilium centum, & quinquaginta Epiſcoporum coactum perperam aſſerit, ac ne Concilii quidem huiuſmodi auctorem vllum ſatis idoneum laudare poteſt, de quo nimirum ſoli adulatores Henrici Hæretici, atque Schiſmatici ſomnia ſibi vaniſſima comminiſcuntur. Deinde fingit Sigebertus hoc idem Concilium, annuente Hadriano Pontifice, facultatem conceſſiſſe Carolo Magno Pontificem eligendi, creandiquè Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, cum autem Sigebertus vixerit anno milleſimo centeſimo duodecimo, & illa contigerint anno ſæculi octaui ſeptuageſimo quarto, altum de his apud alios Scriptores omnes ſilentium eſt, vt ſanè dubium ſupereſſe nullum poſſit, merum hoc Sigeberti mendacium habendum eſſe: Carolum enim in Vrbem capto Ticino, vt iam dixi minime veniſse conſtat, neque vlla apud Scriptores mentio eiuſmodi Concilii reperitur, cum præſertim Eginhardus ipſe, qni Caroli Magni lateri ſemper, adhæſerat, in vita eiuſdem de ea Synodo minimè loquutus ſciatur; neque huic mendacio quicquam robori adijcit Gratianus, apud quem mentio eſt eius fictitiæ Synodi in Decreto diſt 63. c. Hadrianus 22. & ſeq. Gratianus enim non quidem Pontificis odio, ſed indagandæ veritatis more ſuo (quemadmodum ab eruditiſſimo Antonio Auguſtino ſexcentis in locis arguitur) non admodùm ſtudioſus, cum hæc apud Sigebertum legiſſet, totidem verbis excripſit; deinde ab Imperatoribus reuocatum hoc eius eligendorum Romanorum Pontificum nihilo ſtabiliori fundamento nixus affirmat. cæterum cum Sigeberti mendacio pugnant ipſamet Caroli Magni Decreta, quibus ille ſatis diſerte ſtatuit electionem Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum ad ſæculares Principes non ſpectare, immò vti rem omniū relligioſiſſimam à ſe omnino

nino alienam eſſe; tantum abeſt vt Romani Pontificis creationem ſuæ poteſtatis eſſe crediderit.

Præterea Nicolaus Primus celebrauit Concilium in Lateranenſi Baſilica, vt Conciliabulum Metenſe damnaret, deponeretque Archiepiſcopos, Colonienſem, ac Treuirenſem, nempe Theurgaudum, & Guntherum, qui ambo repudio Lotharii, conſenſerant, cum is pulſa Theutperga VValdradam concubinam iuſto ſibi matrimonio iungere conatus eſt; quin etiam in eadem Synodo declarauit irritas eorum Epiſcoporum ſententias, quos ille in partes ſuas traxerat, omneſque pariter à Sacerdotii honore ſubmouit.

Aliud etiam Concilium Nicolaus eodem anno habuit, in quo depoſitus eſt Zacharias Cardinalis Legatus, exutusquè omni eccleſiaſtica dignitate, quod Depoſitioni Ignatii Conſtantinopolitani Patriarchæ conſenſiſſet, & Photio in eius ſedem per ſcelus intruſo comunicaſſet: ſed & alia Concilia idem Nicolaus in Laterano habuit, de quibus inferiùs à me agetur, vbi de Lateranenſi Patriarchio tractabitur.

Sergium quoque Tertium in Baſilica Saluatoris Concilium celebraſſe generale cum omnibus Epiſcopis Occidentis (etſi etiam Epiſcopos Orientis inuitauerat, qui venire neglexerunt) Panuinius affirmat, eo autem tempore diſcordia inter Græcos, & Latinos excitata primùm eſt, ſed vt inquit ipſe, in apertum Schiſma nondum euaſit; quod ſi Romæ contigiſſet, haberi ſemper Concilia Oecumenica, Pontifices ea celebranda in Lateranenſi Baſilica tamquam in Principe Eccleſia totius Chriſtiani Orbis indixiſſent. Sed quid præcipuè in hac Synodo actum fuerit, neque Panuinius, neque alii Scriptores tradunt.

Item Ioannem Decimum, & Leonem Octauum hic celebraſſe Concilia idem Panuinius affirmat, at de primo nihil, quod in eo actum fuerit, commemorat. Leo verò Octauus inter Pontifices cum laicus eſſet numerandus non eſt, propterea quod contra Sanctorum Patrum Canones opera, & potentia Othonis Imperatoris Pontificatum inuaſit, voluitquè à Synodo Romæ coacta exauctorari, ac deponi legitimos Pontifices Ioannem Duodecimum, ac Benedictum Sextum, & pro iis ipſe homo Schiſmaticus interim ſedere auſus eſt. In hoc eius Concilia-

liabulo Panuinus ex Gratiano Hadriani primi fabulam de poteſtate eligendi ſummos Pontifices Carolo Magno, eiusquè ſucceſſoribus tradita, commemorat, Othonique confirmatam fuiſſe tradit à Leone, qui Pſeudopontifex, & Schiſmaticus tantùm dedecoris inferre Eccleſiæ Romanæ non potuit, imò, ſi mens eius diligentius expendatur, ne voluiſſe quidem dicendus eſt, namque ad priuilegium Hadriani ſe refert, quod commentitium, & ab omni vetuſtatis memoria confutatum eſse iam diximus. Propterea hoc ipſum Conciliabulum à Ioanne Duodecimo vero Pontifice, quem Romani facti pœnitentes, pulſo Leone, exceperunt, in Vaticana Baſilica coram S. R. E. Cardinalibus, & centum ampliùs diuerſarum Eccleſiarum Epiſcopis damnatum eſt. Sed Panuini errorem, qui Leonem fuiſſe legitimum Pontificem credidit, non eſt huius loci prolixius proſequi, at ſub Benedicto Octauo habitam Synodum fuiſse in Lateranenſe Baſilica, colligimus ex eo, quod tum euenit S. Simoni Armeno, quid autem id fuerit, ita recenſetur.

Cum multa Sanctorum corpora circumeundo viſitaſſet (Simon ſcilicet) *quem nullus in orando labor vix aliquando ſuperaret, tamdem ad Oratorium Sancti Ioannis Baptiſtæ Lateranenſis Eccleſiæ applicuit, vbi S. R. E. Pontificem Benedictum nomine cum multis Religioſis Epiſcopis Orthodoxis viris in congregata Synodo reſidere inuenit. In quo cum deuotè orationis moram, vt ei ſemper conſuetudo fuerat, diù in longum proſtraheret, vnus ex Clero nequitiæ, ac ſuperbiæ furore plenus Simonem virum Sanctum, & Catholicum omnibus in Synodo reſidentibus ore polluto infamauit Hæreticum.*

At quomodo agnitus, & quam honorificè, exceptus hic fuerit, dicam inferius, vbi de veneratione debita huic Baſilicæ tractabitur; illud in præſens dicere ſatis eſt nihil prorſus eorum, quæ in eo Concilio agitata ſunt, ad poſteritatis notitiam perueniſſe.

Leo quoque Nonus Concilium habuit in Laterano, vti Panuinius tradit, credimusquè in eo damnatum fuiſſe Berengarium. ſed & aliud Concilium ad mores Eccleſiaſticorum reformandos ab hoc Pontifice habitum conſtat.

Nicolaum etiam Secundum in Laterano item Concilium celebraſ-

braſſee onſtat ex eiuſdem Pontificis conſtitutione de electione Summi Pontificis tum edita. Interfuerunt Patres centum, & treſdecim, in eoquè poſtulatus ad dicendam cauſam eſt Berengarius noti, & ſæpe damnati nominis Hæreſiarcha. Adſuit ille quidem, & coram Synodo Codicem peruerſi dogmatis, (in quo aſſerebatur inter alia multa poſt Conſecrationem Sacramentum tantummodò, non etiam verum corpus, & verum ſanguinem Chriſti Domini in Hoſtia reperiri), coniecit in ignem, quem ſuis manibus excitauit, ſed morari diu nihilominus, quo minùs ad vomitum reuerteretur, impius Hæreſiarcha non potuit, damnatus autem eſt ſimul Ioannes Erigena Scotus eiuſdem Berengarij Prodromus, & contra Simoniacos Decreta grauiſsima, & ſaluberrima promulgata.

Stephanus quoque Nonus coegit Synodum in Laterano, & tum Mediolanenſis Eccleſia, quæ per faſtum, ac ſuperbiam ante annos ferme ducentos ab Eccleſia Romana, ſe ſubtraxerat, eidem obtemperare iterum cœpit, opera præcipuè Ildebrandi.

Alexander Secundus aliud in Laterano Concilium centum amplius Patrum aduerſus Simoniacos habuit; exorta autem tempeſtas ingens eſt in Eccleſia contra Nicolaum, & Alexandrum Secundos, quam maxime Cadaolus Parmenſis homo Simoniacus Honorius Secundus apellatus fouebat. Origo huius motus penes nonnullos ex Romanis primoribus fuit, qui dicto Pontificis tanquam legitimi Principis audientes eſſe recuſabant; & quaſi creandorum ius Imperatorum ipſi cum reliquo populo, non Pontifex, obtinerent ad Imperatorem Henricum adhuc puerum, ac ſub tutela Agnetis matris ob ſexus imbecillitatem comprimendis ſeditionibus imparis, coronam, ſceptrumquè, & chlamydem, ac reliqua Cæſarum inſignia cum appellatione Romani Patricii tranſmiſere, accuſata per Legatos Cardinalium confidentia, quaſi inſigni aduerſus Imperialem auctoritatem injuria auſi ſint iniuſſu Cæſaris, Romani Pontificis electionem celebrare. Itaque Cadaolus quidam oblata tunc à ſeditioſis Imperatoris auctoritate Pontifex renunciatus eſt, homo Simoniaca prauitate, ac ſordibus infamis. Cuius enormiſſimæ labis nomine à ſede deiectus poſteà, & in ordinem redactus eſt; Decreto Concilij ad hos motus compeſcendos indicti

con-

confirmatuſque Alexander II., qui duo inſuper Quadrageſimalia Concilia Italicorum Epiſcoporum reddendo priſtino Eccleſiæ nitori apud Lateranum celebrauit.

Diſſidia inter Gregorium Septimum Pontificem Romanum & Henricum IV. Imperatorem, cum ſummo Chriſtianæ Reipublicæ damno exorta, in cauſa etiam fuere, vt multi Epiſcopi Galliæ Ciſalpinæ Ticini conuenirent, ibique exauctorato, excomunicatoque temerarié, & irritè Gregorio, Gisbertum Rauennatem AntiſtitemRomanum Pontificem intruderent; Adſuit verò inter alios Thebaldus Archiepiſcopus Mediolanenſis, quem Henricus Cæſar eo conſilio Mediolanenſi Eccleſię præpoſuerat, vt haberet quem auctoritati Pontificiæ opponeret. At Gregorius Romæ in Lateranenſe Baſilica aduerſus impium illud Ticini Conciliabulum, veram & legitimam Synodum conuocauit, in qua excommunicati ſunt, & ſuſpenſi ab Epiſcopali munere Epiſcopi Rauennas, Mediolanenſis, Cremonenſis, & Taurinenſis, qui nimirum Henrico adhæſerant, ſed & cenſura excommunicationis lata ibi etiam eſt in Northmannos prædones, qui auſi fuerant Eccleſiæ Principatum inuadere. Multa ſanè grauia dictu, fœdaque Sanctiſſimus Pontifex ab impio illo Rege perpeſſus eſt, capta ſiquidem ab eo Vrbe, ſalutem ſuam Aelianæ Arcis (in qua ſe incluſerat) munitione tueri coactus eſt, Robertoquè Guiſcardo inſignis ea tempeſtate pietatis Principe per litteras, ſe commendare, vtque ad opem ſibi ferendam quanta poſſet adhibita celeritate adeſſet enixè contendere. Agebat per id tempus Robertus in Oriente, bellumquè contra Alexium Comnenum Imperatorem proſpera admodum fortuna adminiſtrabat, cum audito Pontificis periculo, intermiſſo Victoriæ, quam in manibus habebat, curſu, alteram exercitus partem Boëmundo filio reliquit, alteram claſſe longarum nauium per Ionium, ac Tyrrhenũ tranſportatam, atque ad oſtia Tyberina aduectam ad Vrbem admouit, exterritiſque improuiſo aduentu, ad hæc ollarum quarumdam (quas pice, ac ſulphure compleuerat) machinamento, Schiſmaticis, ipſoque ad turpem fugam coactoHenrico, ad Pontificem ſuis rebus iam diffidentem ſtrenuè penetrauit, ſumptoque ad eius arbitrium à Schiſmaticis Cardinalibus ſupplicio (quos inter cætera ſcelera vxores quoque duxiſſe fama eſt) libertatem Eccleſiæ, pacemque non ſine ingenti Vrbis cala-

lamitate reſtituit; conſtat enim quidquid Lateranum, & Pontem Aelium ædificiorum interiacebat continenti incendiorum, ac ruinæ clade proſtratum. Aliud Concilium in Baſilica S. Saluatoris celebrauit Gregorius Pontifex contra Berengarium Hæreſiarcham, cuius ſupra meminimus. Auditi etiam ſunt Rodulphi Regis Oratores queſti de Imperatore Henrico, quod nec loco vlli ſacro, nec vlli hominum conditioni parceret, religionem contemptui haberet, ac paſſim violaret Sacerdotes, immo Epiſcopos, & Archiepiſcopos caperet; vinculis traderet, ac trucidari etiam iuberet. Quocirca commoti plurimi ex Patribus in Concilio contra illius tyrannidem, gladium Apoſtolicum ſibi diſtringendum cenſuerunt; quamquam id præſtare diſtulit manſuetudo Eccleſiæ, dum interim daretur opera, vt Henricus aduenieus obſequij reuerentiam ſanctæ ſedi exhiberet. Is tamen contra iuſiurandum Concilium impedire conatus eſt, vt omnino excommunicationis remedio aduerſus contumacem vti neceſſe fuerit. Tertiam habuit Synodum in Lateranenſe Baſilica idem Gregorius Pont. in qua iterum ſententia excommunicationis aduerſus Henricum, pleroſquè eius Sectatores eſt lata. Adiectum præterea eſt quartum eiuſdem Gregorij ibidem celebratum Concilium, eiuſque auctoritate geſta omnia contra Henricum, & præcipuè cenſurarum animaduerſio confirmata.

Præterea in Lateranenſi Baſilica ſynodum eſſe coactam à Victore Secundo meminit Panuinius, acta tamen eius non refert, nec ego apud Scriptores vllos reperi. Celebratum præterea apud Lateranum Concilium ſub Paſchali ſecundo, in quo aſſedere illi Cardinales viginti tres, Archiepiſcopi duodecim; Epiſcopi centum & duodecim; & complures alij partim Abbates, partim viri doctiſſimi, vt nimirum ea omnia irrita redderet, quæ metu inductus Imperatori Henrico promiſerat, non enim ſponte, ſed coactus in eius ſententiam armorum violentia munitam iuerat, cum videlicet Cardinales, qui ab eo in vinculis habebantur, & Populus Romanus, cui Henricus bellum intulerat, vt quauis conditione cum illo pacem iniret inſtarent. Itaque vt tolleret graue detrimentum, quod intulerat Eccleſiæ vniuerſali Laico Principi inueſtituras peculiarium Eccleſiarum concedendo Concilium coegit, in eoque patefecit iuramentum, quo ſe aduerſus Henricum nunquam excommuni-

nicationis cenſura vſurum, aut de inueſtituris verba facturum erat pollicitus. Cæterum extortum vi, & metu priuilegium corrigendum, & abolendum eſſe à Sacra ſynodo pœnitens, atque ingemiſcens pronunciauit,& in genua prouolutus fidei profeſſionem fecit,ne ſuſpectus de Hæreſi à quopiam haberi poſſet.Immò vti refert Gotfridus Viterbienſis Notarius Imperialis,inſignia Pontificalia, mitram, & paludamentum depoſuit, ſe abdicare Pontificatu paratus ſi eo honore indignus à Concilio iudicaretur. Patres tamen Paſchalem ſacris indui rurſum veſtibus voluerunt,eo contenti,vt re diſcuſſa Priuilegium Paſchalis inualidum, ac prorſus nullius momenti eſſe declararetur,recitante ſententiam Concilij Geraldo Epiſcopo Encoliſmenſi, cum extortum vi fuiſset contra Spiritum Sanctum, & contra Eccleſiæ Canonicas inſtitutiones. Tum verò excitato igne in conſeſſu Patrum illud ipſum Priuilegium flammis datum eſt. Ipſe autem Henricus ob illatam eiuſmodi vim Romano Pontifici, & ob nefarios eius conatus extorquendi videlicet indigna Chriſtiano Pontifice diplomata, excommunicatus eſt cum omnibus aſseclis, qui tanti ſceleris conſcij, & participes fuerant, & publicè excommunicationis ſententia affixa eſt. Cæterum hæc à Patribus quidem acta in Concilio Lateranenſi fuerunt, Paſchalis Pontifex tamen religione interpoſiti iuramenti tactus,& ſi laturum ſe excommunicationis ſententiam in ipſum Henricum promiſit, tamen neque vt excommunicationi ſubſcriberet, neque vt Priuilegium de inueſtituris, abrogaret adduci vnquam potuit, quæ res in Eccleſia origo, & fomes diſſidiorum non leuium fuit, nam adhuc Pontifex amicitiam cum Henrico retinuit. Quamobrem Catholici Epiſcopi zelo Eccleſiaſticæ libertatis incenſi vehementer in Paſchalem exarſere. Immò Guido Epiſcopus Viennenſis, cui poſtea Pontific. Max. creato Calixto Secundo nomen fuit,Concilium Viennæ habuit, in quo ſuffragio Patrum definitum eſt inueſtituras Episcoporum dari a laicis citra labem Hæreſis non poſſe, ſuitque Henricus denuò excommunicatus. Igitur Paschalis per omne XV. annorum spatium, quos in vniuersalis Eccleſiæ adminiſtratione conſumpſit,cum se alijs in rebus ſtrenuum, magnique animi virum præſtaſſet, Tyranorumque potentia non ſemel contemptui habita inclytam

 apud

apud poſteros ſui nominis celebritatem effeciſſet, vbi opus virtute maximè fuerat, a ſolita animi firmitate, conſtantiaque defecit; paratis ſiquidem populis contumacis in Eccleſiæ perſecutione, ac profani principis obſequium exuere, nimiam antiquati iam, irritatique iuriſiurandi rationem ducere, ſumma cum omniũ admiratione perſeuerauit, tamq; præclaram vlciſcendæ ſimul aſſerendæque Eccleſiaſticæ dignitatis occaſionem elabi ſibi per ignauiam paſſus eſt; quamobrem nomen eius vbique malè audire cum cœpiſſet, ſiniſtrique Epiſcoporum ſermones meras Hæreſes eas conceſſiones manifeſtè vocãtium, ne auribus quidem ipſius parcerent; quo tàm indecoram à ſe, ac turpem notam amoliretur, rurſus Concilium ſibi aduocandum exiſtimauit, & apud frequentem Patrum cætum reddita rerum à ſe geſtarum, vt potuit ratione, omne illud de Inueſtituris Eccleſiarum à Laicis accipiendis Priuilegium penitus abrogauit. Nihilominus à Cardinalibus induci nunquam potuit, vt ore ſuo Henricum excommunicaret, & ſi Concilia ea omnia, in quibus Henricus fuerat anathemate percuſſus, haud dubie confirmauit, atque Lateranenſe Concilium abſoluit.

A Caliſto II. Pontifice Concilium Oecumenicum ex vniuerſo Orbe Chriſtiano conuocatum eſt in Lateranenſe Baſilica, & cum ingenti omnium Nationum frequentià celebratum; in eoquè compoſita ſunt cum Henrico Cæſare diſſidia, qui abdicauit ſe Inueſtituris Epiſcoporum. Conceſsit ei tamen, vt fierent eorundem electiones coram illo, ſine vi tamen, aut Simonia, quemadmodum refertur ex Priuilegio exarato in Pariete Patriarchij Lateranenſis. Sancitum eſt quoque, vt quæcumque pertineant ad Eccleſiam, ea illius iudicio permittantur, neque vlla res Eccleſiaſtica in Cæſaris foro diſcutiatur. Hunc demum finem accepit ardua illa inter ſedem Apoſtolicã & Henricum Imperatorẽ controuerſia, quę multis, & varijs vtriuſq; fortunæ caſibus illius æui mortales exercuit. In eodem Concilio damnatus eſt Burdinus Pſeudo pontifex qui Gregorij Octaui nomen ſibi arrogauerat, damnatæ inſuperſunt nuptiæ conſanguineorum, quæ ſine Apoſtolica facultate inirentur; interdictum eſt quoq; Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis matrimonium, ac prohibitum inſuper, ne arcium inſtar Eccleſiæ muniantur.

Inno-

Innocentius etiam II. Concilium in Laterano celebrauit, cui quadringenti amplius Epiſcopi interfuerunt, ſexcenti Abbates, ac Theologi, latæ verò ſunt in eo Eccleſiaſticæ leges, & ſingillatim proſcripti, damnatique Petrus de Bruis, atque Arnoldus Brixianus impia dogmata proſeminantes, videlicet infantibus non prodeſſe Baptiſmum, quaſi Eccleſiæ fides eis non ſuffragetur, quemadmodum adultis non prodeſt fides aliena, niſi fidem propriã ipſi eliciant. Ad hæc Cruces debere perfringi, atq; è medio tolli veluti triſtem Chriſti patientis memoriam renouantes: verum corpus, verumque Chriſti ſanguinem non eſſe in Euchariſtiæ Sacramento, ac demùm eleemoſinas, piaquè opera minimè defunctis prodeſſe. Quo circa Sacra Synodus eorum libros publicè comburi iuſſit.

Poſtquam Alexander III. Imperatoris Friderici Aenobarbi potentiam fregit, eumque ante pedes ſuos ſupplicem habuit, reddita Eccleſiæ pace, in Vrbem reuerſus eſt obuiam effuſo ſibi Senatu, Populoquè Romano, vt autem Eccleſiam ſtabiliret, & tolleret de medio ſemina ciuilium bellorum, atque etiam radicitùs Hæreſes extirparet, litteras circulares ad Præſules omnium Eccleſiarum dedit, & Oecumenicum Concilium indixit celebrandum Romæ in Conſtantiniana Baſilica, cui trecenti amplius Epiſcopi interuenerunt. Lata eſt verò in eo anathematis cenſura in Albienſes hæreticos affirmantes vetus Teſtamentum non eſſe admittendum; niſi in ijs, quæ à Chriſto Domino citantur, atque adeò refellentes Pontifices Romanos, & eorum Concilia, item aſſerentes geminos eſſe Deos, malum alterum, & alterum bonum, quem nempe bonum aiebant rerum inuiſibilium fuiſſe conditorem; malum verò condidiſſe Cœlum, & Terram, & omnium genus, negantes inſuper Baptiſmum infantibus prodeſſe aut Sacerdotes lethali piaculo obſtrictos Sacramentum Euchariſtiæ conficere, ac deteſtantes Eccleſias Deo dicatas, Confeſſionem pronunciantes, cuiuis hominum fieri ſatis eſſe. Porrò hæ omnes laborantis Eccleſiæ labes accuratè diſcuſſæ, ac deterſæ ſunt, & remedia opportuna præſcripta; præterea conſtitutum, ne rata in poſterum haberetur Romani Pontificis electio, cui duæ ex tribus partibus Cardinalium ſuffragatæ non ſint.

Innocentio III. Pontifice ſedente celebrata in Laterano eſt Oecumenica Synodus omnium maxima, qu vnquam habitę

tàm

tàm in Oriente , quàm in Occidente memorentur . Conſedere in hac Synodo quadringenti Epiſcopi, Archiepiſcopi ſeptuaginta , Abbates maximi duodecim ; Theologi vero Religioſi, & diuerſorum Ordinum Proceres octingenti . Adfuere peculiariter Patriarchæ duo Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus, ſicut etiam Legati Patriarchæ Alexandrini, & Patriarchæ Antiocheni atque Oratores inſuper tum vtriuſquè Cæſaris, tum Angliæ,Galliæ, Hiſpaniæ Hungariæ, Hieroſolymæ, Aragoniæ, Cipri Regum, & aliorum Supremorum Ducum ; ac Rerum publicarum . Habita verò hæc Synodus eſt in Conſtantiniana Baſilica coram Innocentio III.Summo Pontifice viro doctiſſimo, & prorſus eximio tam in Latina, quàm in Græca litteratura ; Primę eiuſdem Pontificis curę in hac Synodo fuerunt operam omnem adhibere,ad cōparandas quam fieri poſſet maximas Chriſtianorum copias, quibus Palæſtina conſecrata Religionis noſtræ incunabulis Regio, è Saracenorum tyrannide liberaretur;quamobrem veſtimenta dantium huic ſacræ militiæ nomen ſigno Crucis àPontificibus ornari,ipſoſque Cruce ſignatos milites appellari mos erat.Hos idem Pontifex Priuilegijs maximis eſt proſequutus,quò cæteri ad eius expeditionis decus capeſſendum exſtimularentur,quod certe magnopere Chriſtiani nominis intereſſe videbatur propter ſummum dedecus,quod ex ſacrariis illis auguſtiſsimis a barbaris & impuris hominibus contaminatis ad vniuerſam fidelium Eccleſiam redundabat . Definitum in hac eadem Synodo eſt verè in Sacrificio Miſſæ panem in Corpus Chriſti tranſubſtantiari, & approbata eſt hæc vox *Tranſubſtantiationis* . Damnati quoque ſunt Albienſes hæretici, qui ſenſim repullulare videbantur, ac præſcriptus Hæbræis peculiaris habitus, quo à Chriſtianis diſtinguerentur, ac fuit conſtitutum Sanctiſſimam Trinitatem non poſſe dici generantem lata inſuper ſunt præcepta de annua Sacramentali Confeſsione, & de Communione tempore Paſchatis . Sancitum, vt Euchariſtia perpetuò in templis pro miniſterio ægrorum haberetur . Canones Eccleſiaſtici plures pro morum emendatione promulgati . Epiſcopus Patauinus, qui ſe in ſua Diœceſi Papam eſſe vindicabat, ad ſaniorem mentem reductus eſt. Reges Caſtellæ inter ſe dimicantes inuicem reconciliati, & Rex Francorum vt vxorem repudiatam denuò admitteret inductus eſt . Caſtellę vero Rex anathe-

mate percuſſus, quod fratris filiæ coniugio ſe polluiſſet, multaq; alia ſalubriter ſancita ſunt.

Bonifacius Octauus ex vniuerſo Chriſtiano Orbe in Lateranum conuocauerat Oecumenicam Synodum, vt iniurias ſibi, & Apoſtolicæ Sedi à Francorum Rege illatas vlciſceretur; Verum ſequuta breui eius mors, omnem eorum conſiliorum molem diſcuſſit.

Nouiſſimè celebrata eſt Auorum noſtrorum memoria in Baſilica Lateranenſi generalis, & Oecumenica Synodus ſub Iulio II. & Leone X Summis Pontificibus: in qua cùm alia multa ſalubriter, & ex dignitate Chriſtiani nominis geſta ſunt, tum illud imprimis, quod eius auctoritate occurſum eſt fœdiſſimo ſchiſmati, quo pene vniuerſi Eccleſiæ filij aduerſus Romanum Pontificem inſurrexiſſe ſunt viſi. In cauſa fuere diſſenſiones, atque odia, quibus Iulii Secundi, & Ludouici duodecimi Gallorum Regis animos diuerſa in Venetos, & Alfonſum Areſtinum Ferrarienſium Ducem ſtudia, iræque commiſerant, ſtetitque motus ille Chriſtianis rebus multò omnium, ſed præcipuè Italico ſanguine, qui pleriſque aliis, maxime verò cruento illo ad Rauennam prælio effuſus eſt, non alias alieno magis Reipublicæ tempore, maiorique Chriſtianæ ſecuritatis diſpendio, propterea quod occupatis per ea certamina noſtrorum Principum armis, opportunum otium nactus eſt Imperator Turcarum Selymus acceſſione validiſſimarum Prouinciarum Ægypti, ac Syriæ ſuas in Oriente res conſtituendi, opeſque Imperii deſtructa Soldanorum potentia in perpetuum firmandi, quibus deinde ſolerter vſus eius filius Solymannus orſus ab Inſula Rhodo, non ſolum reliquias Greciæ, pænè omnes in ſuā poteſtatem redegit, ſed Hungarorum quoque imperium, Ottomanicarum virium antiquum æmulum varijs affectum primo cladibus tandem euertit: Auſtriaquè, ac ipſa etiam Italia validiſſimis opibus tentata Chriſtianam gentem vniuerſam in extremum exitii, & ſeruitutis diſcrimen adduxit. Cæterum tàm ſanctam ea tempeſtate, ac venerabilem apud omnes gentes Romanæ Eccleſiæ auctoritatem fuiſſe conſtat, vt auerſa omnium populorum ſtudia ab Impio Conciliabuli aduerſus Iulium inſtituti conatu Ludouicus, & cæteri eius Concilii auctores experti dicantur, ſed multò maximè Epiſcoporum, quorum pauciſſimi reperti ſunt qui tanto se ſcelere obſtringere vellent, Atq; ij

a Ci-

à Ciuitatibus omnibus quas eo Côuentui celebrando alias atq;alias adiere,deriſi,exſibilatique , ac execrabiles habiti Pontificiã poteſtatem in Legato Apoſtolico Ioanne Medice Cardinali captiuo licet, & ſquallido latè præfulgentem oculis vsurpare coacti sunt; cum ad eum certatim Mediolanenſes apud quos cuſtodiebatur, omni ſæcularis poteſtatis reſpectu poſt habito , confluerent , ſeque à piaculis ob infauſtam in eorum Ciuitate Conciliabuli moram contractis exſolui precarentur , & Lateranenſe quidem Concilium feliciſſimo , & quem prorſus optauerant omnes boni , exitu concluſum eſt, pace videlicet Eccleſiæ , Schiſmaticorum Pœnitentia, & Pisani Conciliabuli damnatione,quibus adiecta sunt prę- terea plurima de fide, ac diſciplina , de quibus accuratius diſſerere huius loci non eſt.

De ritu conſecrandi in Eccleſia Lateranenſi Summi Pontificis.

CAP. XII.

ROMANO Pontifice vita functo more vetuſtiſſimo receptum erat, vt Cardinales omnes ad funus celebrandum in Lateranenſem Eccleſiam conuenirent. Antè vero quam vſus Conclauis Gregorio decimo primùm excogitatus induceretur, poſt abſolutas exequias, digreſſi ad tertium diem reuertebantur, & inuocato ſancti Spiritus per ſolemne ſacrificium auxilio pro felici futuræ electionis ſucceſſu, creando Pontifici operam dabant, eaquè antiquitus expedita plerumque, nec admodum magni negotij res erat, præferentibus ſe ſe inuicem Sanctiſſimis Viris, & facili virtutis inter ſinceros & aſſiduos eius cultores æſtimatione, atque in vnum, quem vitæ Sanctitudo, & prudentiæ dignitas ſupra cæteros efferebat conſenſu. Peracta electione, Prior Diaconorum Cardinalium nouum Pontificem veſte complumata operiebat, nomenque, quo ille in poſterum vti vellet, enunciabat. Deindè Cardinales duo cæteris digniores latera eius vtrimque tegentes deducebant ad Altare, vbi pronus ad terram Diuinum adorabat numen; Primicerio interim, & Schola Cantorum, ipſiſque Cardinalibus in Hymni (*Te Deum*) Cantum, & modulationem effuſis. Eaque abſoluta à Cardinalibus deducebatur ad Sedem marmoream poſt Altare ſub Apſide ſitam, in eaquè aſſidens nouus Pontifex omnes Cardinales, & Epiſcopos, & nonnullos alios ad pedis, atque ad oſculum pacis admittebat, inde ſurgens à Cardinalibus per porticum deducebatur ad aliam Sedem, quam ſtercorariam appellant quæ olim extabat ante porticum Baſilicæ Patriarchalis,

nunc verò in eiuſdem Baſilicæ clauſtris repoſitam videmus. in ea collocabatur perſonante interea choro cantorum Sacræ ſcripturæ verſiculum. *Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat*. Quo virtus humilitatis, à quà tanti futuri principatus exordia ſumenda erant, nouo Pontifici inſinuabatur; Paulum in ea ſede moratus de gremio Camerarij accipiebat denarios ternos, & eos in populum proijciebat dicens. *Argentum, & aurum non eſt mihi ad delectationem, quod autem habeo, hoc tibi do*. Deinde Prior Baſilicæ Lateranenſis, & vnus ex Cardinalibus, vel vnus etiam ex Canonicis eiuſdem Baſilicæ Pontificem medium accipiebant, & dum ita per porticum procederent, iuxta Baſilicam ipſam acclamabatur, nomenque recens aſſumptum Pontificis, & electio de ipſo celebrata pronuntiabatur; Sic autem deducebatur vſque ad Baſilicam Sancti Silueſtri, vbi ante Baſilicam ipſam (ſuper cuius arcum ſacra Imago, ab impio Iudæo aliquando in fronte percuſſa ſanguinem miſerat) idem electus Pontifex aſſidebat in ſede porphyretica, ibique obuiam ei denuò factus Prior Baſilicæ ferulam in regiminis, & correctionis ſignum porrigebat, & claues tradebat tùm Baſilicæ, tum Sacri Lateranenſis Palatij, & hæ ſymbolum erant poteſtatis, quam Deus Petro Apoſtolorum Principi contulerat claudendi, & aperiendi, ligandi, atque ſoluendi, & cuius poſt eum ſucceſſores omnes Romani Pontifices erant futuri. Exinde ferulam, & claues manu perferens, ad aliam Sedem migrabat priori ſimilem, in eaque paululum commoratus, ferulam, & claues reddebat Priori, à quo ſuccingebatur cingulo holoſerico rubro, & crumena eiuſdem coloris, & materiæ, in qua duodecim precioſi lapides, & muſci fruſtulum erant; atque hæc Pontifici tribuere ſolitum Priorem Sancti Laurentij Lateranenſis Baſilicæ ſcribit Panuinius in his, quæ tradit de eadem Baſilica. & conſeſſio quidem in duabus ſedibus Primatum, quem à Petro, & prædicationis euangelicæ virtutem, quam Paulo Apoſtolis acciperet, deſignabat; cingulo vero continentia, & caſtitas notabatur, crumena autem gazophylacium, quo pauperes Chriſti erant nutriendi, & duodecim ſigillis precioſorum lapidum exprimebatur poteſtas duodecim Apoſtolorum, quæ vniuerſa in Pontifice, & in Eccleſia Romana reperitur: muſcus, denique odorem bonorum operum indicabat iuxta illud. *Chriſti bonus odor*

ſumus

ſumus Deo. In hac eadem Sede electus Pontifex Palatij Miniſtros ad pedes, & ad oſculum pacis admittebat, ibiquè de manu Camerarij argenteos nummos valoris decem ſolidorum Prouiſinorum accipiebat, ac ter in populum eos diſpergens, toties iterabat illud prophetæ. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*. De his vero ternis ſedibus marmoreis, in quibus nouus Pontifex ad initia ſuæ inaugurationis apud Lateranenſem Baſilicam ſedebat, Robertus Cardinalis Bellarminus vir eruditiſſimus, idemque ſanctiſſimus prolixum habet Tractatum in ſuo opere de Romano Pontifice, explodens, & commentitiam eſſe oſtendens de Ioannę Papiſſæ Pontificatu fabulam, & de inducto vſu ſtercorariæ Sedis ad explorandum ſexum eorum, qui deinceps Pontifices Romani eligerentur. His peractis per Porticum ducebatur Pontifex ad Sacras Apoſtolorum Petri, & Pauli Iconas, quæ (vt priſca ritualia memorant) mari aduectæ Romam ſunt nullo ductore, aut gubernatore, quarum cum nulla extent in præſens monumenta, veriſimile eſt, vel Baſilicæ, Palatijque incendiis conſumptas, vel loco motas; atque extra Vrbem alio exportatas. Deinde idem Pontifex Baſilicam ingrediens Sancti Laurentij ante Altare, & ante Iconem Sancti Saluatoris orationi aliquantisper vacabat, ac demùm ſe conferens in Conclaue Pontificium, ibi ſe quieti aliquantulum dabat, donec menſæ accumberetur. Ad hæc Dominico die proximè conſequenti electus Pontifex cum omnibus Sacri Palatii Ordinibus, ac Primoribus ciuitatis Vaticanam Baſilicam adibat, ibiq; ante Confeſſionem S. Petri ab Epiſcopo Oſtienſi, cuius peculiare munus hoc eſt, & ab alijs Curiæ Epiſcopis ritu ſolemni conſecrabatur, quod ſi abeſſet fortè Oſtienſis Epiſcopus conſecrationi, loco eius Archipresbyterum eiuſdē Eccleſiæ, ſeù Veliternum intereſſe mos erat. Qua functione perſoluta Prior Sancti Laurentij Lateranenſis Baſilicæ palliū collocabat ſuper Altare, & ſtatim Archidiaconus, & ſecundus Diaconus illud Pontifici in manus tradebant, ſoluſquè Archidiaconus ita loquebatur. *Accipe pallium plenitudinem Pontificalis Officij ad honorem Omnipotentis Dei, &glorioſiſſimæ Virginis eius Genitricis, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*. Deinde Archidiaconus, & Prior Baſilicæ pallio eodem Pontificem ornabant ſpinulis aureis tribus intromiſſis, ſcilicet ante, & retro à ſiniſtro latere, erantque in earum apice

Lapilli Hiacynthini tres,quo ornatu Pontifex ad Altare celebraturus procedebat. Laudes verò ab Archidiacono, à Cardinalibus, à Subdiaconis, à Scriniarijs, itemque à Diaconis, & Subdiaconis tùm Græcis, tum Latinis; cæteraquè alia ſolemnia, iuxta conſuetudinem feriæ ſecundæ Paſchatis peragebantur. Sciendum vero eſt tunc in Cardinales omnes, & Diaconos Græcos, & Primicerium cum Schola Cantorum, & Præfectum, & Senatores, & Iudices, & Scriniarios, & Aduocatos, & Præfectos Nauales, & Scholam Crucium, & Cappellanos diſtribui ſolitum Presbyterium ordine, ac ritu, quo Paſchatis die diſtribuitur, qua de re à nobis agetur accuratius libro huius operis quarto Subdiaconis autem ſingulis tribuebant ſingulos Melequinos, quod in ſolemnitatibus alijs tamen non fiebat, in quibus videlicet duodecim Melequini ſolùm vniuerſis,quocumque eſſent numero, loco Presbyterij diſtribuebantur. Vniuerſæ item Scholæ Palatii, ac Romanis Clericis, vt dicebatur,pro Thurribulis, Iudæis pro repræſentatione legis, laicis Romanis pro arcuum erectione Presbyterium illud dabatur, quod dari conſueuerat in Pontificis coronatione, Pincernæ inſuper, & Mareſcallo, præter eius diei menſam; certa etiam pecuniæ ſumma tribuebatur, & quia capita ſuilla aliis in conuiuiis apponi eis ſolebant, vinumquè generoſum propinari Clarettũ, quod appellant, hæc in iis epulis non miniſtrabantur; familiares quoque Pontificis, aliiquè ex Curia Presbyterium capiebant iuxta libitum Camerarii. Hæc autem quæ diximus, fiebant, cum Pontifex renunciabatur in Laterano; quod ſi electionem peragi contingeret apud Vaticanum,ſtatim poſt adſumptum nouum nomen, electus Pontifex à duobus Cardinalibus ad Altare deducebatur, vbi humi procumbens adoratione, ac prece ſecreta peracta in Sede collocabatur poſt ipſum Altare, ibidemque tum Cardinales Epiſcopos, tum alios, quos viſum eſſet, ad pedes, & inde ad pacis oſculum admittebat; Cantoribus inter hæc omnia ſolemnè gratiarum actionis carmen alacriter, ac deuotè iterantibus. Die autem Dominico proximè conſequenti ibidem conſecrabatur, Sacriſquè myſterii, quæ iam enumerauimus, perfunctus, Coronatuſque, more maiorum ad Lateranenſe Palatium ſe conferebat. Verùm (antequam illius limen intraret) deſcendebat ad Sedem ſtercorariam,terque in ea pro more conſidens, vt diximus, pecuniam in populum diſtribuens

à Car-

à Cardinalibus per Porticum in Baſilicam Lateranenſem introducebatur, ibique poſt Altare ſolium conſcendens, eiuſdem Baſilicæ Canonicos tum ad pedes, tum ad pacis oſculum excipiebat. Quibus perſoluti, per Palatium ibat ad Sedes ante Oratorium Sancti Siluestri ſitas, & tum ea omnia, de quibus iam egimus expediebantur. Quod ſi forte Romanum Pontificem extra Vrbem creari, conſecrariue contingeret. Tunc accedenti Romam primum, & Lateranenſem portam intrare volenti obuii fiebant eamdem extra Portam Clerici vniuerſi ſacris induti veſtibus cum Crucis Labaro, & Thurribulis ordine Lateranenſem Eccleſiam intrantes, omneſquè ritus, quos modo indicauimus, obſeruabant, excepto quod cum deſcendiſſet ad Sedem ſtercorariam, poſtea per Porticum Baſilicam Lateranenſem ingrediens non ſtatim ad Altare, vel ad ſolium ibat, ſed prius in Choro, qui erat in media Baſilica poſt Hymnum. *Te Deum*, enunciabat verſiculum. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini*, & Benedictionem impertiens dicebat - *Benedictio Dei omnipotentis deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper*. Iiſque ritè peractis ad Altare ſe conferebat, vbi prouolutus in genua aliquandiù orabat, & poſtmodum aſcendens Pontificium ſolium, in eo tum ad pedes, tum ad oſculnm pacis Baſilicæ Canonicos admittebat. Quod ſi Pontifex conſecratus conferret ſe ad Eccleſiam Sancti Petri, eadem fiebant, quæ in Lateranenſe Baſilica, excepto quod Canonicos Sancti Petri ad pedes tantùm, & in Porticu quidem excipiebat, neque ibat ad ſtercorariam Sedem, quod ea ibi non adeſt. Quapropter poſtero die poſt abſolutum Miſſæ ſacrificium, abſque Tiara ad Palatium Lateranenſe proficiſcebatur: & ante ingreſſum Baſilicæ ſtercorariam Sedem adibat ordine & ritibus ſupra narratis. Illud tamen animaduertendum eſt Presbyterium Scholarum diſtribui ea ratione, qua explicauimus, haud conſueuiſſe, quoties extra Vrbem Pontificem conſecrari contingeret; tum enim media pars dumtaxat eiuſdem Presbyterij Iudæis tribuebatur, pars verò integra Clericis Romanis, & Pontificis addexteratoribus (Hi verò erant Iudices ab vtroque latere incedentem Pontificem comitantes) ſiue is conſecratus, ſiue ante conſecrationem accederet, ijdemque à Porta Ciuitatis ei obſequebantur vſque ad locum, vbi deſcendebat, hoc ſiue ad Baſilicam Lateranenſem, ſiue ad Baſilicam Sancti Petri, & huius obſequij

gra-

gratia ſolidos quadraginta æqualiter inter ſe diuidendos accipiebant; Scholæ autem addexteratorum dabantur ſolidi viginti.

Memorabilia quædam peracta in Lateranenſi Baſilica, deque eiuſdem veneratione.

CAP. XIII.

QVONIAM De Concilijs celebratis in Lateranenſi Baſilica, & de alijs Eccleſiaſticis ritibus inſignioribus in ea obiri ſolitis iam diſſeruimus, quædam alia in medium afferemus, quæ in eadem Baſilica euenere, memoratu præ cæteris digniora. In primis habemus pleroſque, eoſque ſanctiſſimos Pontifices hinc electos, ad Apoſtolicum trhonum populi Romani humeris deportatos. Vnde Polidorus Virgilius in volumine ſuo de rerum inuentoribus hæc habet.

Item Romanus Pontifex humeris hominum circumfertur, hoc inde natum quidam arbitrantur, quod Stephanus Secundus, vt populo Romano ob inſignes animi virtutes, vitæque integritatem chariſſimus, ſtatim factus Pontifex humeris omnium præ gaudio exultantium fuerit ſublatus, atque in ædem Seruatoris ad Lateranum deportatus. Habemus præterea poſt Liberij Papæ obitum in hac Baſilica conſecratum fuiſſe Damaſum Sanctiſſimum Pontificem, & hoc Panuinius teſtatur, In ſchiſmate inter Damaſum Presbyterum, & Vrſicinum Diaconum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ poſt Liberij Papæ obitum, Damaſus Comitijs in Lucinis habitis, quum electus eſſet, in Lateranenſi Baſilica conſecratus eſt, Vrſicinus verò in Baſilica Iulij creatus, & conſecratus eſt. Symmachus autem Vrbis Præfectus in Schiſmate orto inter Eulalium

Archi-

Archidiaconum, & Bonifacium Presbyterum poſt Zoſimi Papæ obitum ſic meminit de Eccleſia Lateranenſi ad Imperatorem Honorium ſcribens.

Eulalius Archidiaconus ad Eccleſiam Lateranenſem de exequijs demortui Epiſcopi à populo, & Clericis adductus, ibi per triduum cum maxima multitudine, & cum pluribus Sacerdotibus commoratus eſt, vt expectaretur dies conſuetus, quo poſſet ſolemniter ordinari.

Presbyteri tamen Romanæ Eccleſiæ ita viciſſim ad Imperatorem eumdem veritatis teſtandæ gratia ſcripſere.

Poſt abſceſſum Sancti Zoſimi Papæ, plures in vnum conuenimus Sacerdotes, vt de conſtituendo Succeſſore communi iudicio tractaremus, ſed quoniam Lateranenſem Eccleſiam obſtructis pœne omnibus ingreſſibus Archidiaconus Eulalius contemptis impiè Summi Sacerdotis exequijs, Diaconibus, & pauciſſimis Presbyteris, ac multitudine turbatæ plebis obſederat, altero die ad Eccleſiam eamdem, vbi prius ab omnibus fuerat conſtitutum, habita omnium collatione properauimus. Ibique participato cum Chriſtiana plebe conſilio Bonifacium veterem Presbyterum in lege Domini doctiſſimum, ac moribus comprobatum, quem Deus iuſſit, inuitum elegimus, & acclamatione totius populi, & conſenſu melioris partis Ciuitatis conſecrauimus, item & Bibliothecarius. *Bonifacius natione Romanus ex Patre Iocundo presbytero ſedit annos tres, menſes octo, dies ſeptem, hic ſub contentione cum Eulalio eſt ordinatus vno die, & fuit diſſenſio in Clero, & populo menſes ſeptem, dies quindecim. Eulalius ordinatus in Baſilica Conſtantiniana, Bonifacius verò in Baſilica Iulij. Vtrique Imperatoris iuſſu Vrbe pulſi ſunt. Veniente etiam die Paſchæ præſumpſit Eulalius, quod ordinatus fuiſſet in Baſitica Conſtantiniana, & introiuit in Vrbem, & Baptizauit, & celebrauit Paſcha. Quare Imperatoris iuſſu eo eiecto, reuocatus eſt, & Pontifex factus Bonifacius.*

De Schiſmate inter Symmachum, & Laurentium Bibliothecarius cum commemoratione Baſilicæ Lateranenſis hæc habet.

Symmachus Sardus Fortunati filius ſedit annos quindecim, menſes ſex, dies viginti ſex, qui ſub contentione ordinatus eſt vno die cum Laurentio; ipſe quidem in Baſilica Conſtantiniana, Laurentius verò in Baſilica Beatæ Mariæ; ex qua cauſa Clerus, & Senatus

natus eſt diuiſus , cæterum pulſo Laurentio Symmachus Sedis Apoſtolicæ Præſul fuit .

Sed & Anaſtaſius hæc præfatur de Schiſmate inter Bonifacium , & Dioſcorum .

Bonifacius primus Sigeuulties filius ſedit annos duos, dies ſexdecim &c. Hic cum Dioſcoro ordinatus eſt ſub contentione. Dioſcorus in Baſilica Conſtantiniana , Bonifacius in Baſilica Iulij , fuitquè diſſenſio in Clero , populo , & Senatu , ſed mortuo Dioſcoro res compoſitæ ſunt .

Idem prætterea Bibliothecarius in vita Sancti Martini tradit Theodorum Calliopam Exarchum ſimulata itineris cauſa Romam veniſse, & iuſſu Heraclii Conſtantis Imperatoris, ſanctum Pontificem in Conſtantiniana Baſilica à ſatellitibus iuſsiſſe comprehendi,cumque fingeret venerandi eius cauſa eo ſe contuliſſe, oneratum catenis primum in cuſtodiam, deinde Conſtantinopolim ad impium Imperatorem miſiſſe ; qua in vrbe , ac deinde in exilio tàm variis, multiſquè ærumnis Vir ille ſanctiſsimus eſt conflictatus , vt ad Martyris dignitatem iure perueniſſe iudicatus ab Eccleſia ſit, qnamuis citra omnem Tyranni violentiam miti omnino vitæ exitu defunctus eſſe ſciatur . Extat eius Epiſtola ad Eleutherium indè data cum admodum luculenta totius rei geſtæ narratione , quàm hic propterea totidem verbis attexere non incongruum futurum exiſtimauimus .

Epistola Sancti Martini Ad Elevtherivm .

Noſſe voluit beata veſtra dilectio qualiter de ſede Sancti Petri Apoſtoli , ſicut vnus paſſer ſolitarius ab ædificio raptus fuerim ; & miror, quia ſuper hoc me inquirere voluiſti , cum prædixerit Dominus noſter de nequam temporibus iſtis diſcipulis ſuis . Quia in diebus illis erit tribulatio,qualis non fuit ab origine mundi vſque nunc &c. Hoc mihi expedire arbitratus , quo alijs malis mihi properantibus exultem potiùs , quàm fleam . Igitur vt ſcias qualiter ſublatus , & ductus ſum à Romana Vrbe , nihil falſum audies . Accidentium omnia præſciui per multum temporis , quæ meditabantur inimici veritatis . Et ſeparato me ipſo cum omni Clero meo , priuatus manſi in Eccleſia Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ Cognominatur

tur conſtantiniana, & ſtabilita eſt à bon. mem. Conſtantino Imperatore, & eſt iuxta Epiſcopium. Illic omnes nos ſeorſum morabamur à die Sabbati, quando Calliopas cum Rauennate exercitu, & Theodoro cubiculario introiuit in Ciuitatem. Miſi ergo obuiam ei quoſdam ex Clero, quibus ſuſceptis in Palatio, æſtimauit & me cum eis adeſſe; cum autem quæſiſſet, & non inueniſſet, dixit primis Cleri. Quia Nos eum volumus adorare, ſed cras, quod eſt Dominicæ dies, obuij erimus, & ſalutabimus eum, quia hodie non ſufficimus. Porrò Dominico die dictis Miſſis in dicta Sancta Dei Eccleſia ſuſpicatus ille turbam multam colligi propter diem, nunciauit hoc: Quia multum fatigati ſumus ex itinere non poſſumus occurrere hodie, ſed cras omnibus modis occurremus, & adorabimus Sanctitatem Veſtram. Ego verò ipſe grauiter infirmus eram ab Octobris menſe vſque ad prædictum tempus ideſt ad 16. Kal. Iulias; ergo feria ſecunda diluculo miſit Chartularium ſuum, & quoſdam ex obſequio ſuo dicens. Quia arma præparaſti, & armatos habes intus, & multitudinem lapidum collegiſti; & hoc neceſſarium non eſt, nec aliquid tale fieri permittas. Cumquè præſens audiſſem hæc, neceſſarium magis non habui, qualiter hos certos reddere, quàm mittere eos giraturos per totum Epiſcopium, & ſi arma, vel lapidem vidiſſent, ipſi teſtimonium perhiberent. Cum autem ijſſent, & nihil inueniſſent, ſubintuli eis verba, quod nunquam aliter aliquando, ſed ſemper per circumplexionem, & fallacem accuſationem incederent, accederent aduerſum nos: cum & in aduentu infamis Olympij vani cuiuſdam hominis cum in armis me hinc potiùs repellere faterentur. Ego itaque ante Altare Eccleſiæ lectulum meum habebam, in quo iacebam, & nondum tranſacta media hora exercitus cum eis veniens in Eccleſiam loricati omnes, tenentes lanceas, & ſpathas ſuas, quin & arcus ſuos paratos vna cum ſcutis ſuis, & facta ſunt illic, quæ nec dicenda ſunt. Quemadmodum namquè in hyemali tempore vento valdè flante folia ex arboribus concuſſa cadunt, ita percutiebantur armis candelæ Sanctæ Eccleſiæ, & reuulſæ excutiebantur in pauimentum, & audiebatur ſonitus, qui in eadem fiebat Eccleſia, veluti tonitruus quidam horribilis tàm ex colliſione armorum, quàm ex multitudine candelabrorum ab eis confractorum.

Quibus cum faſtu introeuntibus, iuſſio à Calliopa porrecta eſt Presbyteris, & Diaconis, in qua humilitatis meæ abiectio contine-

batur, quod irregulariter, & ſine lege Epiſcopatum ſubripuiſſem, & non eſſem in Apoſtolica Sede dignus inſtitui; ſed omnimodis in hanc regiam Vrbem tranſmitti ſubrogato in loco meo Epiſcopo: quod nec dum factum eſt, & ſpero, quod nec aliquando fiet: quia in abſentia Pontificis Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius locum præſtant Pontificis. Dum ergo mouentur, quæ de fide grata ſunt, iam manifeſtaui vobis. Quod autem præparati non fuerimus ad repugnandum, melius iudicaui decies mori, quàm vnius alicuius ſanguinem in terram fundi. Quod quidem & ſine periculo hoc geſtum eſt in paucis, qui non placuerunt Domino, malis effectis. Eadem itaque hora dedi me ipſum ad exhibendum Imperatori, & non reſiſtendum. Porrò acclamantibus mihi (vt veritatem dicam) quibuſdam è Clero, ne facerem hoc, nulli eorum accommodaui aures, ne ſubito fierent homicidæ, ſed dixi illis, ſinite mecum ex Clero, qui neceſſarij mihi ſunt, Epiſcopos videlicet, & Presbyteros, & Diaconos, & abſolutè, qui mihi videntur. Reſpondit Calliopas: quotquot voluerint venire, cum bono venient: nos cuiquam neceſſitatem non facimus. Reſpondi ego. Clerus in poteſtate mea eſt. Exclamantes autem quidam ex Sacerdotibus dicebant: cum ipſo viuimus, & cum ipſo morimur. Poſt hæc cœpit dicere per ſe Calliopas, & qui cum ipſo erant. Veni nobiſcum ad Palatium. Neque hoc facere recuſaui, ſed exiui cum eis in Palatium: Eadem ſecunda feria, & tertia venit ad me omnis Clerus, & multi erant, qui ſe parauerant ad nauigandum mecum, qui etiam res ſuas immiſerunt in eas quæ vocabantur, nauiculas, ex quibus onera ex littore in naues maiores, vel ex eis ad littus tranſportantur. Alij quoque nonnulli præparabantur Clerici, & Laici, qui feſtinabant venire ad nos. Eadem ergo nocte, quæ illuceſcit in feria quarta, quæ erat 13. Kal. Iulias circa horam quaſi ſextam, tulerunt me de Palatio, retruſis omnibus, qui mecum erant in Palatio vſque ad res diuerſas, quæ mihi, & his erant neceſſariæ; & non niſi cum ſex puerulis, & vno Cancellulo duxerunt Nos ex Vrbe. Et cum immiſiſſent Nos in vnum eorum, quæ dicebantur leuamenta, circa horam plus minus quartam diei ad Portum peruenimus. In ea ſanè hora qua egreſſi ſumus ab Vrbe Roma, ſtatim vt erant obſeratæ portæ, iterum eas obſerauerunt, & ſic remanſerunt in Ciuitate aliqui, ne venirent ad nos in Portum, donec illinc nauigaſſemus. Vnde neceſſitas nobis effecta eſt, vt omnium eorum res, quæ in leua-

mento

mento miſſæ fuerant, in dicto Portu dimitteremus; & mox eadem die moueremur, & peruenimus Kal. Iulij Miſenum, in quo erat Nauis, ideſt carcer &c.

In Epiſtolæ huius exordio idem Sanctus Pontifex Baſilicam Lateranenſem Beati Petri Sedem appellat. Sed operæ pretium eſt referre etiam ea, quæ vnus ex Presbyteris, qui eumdem Sanctum Pontificem eſt comitatus, ad Romanum ſcribit de calamitatibus, & ærumnis ab eodem Sanctiſſimo Pontifice toleratis, & quæ addit de Baſilica Lateranenſe, templum enim totius Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicum Thronum eam appellat.

Afflictiones, mœrores, & lachrimas, communemquè ſine ceſſatione, & mæſtiſſimam vocem, quæ in dolore ex intimo prolata eſt cordis; puto autem quia & profertur Domino ab his, qui ſunt Romæ, adhuc autem, & omni loco dominationis eius degentibus ſanctis famulis Dei, & fidelibus populis, ex quo facta eſt perſequutio aduerſus ſanctiſſimum Patrem noſtrum, Deo beatiſſimum, & fidelem Sacerdotem, Principem, & Apoſtolicum vniuerſalem Papam, & per hoc aduerſus Catholicam Eccleſiam. Puto autem hactenus hunc eumdem mœrorem retineri in vobis, & multam ſollicitudinem habere vos ſcire, quomodo exulatus eſt, & perſecutione pulſus à Roma nauigio vſque Byzantium. Hæc in mente habens ego humilis, & peccator famulus veſter, quadam quidem exterius ſollicitudine multa addiſcens, plurimorum autem propriè contemplator factus, indignus miniſterij Beatiſſimi, & precioſi Sacerdotis noſtri iudicaui litteris reminiſci, & nota facere, claraquè conſtituere vobis benedictis, ac per vos omnibus fidelibus, ac zelum habentibus culturæ diuinæ. Quatenus cognoſcentes cum cordis mæſtitudine mecum ſermonem propheticum proferatis. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte contritiones Catholicæ Eccleſiæ, & omnium Chriſtianorum, immò perditionem propter ea, quæ acta ſunt in beatum, & Deo plenum Ducem veritatis, & Prædicatorem. Verumtamen Deo gloria, qui dedit virtutem, & ſufficientiam ſtabilem in tentationibus, quæ ſuperuenerunt ei à contrarijs virtutibus, & vires in expugnando, & viriliter dimicando pro cultu Dei irrefragabiliter, & ſpe firma vſque ad mortem ponens animam ſuam, vtpote imitatus eum, qui eum conſtituit athletam Dominum eius ad informationem pro veritate dimicare. Et quidem quæ Romæ

geſta ſunt in Beatum Martinum ſpiritualem Patrem, Sacerdotumquè Principem, & vos ſcitis qualibus periculis luctatus eſt. Videns ergo gladios vibratos, & acutos conſertos ad inuicem tentos à pluribus militibus paratum habentibus inficere enſes, & priuare vita B. Epiſcopum, & circuitu Altaris aſtantibus, & in toto templo Catholica Eccleſiæ Romæ, quæ cognominatur Conſtantiniana, in qua Sacerdotio fungens recubabat in floribus, & grabato ipſe Beatus æger, & quomodo contritus armis, & artubus conſtrictus, impulſus, & expulſus, raptus, & extractus ex Apoſtolico Throno, in quo Dominus eum conſtituit Imperatorem loco ſui Apòſtolum, & Prædicatorem orthodoxum veritatis. Sed verè iſte non fecit animam ſuam precioſiorem ſe, ſed poſuit eam vſque ad mortem imitatus Dominum ſuum (ſicut dictum eſt) dicentem. Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, quo ſaluaret vbique errantem, & perditam plebem ab inſurgentibus noſtris temporibus Hæreticis. Traditur ergo Romæ de Catholica Eccleſia Sancti Ioannis à Potentibus huius ſæculi ijs, qui hoc erant miniſterio digni, miniſtris, atque cuſtodibus. Depoſitus eſt ad Portum, & coniectus eſt in lembum, & nauigantibus (ſicut ſcitis) euntibusquè cum auiditate in Inſulam, quæ vocatur Naxos, non conceſſerunt beato illi Apoſtolico viro cuſtodes penitus contingere terram, dolentibusquè prorſus pedibus eius, cum ipſi per loca conferrent, & quieſcerent &c.

Imbutus quidem erat auito erga Monothelitas fauore ſæuiſſimus Princeps, Callidiſque Popularium eius cauſſæ ſtudijs adductus eſt, vt ſpecie conciliandæ in Eccleſia pacis, ſedandarùmque turbarum, quas ea controuerſia conciuerat legem ferret, Typumque appellaret, qua lege ſilere cuncta de Chriſti voluntate ſententiarum diſſidia iubebantur, neuè cuiquam eo ſuper argumento vllam in partem diſputare fas eſſet. Egregium ſanè, illud quidem malorum à pernicioſa de diuinis rebus contentione, plerumque orientium remedium, & generi humano apprimè ſalutare, ſi eo vti in tempore, & nondum diffuſis per omnes Chriſtiani Corporis artus vlceribus licuiſſet. Verùm nullum iam diſſimulationi locum reliquerat peruagata pridem in omnes Orientis Prouincias eius inſaniæ contages ac Imperatore Heraclio auctore in Occidentem quoque diſſeminari tentata. Populi ad hæc vniuerſi Chriſtiani manifeſta erga id virus auerſio, & ſolemnes plu-

plurimarum Eccleſiarum, ac præcipuè Romanæ ſub Seuerino, Ioanne, & Theodoro Summis Pontificibus contra eam damnationes, & anathemata pronunciata vt facile appareret commentum illud verſutiſſimorum Hæreticorum fuiſſe, vmbram ſuæ peruicacie, ac velamenta quærentium, quorum obiectu ſopita tantisper diuturno veritatis ſilentio Catholicorum Antiſtitum vigilantia proiecta tunc, & languens impietas ſpatium ad reparandas vires idoneum acciperet. Igitur omni reſpectu Imperatoris, qui per Olympium Exarchum eam Conſtitutionem Eccleſiæ Romanæ comprobandam ſubmiſerat, omnique inuidiæ grauitate, quæ ob neglectum ſpecioſæ pacis commodum vltro ſuſcipi videbatur, pro nihilo habita, Conuocata Synodus eſt, de qua ſupra iam diximus, Typique & aliarum eiuſmodi profanarum de Religione Sanctionum erroribus conſtantiſſimè obuiam itum, vnde mox grauis hæc in Chriſti Seruum Imperatoriæ indignationis exorta procella originem habuit.

Ioannes verò Quintus qui Sextus etiam dictus eſt, priſca conſuetudine à Clero, Populoquè Romano in Lateranenſe Baſilica ſumma conſenſione eorum omnium, qui tunc erant in Vrbe, ad ſummum Sacerdotium euectus eſt. Sed Ioanne morte ſublato habita iterum comitia pro nouo Pontifice, ingenti diſcordia inter ſe Clerum, Populumquè Romanum commiſere, nam Clerus Archipresbyterum, Populus Theodorum Presbyterum elegerat; & Clerus quidem ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ vniuerſus hærebat, nè portas videlicet, quas ſeditioſi aliquot Romani populi nomine cuſtodiebant, vllus è Senatu, vel plebe cum ſuo electo ingrederetur, cum quo interim populus intra Eccleſiam Sancti Stephani in monte Cœlio ſubſtiterat. Quoniam autem neutra pars alteri cedebat; tandem vtiquè eum, quem eligendum ſuſceperant repudiarunt, ac de eligendo tertio conſilium cœperunt; quo factum eſt vt in Lateranenſi Patriarchio vnanimi ſuffragatione Cononem virum ſanctiſſimum nihil tale opinantem, elatum ex media turba Pontificem acclamarent & ſecundiſſimo omnium ordinum plauſu in Lateranenſem Baſilicam introducerent. Ad hæc Stephanus Tertius dictus Secundus cum antea eſſet regularis Canonicus ex Baſilica Sanctæ Mariæ ad Præſepe in Baſilicam Lateranenſem cum magnis laudum præco-

conijs eſt diportatus & intra *Venerabile Patriarchium*, vti loquitur Anaſtaſius, *inthronizatus*.

Stephanus autem Quartus dictus Tertius, qui Cubicularius fuerat Eccleſiæ Lateranenſis ab Eccleſia Sanctæ Cæciliæ Transtyberim, cuius tituli erat Presbyter Cardinalis, in Lateranum fauſtis cum acclamationibus deductus eſt, & ibidem Pontifex renunciatus.

Benedictus verò tertius inuitus ille quidem, & renuens ad Patriarchium Lateranenſe ductus, & ibi Pontifex factus eſt, collocatuſquè in ſolio intra Baſilicam Saluatoris. Quoniam autem ſeditioſi aliquot intruſo Anaſtaſio Cardinali Benedictum ex Laterano exegerunt poſt dies non ita multos, rurſus in Lateranum Benedictus reuerſus eſt Anaſtaſio in carcerem coniecto:

Hadrianus etiam Secundus ab Eccleſia Sanctæ Mariæ ad Præſepe ad Lateranenſem Baſilicam pariter inuitus, & repugnans deductus eſt, & ſuffragijs omnium ſtatim Pontifex renunciatus.

Præterea ex hoſpitio non ſine adhibita ui Fridericus Gozollonis Ducis Lotharingiæ filius, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Dominica deductus eſt ad Baſilicam Sancti Petri ad Vincula, & ibi à Clero, & Populo creatus eſt Pontifex; placuit verò Stephanum Nonum eum appellare, propterea quod eius creatio incidit in diē quartū Nonas Auguſti, qua ab Eccleſia Sancti Stephani Papæ, & Martyris memoria celebratur, atque inde plaudentibus omnibus ad Lateranum progreſſus eſt, & in ſolio Pontificum collocatus.

Eodem modo in Baſilica Sancti Petri ad Vincula inuitus electus eſt Pontifex Gregorius Septimus, & ad Lateranum perductus. Panuinius vero in Paſchali Secundo de eius electione agens, ac teſtimonio Bibliothecarij vſus, ita ſcripſit.

Vrbano Secundo mortuo Eccleſia, quæ erat in Vrbe, Paſtorem ſibi dari expetijt, ob hoc Patres, Cardinales, & Epiſcopi, primoreſque Vrbis, Primi Scrinij, & Scribæ Regionarij in Eccleſia Sancti Clementis conueniunt, hic dum de multis agitur, ſubito de hoc commodius placuit, quod compertum viro bono diſplicuit, volenſque vitare fugit, latuitquè, licet non diù potuit nimium commodius humano latere conſilio, quem in multorum ſalutem diuini muneris gratia reuelare diſpoſuit, inuenitur, trahitur in Conuentum & conueni-

uenitur, de ſuga arguitur à Patribus: Fugere inquit ille me magis oportuit Patres; quàm inæqualis ſarcinæ pondus immoderata animi præſumptione ſubire, nec decebat me Sacerdotem illo honoris cingulo accingi, cuius oneris vinculo obuolutus ſuccumberem: non ſic aiunt Patres, non ſic facias oportet, ſed illuc tua ſe debet cohibere intentio, quo diuino intuitu cognoueris ſe infigere ſapientiam. Ecce te in Paſtorem ſibi dari expetit populus Vrbis, te elegit Clerus, te collaudant Patres, denique in te ſolo totius Eccleſiæ quieuit examinatio, diuinitus iſta proueniunt, diuinitus huc congregati in nomine Domini te ad ſummum Pontificatus apicem & elegimus, & confirmamus, ſic eo diù renitente à Primis ſcrinijs, & ſcribis regionarijs mutato nomine ter acclamatum eſt, reſponſumque Paſchalem Papam Sanctus Petrus elegit, his, alijſquè laudibus ſolemniter peractis chlamyde coccinea indutus à Patribus, & Tyara capiti eius impoſita comitante turba cum cantu Lateranum vectus ante eam porticum, quæ eſt ab Auſtrali plaga ad Baſilicam Saluatoris, quam Conſtantinianam dicunt, adducitur, equo deſcendit, locaturque in Sede, quæ ibidem erat parata, deinde in Patriarchale, aſcendenſquè palatium ad duas curules deuenit, hic baltheo ſuccingitur cum ſeptem ex eo pendentibus clauibus, ſeptemquè ſigillis, ex quo ſciat ſe ſecundum ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam ſanctarum Eccleſiarum, quibus Deo auctore præeſſet, regimini in claudendo, aperiendoquè tanta ratione prouidere debere, quanta ſolemnitate id, quod intenditur, operatur; & locatus in vtriſquè data ſibi ferula in manu per cætera Palatij loca ſolis Pontificibus Romanis deſtinata, iam Dominus vel ſedens, vel tranſiens electionis modum impleuit. Die altero menſis Auguſti decima quarta die conſecrandus in Pontificem, conſecraturiquè Pontificem, Pontifices cum frequentia populi, plebiſquè Baſilicam B. Petri adeunt, quorum nomina ſunt Odo Oſtienſis, Mauricius Portuenſis, Gualterius Albanus, Bocco Labicanus, Offo Nepeſinus, & inter Miſſarum ſolemnia loco, & termino, quo decuit, manum ſibi imponunt, primus in conſecratione Odo Oſtienſis, qui ad hoc vtitur pallio, & benedixit, & liniuit eum chriſmate: catholicè igitur à catholicis, & Ortodoxis Epiſcopis in Pontificem conſecratus, traslato in ſe pallio, expletiſquè, quæ reſtabant Miſſarum ſolemnibus, cum plenitudine laudum, cum ingenti applauſu populi, plebiſquè, cum alacritate Patrum, ac deuotione Do-

ne Domnus Paſchalis Papa II. coronatus in Vrbem rediјt, conualuitque Eccleſia.

Habemus inſuper Ioannem ex familia Caieta, qui Gelaſius ſecundus appellatus eſt, equo albo inſidentem, & ſacris veſtibus indutum Clero, & Populo Romano comitante per viam ſacram in Lateranum deductum fuiſſe, & more maiorum in Apoſtolica Sede collocatum,

In Baſilica Lateranenſi etiam poſt Honorij Secundi obitum comitijs indictis Cardinales, & Clerus Pontificem crearunt Innocentium Secundum, qui antea eiuſdem Baſilicæ Canonicus fuerat. In qua etiam Baſilica cum adeſſet Henricus Cæſar Friderici Ænobarbi filius ſuffragatione omnium renunciatus eſt Pontifex Cœleſtinus Tertius, qui antea Hyacintus Bubonus appellabatur.

Ioannes etiam Lotharius ex familia de Comitibus, qui à Clemente Tertio Cardinalis creatus fuerat, cum eſſet Canonicus regulam in Monaſterio Lateranenſi profeſſus electus, eſt Pontifex in hac Baſilica, & Cœleſtino ſucceſſit.

In hoc capite, de rebus memorabilibus in Lateranenſi Baſilica geſtis agere propoſitũ erat in quo haud otioſũ exiſtimauimus electiones ſummorum Pontificum ibi celebratas ſingiliatim enumerare quamuis hic locus ei rei gerēdæ proprius & ſollemnis antiquitus eſſet, & etiã ante conclauis vſum à Gregorio Decimo inſtitutum, nam neque adeo religioſus à Laterano non recedendi mos erat vt ſæpe omiſſus non ſit, & haud raro alibi quam in Vrbe Romanos Pontifices & reſidere, & eligi ob contumaciam, & aſperos Populi Romani mores eueniebat, & earum ipſarum electionum, quæ in Laterano factæ ſunt haud perinde omnium ſatis diuerſa apud idoneos auctores mentio eſt. Hodie verò poſt domicilium Pontificum ad Vaticanum translatum tradendæ poſſeſſionis ius Laterano nihilominus relictum eſt vt ſæpe diximus, quem quidem actum maximi omnium inter alias capeſſendæ tantæ poteſtatis ceremonias momenti eſſe haud dubium habetur, ex eiuſque felici, aut ſecus celebratione tanquam à non ambiguo quodam præſagio. Principatus totius exitum curioſi talium æſtimare ſoliti ſunt. Vnde id quod Alexandro Sexto inter obeundam hanc ſollemnitatem audiſſe memoriæ prediturn eſt vt ad aram

Ba-

Baſilicæ maximam accedens alienatus repente à ſenſibus collaberetur; & aliquamdiu immobilis mortui ſpeciem circumſtantibus præberet, non defuere qui ad omen futuræ vitæ, morumque eius traherent tãquam ea defectio Eccleſiam à nouo Pontifice nequaquam ex vetere diſciplina adminiſtrandam haud obſcurè portenderet

Poſtremò in Baſilica Lateranenſi multi Imperatores, & Reges Diademate inſigniti ſunt Clotarius Secundus ab Innocentio Secundo anno ſalutis 1134. quo tempore Vaticana Baſilica valido præſidio à Petro Petri Leonis Antipapa, & ab aſſeclis eius Schiſmaticis occupabatur, Coronatus in Laterano eſt, & Coronationis eius pictura extabat in Patriarchio. Henricus Septimus etiam ſedente Clemente Quinto in Ciuitate Auenionenſe Diadema Imperii accepit in Laterano à tribus Cardinalibus Legatis miſſis propterea in Vrbem, nempe à Nicolao Oſtienſi, & Arnaldo Sabinenſi Epiſcopis, & à Luca de Fliſco Diacono Cardinali Sanctæ Mariæ Nouæ. Ad hæc ſcribit Platina Ludouicum Bauarum Corona Imperii à Stephano Columna iuxta ædes Laterani iuſſu Cleri, Populiquè Romani donatum. Non deeſt etiam, qui affirmet Ottonem Imperatorem ſecundum eius nominis Diadema Imperii in Lateranenſe Baſilica à Ioanne Decimotertio Pontifice ſuſcepiſſe. Illud certe nequaquam dubium eſt Imperatores omnes poſt acceptum Imperii Diadema ſtatim cum inſigni pompa Lateranenſem Baſilicam inuiſere ſolitos, eumquè more Carolo Magno, & filio eius Ludouico Pio laudabiliter vſurpatum accepimus. Poſt peractam etiam Coronationem Henrici Tertii eiusquè coniugis Agnetis à Clemente Secundo Pontifice in Vaticana Sancti Petri Baſilica, ſimul Pontifex, Imperator, & Imperatrix cum ingenti plauſu Populi Romani Diademate redimiti ad Lateranum proceſſerunt, omniumque in ſe oculos inſolita eius diei Maieſtas conuertit. Sigiſmundus quoque Imperator poſt acceptum Diadema ipſo Paſchatis die ad Lateranenſem Baſilicã venit, & in Canonicorum numerum cooptatus, aram templi maximam deoſculatus eſt, nihilquè eorum, quæ Canonici, Sacerdotii ſui adeuntes poſſeſſionem obire ſolent omiſit, quo luculentius teſtaretur grauiſſimã ſibi eam honoris ſignificationem fuiſſe. Id quod Fridericus etiam Tertius Imperator obſeruauit, immo ſedente Paulo Secundo Pontifice Romam reuerſus voti cauſa idem

Imperator in peruigilio Natiuitatis Domini tertia noctis hora indutus peregre habitu Baſilicam Lateranenſem frequentauit. Die autem Circumciſionis Domini maxima cum pompa, & Pontifex, & Imperator ſub conopeo ad eamdem Baſilicam proceſſerunt, & vt capita Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli inuiſerent intra ferreos Cancellos per gradus in eum ſinem præparatos, ambo ſe contulerunt.

Poſtremò Carolus Quintus ſolemni ritu inuiſit Lateranenſem Baſilicam, & vti iam diximus, in album Canonicorum adſcriptus eſt, immò & Bononiæ, vbi Coronatus eſt, ad ædem Sacram S. Dominici, quaſi ad Lateranenſem Baſilicam, Ciaconio, & Cornelio Agrippa referentibus profectus eſt.

Deniquè ſummorum etiam Regum in eadem Baſilica plurimi Diadema Regni ſuſcipere voluerunt, inter quos anno ſalutis 1266. ipſo die Epiphaniæ Domini Carolus vtriuſquè Siciliæ Rex cum vxore Beatrice in Lateranenſe Baſilica à Cardinalibus quinque, Clemente Quarto Pontifice ſedente, iniunctus eſt; fueruntquè Rodulphus Epiſcopus Albanus, Anchettus tituli Sanctæ Praxedis, Riccardus Annibaldenſis tituli S. Angeli Presbyteri, Gotefridus Alatrinus Sancti Georgii in Velabro, & Matthæus Rubeus Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinales. Quàm verò excellentibus inſignita titulis; quanta dignitate conſpicua; quanti cultus, & ſanctimoniæ cenſenda ſit hæc Baſilica, nemo eſt, quin intelligat; ſi ſummorum decreta Pontificum; ſi ſanctorum Patrum oracula: monumenta denique ipſius Eccleſiæ ab innumeris tot caſuum, ac ſæculorum iniuriis erepta, & conſeruata conſideret. Illam Beati Petri præcipuam Cathedram: Primam, atque Apoſtolicam Sedem: Tribunal Eccleſiaſticæ poteſtatis: Thronum Summi Pontificis: Patriarchium, Caput, & Magiſtram Eccleſiæ Catholicæ, pro ſe quiſque Sanctorum; Procerum: Doctorum: ſummorumquè Pontificum appellare non deſinit. Hic Spiritus Sanctus tot ſanctiſſimorum Conciliorum decretis in ea latis, confirmatisquè inuiſibili ſui Numinis adfuit claritate: Hic vndique confluentium Regum, ac Principum vota; precesquè maximis, grauiſſimisquè de rebus exaudire dignata eſt ſæpenumero diuina clementia: Hic Regni cœlorum claues pridem Apoſtolorum Principi traditas à Chriſto Domino iterum ac ſæpiùs tradere, & commendare ſolet ſumma

Pa-

Paſtoris æterni prouidentia; eiuſdem Petri ſucceſſoribus poſſeſſionem in hoc Sacrario ſuæ Maieſtatis auſpicantibus. Hic deniquè (ſi vſquam gentium) in generis humani documentum, atque eruditionem, totam effudit ſeſe cœleſtis ſapientia, quoties tamquam è Cathedra veritatis, & Apoſtolico Magiſterio innumeras damnauit Hæreſes, pernicioſos errores depulit, omnemque ignorantiæ ſqualorem, & ſordes à mentibus fidelium ad legis diuinæ ſplendorem non rarò cæcutientibus abſterſit: Sed iam ad rerum geſtarum, quæ ad hæc faciunt, ordinem accedamus. Hormiſdas Pontifex Maximus damnatos hic Manichæorum dogmatum Codices ſolemniter exuri iuſſit. Hic indictæ, atque inſtitutæ ſunt piæ ſupplicationes ad diuinum numen placandum, quo pacto ſuperioribus ſeculis Leo Tertius Pontifex ſupplicationem inſtituit trium dierum ante Aſcenſionem Domini, itaut prima die ab Eccleſia S. Mariæ ad Præſepe ad Baſilicam Conſtantinianam iretur. Gregorius Nonus Friderico Secundo Italiam deuaſtante, & Eccleſiæ, Pontifici, Vrbique hoſtiliter infenſo, ſupplex nudiſquè incedens pedibus ex Laterano exportata tulit per compita Ciuitatis Capita Principum Apoſtolorum, vtque ab aduerſario tàm potenti liberaretur, votis haud irritis à Deo poſtulauit, vt infra libro quartò dicemus. Ioannes quoque vigeſimus tertius ex Laterano ſupplicationem publicam ad Vaticanum iniuit, voluitquè in ea circumferri caput Sancti Ioannis Baptiſtæ. Eugenius Quartus Mitram S. Silueſtri Auenione Romam deportatam, & tribus coronis aureis inſignem, quam fuiſſe donum Conſtantini Magni perhibent, ex vaticana principis Apoſtolorum Baſilica ad Lateranum reportauit ſumma cum veneratione Litanias decantante Clero, & Populo Romano, atque in Baſilicæ Sacrario honoris cauſa collocauit, vti teſtatur Cardinalis Ægidius Viterbienſis. Quam Sacram Tiaram poſtmodum Innocentio Octauo Pontifice furto ablatam fuiſſe, nec tanti ſceleris auctorem vnquam inueniri potuiſſe conſtat. Nicolaus Quintus anno ſalutis 1448. die vigeſima tertia Maii ſupplicationem celebrem habuit pedeſque inceſſit Sacram Euchariſtiam à Lateranenſe Baſilica vſque ad S. Clementem, circumferens, & inderemeans rem diuinam ritu ſolemni peregit. Paulus quoque ſecundus Natali Sancti Clementis die ad Lateranum ſupplicationem ſimiliter habuit, indeque rurſus anno

1467. octauo idus Iulias cum Cardinalibus, & omnibus Cleri Romani Ordinibus, ſupplicatione publica proceſſit, quo tempore dum Chalcis (hodie Nigropontum appellant) à Turcicis copijs oppugnaretur, Reliquias inſigniores circũferri voluit, nempe Lateranenſem Sancti Saluatoris imaginem, Iconem Sanctæ Mariæ, quam Populi vocamus & caput Sancti Ioannis Baptiſtæ; Eo autem die in Baptiſterio Lateranenſi hominem Turcam ſacri lauacri vndà ablutum ferunt. Præterea Pontifices alij plurimi, & ferè omnes quò ingruentes à populo Chriſtiano calamitates, auerterent, ad Lateranenſem Baſilicam ſupplices, accedere certiſſimum cæleſtis iræ piaculum iudicauere, quod recens etiam. Nos quoq; vidimus à Summis Pontificibus Vrbano VIII. & Innocentio X. & ALEXANDRO VII. factitatũ; ſed longũ eſſet ſingulos recenſere. Illud non omiſerim à Smis Pontificibus hic, & præcipuè à Diuo Gregorio Magno Homilias plures ad populum Romanum habitas, & illam præcipuè, in qua de Apoſtolicis loquitur. Inſigne etiam eſt ad memoriam antiquæ ſummorum Pontificum pietatis id, quod Gregorius Secundus de ſuo ſtudio Baſilicam hanc diligenter inuiſendi, ſacraſque in ea imagines contemplandi, atque adorandi ad Leonem Iſauricum impium illum Iconomachum ſcribit. *Nos ipſi* (inquit) *cum Eccleſiam ingredimur, & miraculorum Domini Ieſu Chriſti picturas contemplamur, & Sanctæ Matris eius Dominum, Deumquè noſtrum lactentem in vlnis habentis, Angeloſquè circumſtantes, ac ter Sanctum Hymnum canentes non ſine compunctione regredimur*; Et tunc ſacras eas imagines deſcribit, quæ hiſtoriam, & miracula Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Domini, atque Aduentus Spiritus Sancti referebant. Digna memoratu etiam eſt Gregorij Septimi egregia pietas, qui frequenter in hac Baſilica rem ſacram cum perageret, auctor eius vitæ ruſticos duos ſtudio videndi eius, ac venerandi veniſſe teſtatur, dumq; is ad altare ſacrificaret, aduenarum alterum nomine Ioannem in extaſi aſpexiſſe columbulam è cœlo deſcendentem, quaſi veneraturam Euchariſtiæ Sacramentum, eoque peracto obſequio in cœlum denuo remeaſſe. Prætereo innumeros alios Pontifices, qui à Diuo Silueſtro vſque ad Benedictum vndecimum tot ſæculis hanc Baſilicam teſtem ſui erga diuinum cultum ſtudij eſſe voluerunt, innumeroſque alios quà natalium aut potentiæ, quà doctrinæ, aut

ſanctitatis gloria inſignes, qui eam ſui ſpiritus feruore, exemplorumquè memorabilium claritate repleuere. Certè Vrbem Romam præſertim Religionis cauſſa nemo adibat, qui non ſtatim ad Lateranum curis aliis poſt habitis ſe conferret, Summòque Pontifici debitum ibidem obſequium, ac reuerentiam exhiberet, eaque profeſſione pietatis quaſi teſſera ſe Orthodoxum, & Catholicum demonſtraret. Prætereo etiam tacitus tot inſignes, & celeberrimos Eccleſiæ Catholicæ antiſtites, ex diuerſis Orbis Chriſtiani prouinciis huc aduentantes ad Oecumenicas Synodos veſtigia ſuæ pietatis ibidem impreſſa ad memoriam pariter, & documentum poſterorum reliquerunt. In quibus tamen Adhelmi Sanctiſſimi inter veteres Anglicanos Epiſcopos viri, pietas digna eſt; cuius accuratior mentio hic inſeratur; Hic enim Baſilicæ noſtræ ſanctitatem, ac relligionem admiratus, ſacratiſſimique Euchariſtiæ ſacrificii cauſſa eam ingreſſus, adeo ſui oblitus, inque diuini operis, cui vacabat, magnitudinem, atque præſtantiam animum omnem, cogitationemque defixit; vt quamuis poſt peractam celebrationem ſolus per miniſtrorum negligentiam relictus eſſet, ſacras veſtes tanquam à circumſtantium manibus excipiendas inter exuendum porrigeret; caſulamque imprimis quæ ne in terram (quod alioqui fieri neceſſe erat) decideret admirabili diuinæ erga ſeruum Chriſti indulgentiæ officio effectum eſt; ſolis namquè radius opportunè per ſacrarii feneſtras inuectus miniſtri tantiſper explere vices diuinitus eſt iuſſus, donec qui ſuſpenſam fulgenti ex aere ſacram illam veſtem exciperet, adueniret. Quod miraculum Baronius, & Surius poſteritati conſignauere, qui caſulam eam venerationis cauſſa in Eccleſia Meldulenſi aſſeruatam tradunt. Quo tempore Beatus Nilus Abbas nonagenario maior Romam venit acturus cum Gregorio Quinto Pontifice, & cum Othone Tertio Imperatore, qui tunc in Vrbe agebat, vt Philagathus Pſeudopontifex ex carcere, (in quem, oculis erutis, linguaquè, & naribus præciſis coniectus erat) dimitteretur (induxerat enim hominem vt ſeſe Pontificatu, quem ſacrilegè inuaſerat, abdicaret) obuiam aduenienti facti Pontifex, & Imperator deduxere medium ad Lateranum, idetidè manus eius præ veneratione, & beneuolentia deoſculantes; nihilominus difficultatem rei impetrandæ expertus Sanctus Anachoreta, poſtquam Lateranenſem Baſilicā eſt veneratus, no-

ctu

ctu clàm receſſit, & Caietam ad Cœnobium reuerſus eſt. Diuus etiam Simeon Armenus ſedente Benedicto Octauo Pontifice habitu Peregrini Romam venit & ſtatim ad Lateranenſem Baſilicam ſe conferens, animaduertit ibi Synodum ab eodem Pontifice, & Patribus celebrari, quocircà vt ſuæ pietati, cuius cauſſa ad Vrbem acceſſerat, prolixiùs, ac liberiùs indulgeret, atque vt ſuas expleret preces, multitudini ſe ſubduxit; cum autem oratio eius ſolito videretur intentior, neque ſpiritus exuberantia ſatis intra animum cohiberi iam poſſet, quin exteriore totius corporis inhabitu exceſſus quidam mentis interior emineret, Clericus neſcio quis ex peregrino, & Aſiatico cultu, ac ingenita toti Occidentali Eccleſiæ de totius Orientis, ac maximè Armeniorum fide, ſuſpicione, inconſultè interpretatus, quod ea ſanctimoniæ, ac pietatis larua homo Manichæus impunitatem ſuæ perfidiæ vellet redimere; rem ad frequentem cum maximè Synodum detulit, tantumquè omnium animis, mirificè per ea tempora ad ipſam Hæretici mentionem exhorreſcentibus impetus, atque indignationis exiuit, vt nihil propius factum ſit, quam vt inuidia falſi, ac temerè ingeſti criminis innocens, atque inſcius diſcerperetur. Saluti fuit, quod vnus ex Patribus ſanctiſſimi viri ſibi familiariter cogniti periculum eſt deprecatus; quin etiam vltrò periclitantis genibus aduolutus admiratione eius, inclytique per omnem Eccleſiam nominis gloria omnium animos affecit. Non fuit impunis inconſulto illi indici tanta temeritas; ſtatim enim à dæmone miſerandum in modum obſeſſus eſt, nec niſi precibus eiuſdem Beati Simonis, quem tanta iniuria affecerat, liberatus. Facilè ergo agnitus ab omnibus eſt, & præſertim à Summo Pontifice, nec ſolùm liberaliter exceptus, ſed etiam in Palatio Lateranenſi honorificè admodum hoſpitio habitus, debita tot miraculis, ab eo patratis ac veneratione percultus; diſceſſit deinde ab Vrbe, aditisquè religioſa peregrinatione in Italia, Gallia, atquè Hiſpania inclytis quibuſque ſanctitate, ac veneratione locis, tandem fato apud Mantuam defunctus eſt. Quid referam ſacrificia in hac Baſilica obita à S. Petro Damiani Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Epiſcopo Hoſtienſi, quid laudes ab eodem ſanctiſſimo viro, ac præconia in eam effuſa commemorem. Matrem illam omnium Eccleſiarum, vt diximus, caputque, atque apicem appellauit, culmen præterea, & ſummita-

mitatem totius Chriſtianæ Religionis effectam, & Eccleſiam Eccleſiarum conſtitutam eſſe, Beatorumquè Apoſtolorum Petri, & Pauli diuerſis quidem in locis erectas, ſed ſui compage Sacramenti indifferenter vnitas Eccleſias, vt oſtendatur, quoniam his tanquam expanſis diuinæ miſericordiæ brachijs ſumma illa, & vniuerſalis Eccleſia, Lateranenſis ſcilicet, omnem ambitum totius Orbis amplectitur. Diuus Bernardus eidem Eccleſiæ tamquam omnium aliarum Principi addictiſſimus, & obſequentiſſimus fuit, eamquè ſummis, vti iam diximus, in Sermone de Sancto Ioanne Baptiſta, laudibus cumulauit. Diuus Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, cum Eccleſiæ Romanæ gubernaculis Vrbanus Secundus preeſſet, Romam venit, & ſpatio menſium ſex in Laterano apud eumdem Pontificem eſt commoratus. Cum verò omnium exiſtimatione vir ſanctus vocaretur, habereturquè, eamdem Sacram Baſilicam quotidie, & ſemper profuſis vbertim lacrymis inuiſere ſolebat. Agnes Imperatrix, quæ tametſi in albo ſanctorum ſcripta non eſt, egregia tamen pietate, ac morum innocentia minime vulgarem apud poſteros, vt idem Petrus Damiani teſtis eſt, memoriam reliquit, diem vitæ poſtremum apud Lateranum tempore Gregorii Septimi obiit, ſepultaque eſt in eadem Eccleſia, ac demùm ad ædem Sanctæ Petronillæ translata. Diuus Franciſcus Aſſiſias, dum in Vrbe ageret; Pontificemque Innocentium Tertium de Apoſtolica Inſtituti ſui confirmatione appellaret, neque quod volebat initio impetraret, in eo Lateranenſis Palatii loco, cui ſpeculo nomen fuit, ambulare ſolebat, atque ita molliores, vt fit, aditus, & opportuniora conueniendo Pontifici tempora operiri. Sed certe plus momenti ad futuram Eccleſiæ felcitatem in eo Franciſci incœpto tunc inerat, quam vt amplius differri deberet, cuncta itaque longioris moræ diſpendia ſuauiſſima vis diuinæ prouidentiæ diſcuſſit, oblata per quietem Innocentio palmæ ſpeciæ inter pedes enaſcentis, paulatimque in proceritatem, & pulchritudinem eximiam excreſcentis, vnde facilem coniecturam duxit ea imagine futuræ ſe humilis illius, & à ſe contempti viri magnitudinis admoneri. Quapropter vbi primùm diluxit, tota eum Vrbe conquiri diligenter admodum ſtudioſeque maudauit, repertumque in Sancti Antonii Xenodochio, in Lateranum illico accerſiuit, ſanctimoniaq. eius, ac tota vitæ ratione perſpecta, & col-

lau-

laudata, vt in ſancto propoſito perſeueraret vehementer hominem eſt adhortatus.

Et quoniam pleriſque Cardinalium nouum eius Inſtitutum, tamquam omnem auſteritatis modum egreſſu, minime probabatur, neque rurſus eorum ſententia, quibus id ipſum coercendæ licentiæ iam tum in Eccleſiam irrepenti magnopere placebat, ſatis virium adhuc habere videretur; differri approbationis Apoſtolicæ conceſſionem tantiſper placuit, enixè Pontifice ſeque, reſque ſuas Sancti Viri orationibus commendante, Reuerſo deindè Romam Franciſco omnem ea de re dubitationem exemit, viſa in ſomnis Pontifici Lateranenſis Baſilicæ ſpecies ruenti ſimilis, ac Franciſci humeris, ne collaberetur innixa, laudabile itaque Serui Chriſti conſilium Apoſtolicæ auctoritatis robore munire vlterius non diſtulit, paſſimque fideles humilitatis Chriſtianæ ſtudioſos Seraphicæ ſodalitati nomen dare permiſit, & quamuis nihil omnino eam in ſententiam cautum ſcripto tunc eſſet, facillimum tamen res exitum, & expeditiſſimum habuit aucto mirum in modum Venerabilis eius Militiæ numero, cuius ſolemniter, & cum Apoſtolico diſplomate approbandæ Honorio Tertio Innocentii Succeſſori gloria relicta eſt. Sanctus quoque Dominicus ſub eodem Innocentio Romam ſe, vna cum Epiſcopo Toloſano contuliſſe dicitur, Pontificemque œcumenicæ Synodo operam dantem inueniſſe, à quo dilata pariter inſtituti Prædicatorum, cuius petendæ gratia venerat, confirmatione, Toloſam reuerſus eſt, nec niſi poſt Innocentij obitum, ab eodem Honorio, quod voluerat antè tamen Sancti Franciſci Ordinis confirmationem impetrauit. Non eſt prætermittendum, quod huic Sancto Viro, per eos dies, quos in Vrbe egit vſu veniſſe memorant. Pia quæ lam mulier, Bona nomine, in Turri portæ Lateranenſi proxima, (fortè ea erat quæ vſque ad ſuperiorem ætatem, in area, vbi nunc Obeliſcus eſt poſitus, viſebatur, Turris Annibaldenſium appellata) in ſumma vitæ auſteritate & cœleſtium rerum contemplatione ætatem agebat, inter cæteras huius virtutes, eximia contemnendi doloris, exercendæque patientiæ laus erat, in fœdiſſimo præſertim tolerando vlcere, quod in medio pectore ſanie, & vermibus plenum gerebat; qua illa in calamitate adeo ſe miſeram non iudicabat, vt potius præferendæ virtutis materiam, eam ſibi præbitam ſingulari Dei beneficio

cio arbitraretur, ſedulò in ſuum locum reſtitutis, ſi quem inde decidere contigiſſet; cumque B.Dominicus eo fortitudinis miraculo commotus vnum ex illis porrigendum ſibi impetraſſet, rutilantem in manu ſua loco fœdiſſimi animalculi gemmam omnium pretioſiſſimam animaduertit, repoſcentiquè mulieri inuitus reſtituit, iterum, vt antea fuerat, vermem effectum, quo factum eſt vt, perſpecta conſtantiſſimæ ac religioſiſſimæ fœminæ inuſitata, & minimè vulgari virtute, vir Sanctus hortatu præſertim ſociorum adductus, priſtinam ei ſanitatem, depulſo eo vulneris incommodo à Deo poſcere non maiore fiducia auſus ſit quam felicitate, & circumſtantium admiratione ſtatim obtinuerit.

Hoc ferè tempore Romam venit S.Angelus Carmelita, & in Lateranenſe Baſilica ad frequentiſſimam Populi Romani turbam grauiſſimam concionem habuit, cum verò inter eius auditores S.Franciſcus, & S. Dominicus adſtarent, vterque ipſi penitus ignotus, diuino nutu eorum ſanctimoniæ, ac virtutis admonitus, adeſſe ibi duas inſignes Catholicæ Eccleſiæ columnas ex ipſo ſuggeſtu prophetico ſpiritu plenus edixit. Abſoluta concione ambo ad eum accedentes, prouolui ad eius pedes conati ſunt, ſed datis amplexibus inuicem ſeſe mutuis charitatis officijs excepere, ſimulque ad Sanctam Sabinam commeauere, vbi S.Franciſcus Sancto Angelo fore, vt in Sicilia Martyr occumberet, atque ille viciſſim Sancto Franciſco, vt ſacris ſtigmatibus inſigniretur prædixit.

Sancta Brigitta cum alia ſacratiora quæquè Romanæ Vrbis loca luſtrare conſueuerat, tum verò frequentiſſimè Lateranenſem Baſilicam adibat, vbi aliquando cum peregrini plurimi conueniſſent, inter eos vnum deprehendit, qui puerulum ægrum adduxerat, quem afflata diuino ſpiritu Hebræum eſſe cũ cognouiſſet, acriter hominem obiurgauit, attonitum vulgatæ ſuæ fraudis miraculo, ac ingruenti pudori præcipiti fuga deinde ſubductum; relictamque à trepido prędam ſacro baptiſmate illico abluendam curauit. Ne Franciſca quidem Romana non eamdem hanc Baſilicam præcipuè in honore, ac veneratione habebat, quamuis aduerſarium in ea re (vt ferè in cæteris ſuis actionibus) Diabolum vehementer experiretur, vt qui iter olim habenti ad hanc Eccleſiam, viæquè, vt fit, laſſitudinem exigua mora, inſtitutoquè

cum muliere cognata eiuſdem pietatis ſocia, ſermone ſubleuanti, apparere ſub obſcœni ſenis ſpecie, ac ſtupri etiam appellare per contumeliam, ac ludibrium vtramque ſit auſus, donec ſuſis opportunè ad Deum à ſanctis fœminis precibus fugatus eſt. Iterum inuiſura eamdem Lateranenſem Baſilicam, cum Pontem Sanctæ Mariæ nuncupatum, qui abruptus nunc eſt, pertranſiret pauperem militem vlceribus plenum inuenit, eumquè ad viri ſui domum iuxta ædem S. Cæciliæ adduxit, curauitquè charitate ſumma, & morbus illius, qui ope humana curari non potuiſſet, mirabiliter illicò remiſit. Denuo cum ad Baſilicam Sancti Laurentij extra muros, ipſo die feſto Sancti Stephani Protomartyris, ſe contuliſſet, poſt adoratas beatas eius exuuias ad Baſilicam Lateranenſem perrexit, ibique rapta in extaſim puerulum Ieſum Virginis Deiparæ manibus ſuas in vlnas delatum viro Religioſo nomine Hyppolito ex Sanctæ Mariæ Nouæ Cœnobio, dedit, cumque aliquantulum in eo mentis habitu, brachijs ſupra pectus in Crucis ſimilitudinem conformatis, perſeueraſſet, ad Monaſterium Turris ſpeculorum, in quo degebat, reuerſa, deinde eſt. Sanctus Philippus Nerius in colenda, venerandaquè Lateranenſe Eccleſia non abſimili, cæteris ſuis virtutibus pietate, & religione vſus eſt; cum enim aliquando hominem Iudæum eam ingreſſum obtecto capite, & verſo impudenter Altari tergo animaduertiſſet, blandiſſimè inuitaſſe hominem dicitur, vt ſe præeunte idoneam eius rationibus precationem ſequeretur; erat autem huiuſmodi. *Domine Ieſu Chriſte, ſi verè Deus es, tuo me ſpiritu illumina, vt fidem Chriſtianam amplectar*; Cumque infidelis ille ab oratione religioni, quam ſequebatur, aduerſa vehementer abhorreret, conuerſus vir Dei ad circumſtantes, vt Deum pro illo rogarent hortatus eſt, pro certo enim ſe habere Chriſtianum eum propediem futurum; firmauitquè præſagij veritatem euentus; non diù ſiquidem fuit, vt precibus Sanctiſſimi Viri cæteriſquè piorum hominum ſuffragijs adiutus auitam ſuperſtitionem exueret, ſequè Chriſtianis ſacris initiandũ offerret. Iterum, cum eamdem Baſilicam intraret, quo tempore Sanctorum Apoſtolorum capita erant expoſita, & cum ingens adeſſet in Naui media populi Romani frequentia, contigit, vt mulier à Dæmone obſeſſa perſtrepere vlulatibus magnis cœperit. qua miſeria commotus Dei famulus, manu capillos eius arripuit, facie-

cieque ſputis, conſœdata, non me agnoſcis? (inquit) cumquè Dæmon reſpondiſſet, ita ne tu mihi eſſes ignotus? mulier veluti à ſenſibus abalienata, in terram procubuit, & libera momento euaſit; ſed cum populus certatim accurreret, clàm ſe vir Sanctus honoris declinandi cauſa à conſpectu multitudinis ſubduxit. Nec verò ita omnem ſuam dignitatem atque amplitudinem ſanctorum virorum innocentiæ, ac pietati debet Lateranenſis Baſilica, vt non etiam peccatorum inſignium pœnitẽtia, inhibitoquè ſua religione auaritiæ, & crudelitatis impetu immanium, ac perditorum hominum glorietur. Fabiolam Matronam auctor eſt D. Hieronymus ad veniam ſuorum peccatorum impetrandam, tamquam ad certiſſimum Diuinæ miſericordiæ theſaurum huc acceſſiſſe. Vandali, qui primi omnium Vrbem Romam pridem à Gothis captam incendijs, & reliquis omnibus immaniſſimæ crudelitatis exemplis affeciſſe dicuntur, ab hac vna Baſilica omnem ſæuitiam, omnemquè inclementiam abſtinuere. Ne Rex quidem Longobardorũ Luitprandus in Vaticanam Baſilicam Petri Eccleſiam auarè, crudeliterque graſſatus, huic Baſilicæ vim intuliſſe legitur. Ipſi quin etiam Saraceni infeſtiſſima omnium Chriſtiano nomini natio poſt totum Latium miſerandum in modum, vaſtatum, rerum humanarum caput in hoc Sacrario Orbis reueriti, ingenitæ ſibi immanitatis obliuiſci coacti ſunt. Poſtremò Lutheranorum cum exercitu Cæſareo inter arma Caroli Borbonis verſantium recens impietas poſt auſa auorum noſtrorum memoria fœdiſſima quæquè, ac patrata in templa Vrbis omnia, ſacerdoteſquè, ac Antiſtites, ipſumque Clementem Pontificem ſacrilegè violatum, haud quicquam ſibi licere aduerſus huius Baſilicæ Religionem eſt arbitrata. Fama tenet Hiſpanos quoſdam homines ſummo loco natos oblata forte ingreſſis in Eccleſiam Aragonenſium inſignium, de quibus ſupra loquuti ſumus, ſpecie, maiorum ſuorum pietatem reueritos vltro ſibi tuendam loci huius dignitatem, incolumitatemque ſuſcepiſſe. De inſignibus Reliquiis Chriſti Domini, & aliorum Sanctorum, quæ aſſeruantur in hac Baſilica, non eſt quod rurſus à nobis ſermo inſtituatur; ſatis erit indicaſſe ad earum venerationem lucernas balſamo inſtructas accendi conſueuiſſe, in quarum vſu libræ eius liquoris ducentæ quotannis inſumebantur præter luminaria communia ferè ſine numero, quæ interdiù, noctuque iugi ſplendore rutilabant.

De Indulgentijs Baſilicæ Lateranenſis.

CAP. XIV.

INNVMERABILIS propemodum eſt ſpiritualium Theſaurorum omnis generis, omniſquè præſtantiæ copia, quibus hanc Eccleſiam eximia ſummorum Pontificum liberalitas, ac indulgentia locupletauit, ne quid à fidelibus eius cultus, venerationiſquè ſtudioſis, eorum, quæ ad promerendam peccatorum ſuorum veniam, expiationiſquè poſt obitum ſubeundæ remiſſionem pertinet, aliunde ſit requirendum; quicquid enim inſignis, atque præcipui, vel ad mercedem iuſtorum, vel ad ſolatium pœnitentium Apoſtolica diſpenſatione vmquam obtinuit, aut longinqua Sancti Iacobi Compoſtellani peregrinatio, aut periculoſa Hieroſolymorum, ſepulcrique Dominici adoratio, ſeù quid aliud vſquam ſanctimonia, ac religione viſendum, adorandumquè eſt, id omne veteres Romani Pontifices ad augendam huius Baſilicæ venerationem certatim ei detulere, præcipueque Ioannes XII. collabentis eiuſdem ædificii reſtaurator, ac Bonifacius VIII. quibus quidem àdeò multa viſa ſunt Indulgentiarum, reliquorumquè ſpiritualium priuilegiorum hic attributa beneficia, vt numerum inire opus humana virtute ſublimius iudicarint. Verùm hæc omnia generatim, & ſine vlla dierum, aut operum ad huiuſmodi gratias ſpectantium mentione, vt autem ad peculiaria veniamus, exordium ducam à Baſilicæ ipſius Dedicatione, quam his verbis commemorat, & recenſet Ioannes Diaconus.

Eſt, quod Romanus Pontifex ipſius Saluatoris Ieſu Chriſti Vicarius, qui ſuauis, & copioſus eſt in miſericordia omnibus ad ſe redeuntibus, in Dedicatione iſtius Sacroſanctæ Baſilicæ, quæ miſericordiæ ſortita eſt vocabulum, de omnipotentis Dei certa miſericordia præſumens ſalubriter ordinauit. Vt omnibus ad huius Feſtiuitatis

tatis

ratis lætitiam conuenientibus, magna fieret remiſſio peccatorum, de quibus tamen dignè Deo, & Eccleſiæ confeſſi per pœnitentiam fuiſſe noſcuntur, ſeu quæ vſque ad octauam diem cum vera, & Deo grata cordis contritione confiterentur, quæ videlicet remiſſio Apoſtolica prouidentia ſic tripartita diſtinguitur: Vt Romanis, & circumadiacentibus millium annorum. Tuſcis, & Longobardis duorum millium annorum; ſed & his, qui transmeare maria noſcuntur, trium millium annorum maneat remiſſio peccatorum.

Atque has Indulgentias idem Ioannes Diaconus affirmat eſſe in hac Baſilica ſemper feria quinta in Cœna Domini his verbis.

Similiter eademquè Inſtitutio facta probatur in hac prima, & Sacroſancta Baſilica Feria quinta in Cœna Domini, quando à Domno Apoſtolico conſecratur Sanctum Chriſma, &c.

Conſtantinus Auguſtus, vt eſt humanum ingenium præclaris conſiliorum ſuorum operibus maxime deditum, ne exteriori, & viſibili Baſilicæ à ſe conſtructæ cultui, ſpiritualis, ac inuiſibilis cultus non reſponderet, magnopere laboraſſe traditur; & quia Eccleſiarum præcipuus vſus in propitianda in eis diuina gratia, eluendiſquè peccatorum ſordibus eſt, diligenter cum S. Syluestro egiſſe ne quid illi cæleſtium theſaurorū, quod ad eam rem idoneum putaretur, deeſſe vellet, his maxime verbis vſus; ſi quid fidei vetuſtiſſimo Archiuij noſtri codici ac tabulæ, quam magnam appellamus, pari antiquitate venerabili habendum eſt.

Pater ecce domum meam in Dei Eccleſiam ordinaui, infunde in eam tuam largam benedictionem omnibus ad eam venientibus. Nec vllam annuendi morā in eo fuiſſe, quin etiā reſponſum Conſtantino in hanc ferme ſententiam redditū ex iiſdem, quæ dixi monumentis habetur. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui te mundauit à lepra, & purificauit te fonte perenni, per ſuam miſericordiam mundet, & purificet omnes huc venientes ſine peccato mortali, & auctoritate Apoſtolorum Petri, & Pauli, atquè noſtra, ſit ei remiſſio omnium peccatorum.* Diuus Gregorius Pontifex, qui hanc Baſilicam, vti in ſummario eius indulgentiarum habemus violatam, & fœdatam ab Hæreticis denuò conſecrauit, ea occaſione confirmauit etiam Indulgentias ei à Beato Siluestro conceſſas, exiſtimo autem hunc fuiſſe Gregorium Secundum, qui Baſilicam reſtituit; etenim Anaſtaſius Bibliothecarius à Leone Iſaurico Imperatore, ſiuè ab eius Miniſtris Eccle-

ſias Romanas fuiſſe pollutas tradit, & abolitas Sacras Imagines, miſſis non ſemel in Vrbem tàm Paulo Patritio, quam Eutychio, vt Gregorium Pontificem aduerſantem eorum actionibus interficerent.

Bonifacius etiam Nonus, hæc eadem ſanciuit. *Si quis ad ſedem noſtram Lateranenſem cauſſa orationis, deuotionis, ſiue peregrinationis acceſſerit, ab omni ſorde peccati ſit totus mundatus.* Ad hæc vigeſimo quoque quinto anno, qui ſacras Iubilei opes conſequi ſtudent, adire ſemper Baſilicam Lateranenſem, neceſſe habent, & cum hæc ſeptem Eccleſiarum Vrbis prima ſit, habet, continetquè in ſe propemodum Indulgentias eas omnes, quæ cæteras Romanæ Vrbis Eccleſias inuiſentibus propoſitæ ſunt: ſed in eadem Baſilica ſtatis quibuſdam diebus Indulgentiæ piaculares plurimæ habentur, & præſertim in feſto Sanctiſſimi Saluatoris, cuius Imago in ea Populo Romano primùm apparuit, etenim in eius rei memoriam, eo die quotquot adeunt Lateranensẽ Baſilicam, veniam conſequuntur peccatorum omnium, quod cauſſæ fuit, cur Nicolaus Quartus, in Apſidis reſtauratione ſeruari monumentum eius integrum voluerit. Item cum Statio ſit ad Eccleſiam Lateranensẽ, Prima Dominica Quadrageſimæ, Dominica Palmarum, Feria Quinta in Cœna Domini, Sabbato Sancto, Sabbato in Albis, Feria tertia Rogationum, & in Vigilia Pentecoſtes, his diebus conceditur plenaria remiſſio illis, qui confeſſi, & contriti hanc Baſilicam inuiſerint. Quin etiam à die ſexta Maij, vſque ad decimam quintã diem Auguſti, hoc eſt vſque ad Feſtum Virginis Deiparæ in Cœlum aſſumptæ quotidie in eadem Baſilica Indulgentiæ complures habentur.

Quotieſcunque autem Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli capita exponuntur, Vrbanus Quintus, & Gregorius Vndecimus conceſſere illi Indulgentias eaſdem, quæ conceduntur, præſentibus in Vaticana Baſilica, expoſitioni Sudarii vultum Chriſti Domini referentis Aliæ ſolemnitates, in quibus venia omnium peccatorum adeuntibus hanc Baſilicam parata eſt, hæ maximè, ſunt Dominica Reſurrectionis, Feria ſecunda Paſchatis, & Peruigilium Sancti Ioannis Baptiſtæ à primis Veſperis, vſque ad occaſum Solis ſequentis diei. Peculiares etiam Indulgentiæ ſunt, eæquè plurimæ die Transfigurationis Domini, & in feſto Decollationis Sancti Ioannis Baptiſtæ. At Anniuerſario die Dedicatio-

tionis eiuſdem Baſilicæ, ſicut etiam die feſto S. Ioannis Euangeliſtæ, in ea Statio habetur cum peccatorum omnium remiſſione. Neque hic omiſerim Indulgentias piaculares, quæ ſunt addictæ Altaribus, ac Sacellis eius; Imprimis Aram Maximam adorantibus, quotidie Indulgentia annorum quadraginta octo, cum quadragenis, & cum remiſſione tertiæ partis omnium peccatorum conceditur. In Ara Beatæ Virginis Annunciatæ pro defunctis Miſſæ ſacrificium celebrans, liberandi eorum animas à pœnis Purgatorij per modum ſuffragij beneficium habet. Præterea in sacello Diui Thomæ, quod Pontificum antiquum ſecretarium erat, & vbi aſſeruantur Arca Veteris teſtamenti, Virga Moyſis, Virga Aaronis, & Menſa, super quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus cœnam vltimam Hieroſolymis celebrauit, Indulgentiæ propemodum innumerabiles ſunt, quæ in Lateranenſe tabula recensentur. Demùm quicumquè ipso Epiphaniæ die in hac Baſilica viſitauerint Sacellum Diuo Ioanni Baptiſtæ dicatum, & extructum à Ioanne Baptiſta Rubino eiusdem Baſilicæ Canonico, plenaria peccatorum Indulgentia ex conceſſione perpetua Gregorij Decimi tertij donantur.

Atque hæ potiſſimum peculiares Baſilicæ Lateranenſis Indulgentiæ sunt.

DE BASILICA

ET PATRIARCHIO LATERANENSI.

LIBER TERTIVS.

De Baſilicæ Lateranenſis Baptiſterio, & de illius ornamentis.

CAPVT I.

IMPERATORIS Conſtantini Baptiſterium (ſiue hoc illi nomen ſola conditoris eius Principis liberalitas fecit, id, quod Cæſarienſem Euſebium auctorem ſequutis placet; ſiuè quod argumentis longè potioribus, ſcriptoribuſquè fide dignioribus habemus, ob initiatum eò loci Chriſtianis cæremonijs eumdem Conſtantinum, ſalutariſque lauacro ablutum, ſit appellatum) præcipuo honore inter cætera omnia Lateranenſis Eccleſiæ ædificia merito cenſetur, non ſolum propter inſignem eius molis elegantiam, ac dignitatem, verùm etiàm propter Sacramenti, cuius adminiſtrationi comparatum eſt, amplitudinem, reſquè in eo geſtas ad poſterorum memoriam, & Chriſtianæ pietatis documentum inſignes. Conſentaneum itaquè rei ſuſceptæ inſtituto futurum exiſtimaui, ſi quæ de fontis huiuſcè ſtructura cæremonijs, ac veneratione à priſcis rerum auctoribus traduntur paulò diligentiùs exequar.

Viri Sanctiſſimi noſtri maiores, cum ſatis intelligerent eam eſſe mentis humanæ infirmitatem, vt rebus Diuinis, atquè cœleſtibus inconniuentem obtutum, nec ſine ſumma difficultate defigere, nec ſemel defixum ſatis intento ſtudio continere

diu-

diutius poſſit; ne religio, cultusquè diuinus, cuius vis omnis ratione, intellectuquè continetur in cordibus fidelium exoleſceret, conſilio diuinitùs accepto, ad viſibiles rituum, ac Cæremoniarum rationes rectè, & ordine temperandas omnem curam, induſtriamquè poſuere, quò earum ope arcana quæquè noſtræ fidei myſteria idoneis imaginibus, argumentisquè deſignata non ſolùm animo, ac rationi magis perſpecta fierent; ſed ipſis quoque ſenſibus tractanda, ac verſanda propemodum præberentur. Hinc illæ in vtroquè teſtamento ſolemnitates, feſtæquè rerum geſtarum memoriæ: Hinc certæ precationum formulæ, exquiſiti canendi, pſallendiquè numeri, ac modi cæteræquè ſacrificandi, ac propitiandæ Diuinæ gratiæ rationes; &, quod caput omnium eſt, quodquè ad certam ſalutis teſſeram à Chriſto Domino accepimus, ſacroſancta Eccleſiæ Sacramenta, quorum ſaluberrimus vſus, vt eo magnificentiùs, & auguſtiùs ad animos miniſtrantium, ac ſumentium accederet, ſuos cuiquè peculiares ritus, apparatusquè, ac inſtrumenta, item precationes, & cantus, & numero, pleriſque autem proprios miniſtros, ac propria tempora, denique certa locorum, ac templorum ſpatia definiuere. Id quod ergà ſacratiſſimum Baptiſma religioſiſſimè vſurpatum à veteribus accepimus; exſtant, quin etiam pleriſque in Vrbibus peculiares templorum in hunc vſum deſtinatorum ſedes, quæ Baptiſteria appellantur, eaquè iuxta Matricem Eccleſiam poſita eſſe ſolent, quales hodiequè apud Rauennam, Florentiam, Bononiam, Piſas, alibique viſuntur. Quem ſanè morem ab Vrbe Roma ſuam originem duxiſſe probabile eſt; etenim propè Lateranenſem Eccleſiam Conſtantinus Auguſtus eo in loco, quem acceptæ à Silueſtro Pontifice per hoc ſaluberrimum lauacrum corporis, animæque ſalutis arbitrum, ac teſtem habuit, ædem ſumma magnificentia, ac ſplendore titulo Baptiſterij, rei geſtæ perpetuum monumentum futuram extruxit, doniſque ad omnem ſplendidiſſimæ Baſilicæ decorem, & elegantiam ampliſſimis exornauit. Nempè fontem ipſum, qui ex lapide Porphyretico argento puriſſimo trium millium & octo librarum interiùs exteriùsque, præſertim qua parte ſacri fontis vnda continebatur, aperiendum curauit. In eiuſdem fontis medio ſurgebat columna Porphyretica, eique Phyala aurea lib. quinquaginta erat impoſita in cuius inſerto lychno Amianti balſami

ducentæ libræ ardebant. In ſummo etiam labro eiuſdem fontis, Agnus aureus libr. triginta, aquam illuc corriuatam effundebat; eratque ad illius dexteram argentea Saluatoris Imago altitudinis pedum quinque, librarum centum, & decem ponderis; ad ſiniſtram verò ſimulacrum argenteum eiuſdem ferè molis, ac ponderis cernebatur S. Ioannis Baptiſtæ, inter manus chartam habentis cum epigraphe. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; ibiquè ſeptem cerui argentei ſinguli librarum octuaginta, elegantem veluti coronam eidem ſacro fonti faciebant. Dono inſuper obtulit Thymiamaterium aureum librarum decem, gemmis duabus, & quadraginta praſinis,& hiacynthinis refertum. Sed & columnas aliquot pulcherrimas ex lapide Porphyretico cum ſuis Epiſtilijs ad hoc ipſum Conſtantinus aduexerat. rerum dum opus differendo ab alijs ſe curis interpellari patitur, eius abſoluti gloriam interueniente morte, poſteris relinquere coactus eſt. Sixtus igitur Tertius columnis, quas diximus,octo æquali inuicem interuallo diſpoſitis ſacrum fontem circumdedit, totidemque illis epiſtilia, octo,pro numero columnarum,angulis inter ſe æqualibus in circuitum connexa ſuperpoſuit; circuitum epiſtiliorum Zophorus perpetuus comitatur, in eoquè verſiculi aliquot leguntur religiosè, atque eleganter originem Sacri Baptiſmatis, virtutemquè, & myſteria explicantes, quos hic ſubiicio,

Gens ſacranda polis hic ſemine naſcitur almo
Quam fœcundatis ſpiritus edit aquis,
Virgineo fœtu genitrix Eccleſia natos,
Quos ſpirante Deo concipit, amne parit.
Cælorum Regnum ſperate hoc fonte renati.
Non recipit felix vita ſemel genitos.
Fons hic eſt vita, & qui totum diluit Orbem,
Sumens de Chriſti vulnere principium.
Mergere peccator ſacro purgande fluento,
Quem veterem accipiet, proferet vnda nouum.
Inſons eſſe volens, iſto mundare lauacro,
Seu patrio premeris crimine, ſeu proprio.
Nulla renaſcentum eſt diſtantia, quos facit vnum,
Vnus fons, vnus ſpiritus, vna fides.

Nec

Nec numerus quemquam ſcelerum, nec forma ſuorum
Terreat, hoc natus flumine ſanctus erit.

Ante Sixtum Tertium Pontificem tamen hoc diſtichum ibi dumtaxat legebatur

Ad fontem vitæ hoc aditu properate lauandi,
Conſtantis fidei ianua Chriſtus erit.

His donis Hilarus Papa lucernam auream adiecit cum lucernulis minoribus decem, librarum quinque, & ceruos argenteos tres aquam effundentes, quorum ſinguli erant librarum triginta: Turrem argenteam cum Delphinulis (lucernarum genus eſt) librarum ſexaginta, & columbulam auream duarum librarum. Ad inſtruendas autem Baptiſterij lucernas liberaliſſimus Princeps eius extructor annuas libras Balſami ducentas addixerat. Leo etiam Tertius, vti perhibet Anaſtaſius, ſacrum eum fontem velis albis holoſericis per gyrum numero decem de fundato, & quadruplo (vt ipſe loquitur) exornatis decorauit. Item Ciborium argenteum dono dedit columnis quatuor conſtructum cælatura diuerſarum hiſtoriarum diſtinctum cum ſuis cancellulis, & columellis miræ pulchritudinis librarum mille ducentarum viginti ſeptem. Cæterum apud antiquitatis ſtudioſos nequaquam ambigitur hoc ædificium ſæpius Romanis à Pontificibus reparatum. Nullius autem operam ante Hadrianum hac in re verſatam reperio, cuius mentio extat apud antiquum ſcriptorem, traditurque ædificium vetuſtate iam fatiſcens reparaſſe, priſtinoquè decori, & magnificentiæ reſtituiſſe; etenim ipſe Romanus genere, atquè ingentis animi vir ornamenta Vrbis, quæ vetuſtate ſenſim exoleuerant, renouare, aggreſſus eſt. Hadrianus etiam Quartus Baptiſterij Nauim exæquauit Baſilicæ Saluatoris, muro à tribus eius lateribus excitato, vti Panuinus tradit, atquè adeo ex Aquæ Claudiæ aqueductu, quem pariter reſtaurauit, aquas in ipſum Baptiſterium corriuauit. Leo Decimus reſtituit tectum, quod etiam reparauit Paulus Tertius, eique plumbeas laminas Pius Quartus adiecit. Gregorius verò Tertius decimus laquearibus conſtructis, & porta verſus aream

Lateranenſem patefacta decorauit. Nouiſſimè Vrbanus Octauus in elegantiorem eam formam, quæ nunc extat reduxit.

De Baptiſterij Lateranenſis forma, & varijs eius ſtructuris.

CAPVT II.

OCTANGVLARIS Eſt huius Baptiſterij forma, eiuſque porta, per quam ex area Lateranenſe aditur, poſita ad Septentrionem eſt, conſtatquè Tiburtino marmore cum hac epigraphe in zoophoro. *Gregorius Decimus tertius Pontifex Maximus.* Ipſe enim portam eamdem aperuit, quemadmodum indicant inſignia eius ligneis poſtibus adiecta. Rudi opere lateritio extructa eſt pars anterior Baptiſterii, Supernè vero laminis plumbeis tegitur. Superioribus ſæculis Sacer hic fons adeuntibus per gradus quatuor ex area eius anteriore aſcendebatur; alii deinde tres in fontem ipſum deſcenſuros ducebant, poterantquè commodè ij ſepteni gradus totidem Sancti Spiritus chariſmata ſignificare, quæ in ſacri Baptimatis lauacro diuinitùs nobis conferuntur. Interior Baptiſterii pars ſingulari Vrbani Octaui munificentia ornata eſt, & picturis egregiis ad parietes in gyrum inſignita, quæ res geſtas Conſtantini Magni ad viuum exprimunt, Pictorum inſignium opera, nempè Andreæ Sacci, & Andreæ Camaſei. Quæ picturæ ſingulæ incruſtationibus è Pario marmore, & Paraſtatis plaſticè elaboratis diſtinguuntur, ambiunturquè. Paries huius Baptiſterii ſuperioribus ſæculis intus erat Porphyreticis, & albis marmoreis tabulis partim quadris, & partim oblongis artificioſè inciſis incruſtatus, cum interiectis varijs ex opere teſellato emblematibus, quæ omnia elegantiſſimè parietem vniuerſum tegebant, quæ tamen, quo tempore Panuinius de hoc Baptiſterio ſcripſit ampliùs haud extabant, niſi quod nonnullæ miri operis ex-

por-

Porphyretico, & Pario marmore tabulæ, veluti quædam antiqui eius ornamenti reliquiæ, quemadmodum ipſe teſtatur. Octo maiores columnæ ex Perphyretico lapide Conſtantini iuſſu aduectæ, vt dixi, fontis huius vniuerſam ſtructuram ſuſtentant, diſpoſitæquè à Sixto Tertio Pontifice traduntur iuxta Magni Cōſtantini, qui eas aduexerat, deſignationem; Capitelli earum quatuor ordinis Corinthij ſunt, reliqui quatuor Ionici, & Periſtilium, quod eis circumducitur marmoreum eſt, interiùs quidem nonnihil elegans illud quidem, exteriùs verò parum, in eoquè leguntur verſus, quos paulò ante deſcripſi, quorum initium eſt. *Gens ſacranda polis &c.* laquearia deinde, quæ inter columnas, & extremum parietem intercedunt, miro artificio elaborata, auroquè illuſa cernuntur, & vna cum vtriuſque Sancti Ioannis ſimulacris, Vrbani Octaui Pontificis gentilitia inſignia, aliaquè Barberinæ familiæ emblemata perferunt. Supernè autem feneſtræ plaſticæ, inauratæquè patent, & inter eas vario colorum lumine, & vmbra, numiſmata eiuſdem Vrbani Octaui exprimuntur, in quorum ſingulis ſtructuræ præcipuè ex opera publica eiuſdem Pontificis notantur: In medio Baptiſterij fons ipſe octo maior eis columnis includitur, & vndiquè in gyrum clauſtris, ſeù columnulis minoribus ſeptus eſt, in eum vero, vt dixi, gradibus tribus deſcenditur. & eſt lapidibus varijs, magniquè pretij intectus. Labrum autem ad vſum Baptiſmi eſt Lydio de lapide cum operculo ligneo inaurato affabre inciſo. Superſtat autem ſignum S. Syluestri luſtrali aqua Conſtantinum Principem abluentis. pauimentum ipſum interioris areæ circa fontem olim quidem more Campano prædura calce conſtratum erat, nunc varijs marmoribus ſectis ornatur, vti etiam ornatur pauimentum ſuperius, quod ſimiliter calce ſtratum antiquitus erat, augentquè non mediocriter vniuerſum ornatum apes opportunè confectæ, Gentilium videlicet Vrbani eius operis auctoris ſtemma. Super columnis quas diximus, ambituquè Periſtilii totidem aliæ columnulæ marmoreæ cum capitellis elegantiſſimis cernuntur, qui Baptiſterii, ſeu fontis tholum auro litum ſuſtentant, & in cuius apice ſpectatur Spiritus Sancti „ Symbolum cum hac epigraphe. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. tholus ipſe copioſo admodum lumine quod rotundæ feneſtræ auratæ octo immittunt, illuſtris eſt. Habet Baptiſterium

ſterium (præter ſacella duo ad dexteram, & ad læuam tum S. Ioannis Baptiſtæ, tum S. Ioannis Euangeliſtæ, de quibus ſuo loco dicam) portas duas, vnam è regione portæ illius per quam in eam eſt aditus ex area Lateranenſe, atquè hac itur in finitimum Oratorium Sanctarum Ruffinæ, & Secundæ, ſeù in Porticum S. Venantii; alterum verò ad latus proximum, per quam aditur idem Oratorium S. Venantii, & Sociorum, quòd olim S Stephani, nunc verò S. Mariæ ad fontes appellationem habet. Antiquitus quidem vnicum eius oſtium verſus Baſilicam Lateranenſem erat, ſed Onuphrii Panuinii tempore è regione antiquè oſtii portam aliam habuit, qua iter erat ad Oratorium S. Crucis ferens. Porrò in huius oſtii ſpatio, memorat ipſe olim altare Baptiſterii fuiſſe, eiusquè veſtigia ſupereſſe ex opere Muſiuo affirmat; arbitratur autem oſtio eo ſubmoto, portam illam eſſe patefactam ab Hilaro Pontifice, qui S. Crucis Oratorium extruxit. Cæterum veriſimile admodum eſt præter Hadrianum iam dictum, molitos eſſe huius Baptiſterii reparationem alios quoque Pontifices. Apud veteres tamen ſcriptores, quinam huic operi manus admouerint ſupra Auorum noſtrorum ætatem neminem reperio, nam Leo Decimus tholum reſtituit, vt indicabant eius inſignia; tectum verò ipſum, ac tholus cum eſſet antea concameratus, & ornatus opere Vermiculato, Paulus Tertius, cuius pariter inſignia extabant, laquearibus ex ligno ſecto artificiosè elaboratis, inauratisquè auxit, quæ poſteà Gregorius Decimus tertius, itemquè Paulus Quintus redegere in auguſtiorem formam, ac demum Vrbanus Octauus adhuc magnificentius exornauit.

De

De reditibus, ſeù annuis prouentibus Baptiſterij Lateranenſis.

CAPVT III.

CONSTANTINVS Magnus loci memor, in quo renatus fonte Sacri Bàptiſmatis nouus homo ſecundum Deum factus eſt, poſt abſolutam ſtructuram eius, tum ei, tum Baſilicæ Lateranenſi, quam pariter extruxerat S. Sylueſtri Pontificis admonitu, plures eosquè amplos reditus addixit peculiariter pro Baptiſterio ipſo: hi referuntur ab Anaſtaſio Bibliothecario quorum indicem verbis ipſius hic adiicio.

M ſſi F ſti Præpoſiti ſacri cubiculi præſtans ſolidos. 300

Maſſa Gabbi ex agro Gabinenſi præſtans ſolidos. 202

Maſſa Pretas ex agro ſupraſcripto præſtans ſolidos. 205

Maſſa ſtatibana, vel ſtatiliana ex agro Corano præſtans ſolidos. 200

Maſſa Taurina in Sicilia ex agro Paramp. . . . præſtans ſolidos. 500

Maſſa ſanina ex agro Carſeolano præſtans ſolidos. 200

Fundus Caſulas, ſeu Caſtulli ex agro Nomentano præſtans ſolidos. 50

Maſſa ſtatiana ex territorio Sabino præſtans ſolidos. 350

Maſſa Maurina ex agro Albano via Appia præſtans ſolidos. 300

Maſſa Virginis ex agro Corano, ſeu ſerano præſtans ſolidos. 200

Maſſæ Tranſmarinæ in Aphrica.

Maſſa vineis ex agro Micaria, ſeu Maucario præſtans ſolidos, 800

Maſſa Capſis ex agro Capitano præſtans ſolidos. 600

Maſſa Vacia ſardatta ex agro Monenſi præſtans ſolidos. 500

Maſſa Cameras ex agro Caralupi, ſeu Cicano præſtans ſolidos. 405

Maſſa

Maſſa Mimas, ſeu Numas ex agro Numidico præſtans ſolidos. 720

Maſſa Baldanoleano, ſeu Baldatio laiça ex eodem agro præſtans ſolidos. 820

Maſſa Sulphurata ex eodem agro præſtans ſolidos. 650

Maſſæ in Grecia.

Maſſa Cæphulina in agro Cretenſi præſtans ſolidos. 500

Maſſa Anacaſon, ſeu Amazon in Megabula, vel Mengaulo præſtans ſolidos. 222

Intra Romanam Vrbem domus vel Horti præſtans ſolidos. 200

Fundus Baſſi præſtans ſolidos. 120

Quæ quidem ſummæ conficiunt Solidorum decem millia ducentos triginta quatuor, noſtratis verò monetæ ex Panuinij calculo aureorum quindecim millia trecenta quinguaginta vnum. Horum omnium redituum nihil nunc ſupereſt, omniaquè bona ad Baptiſterium pertinentia, quæ adhuc ſedente Leone Nono Pontifice extabant, hæc erant. Fons ipſe; Oratoria quatuor, Sancti Ioannis Baptiſtæ, S.Crucis; Sancti Ioannis Euangeliſtæ, & Sancti Venantii; binæ inſuper Porticus, in quibus Oratoria duo erant Sanctarum Virginum Luciæ, & Barbaræ. Terra vbi erant columnæ marmoreæ; & Cryptæ nomine Lardaro; Palatium, quod appellabatur Baſilica Vulpia, Eccleſia Sanctarum Ruffinæ; & Secundæ, cui vineæ quamplures, & prædia erant annexa, atque adeo ipſe campus Lateranenſis iuxta ſuos fines, qui hoc pacto deſcribuntur. A primo latere Decuriæ, à Secundo latere muri ciuitatis, & Turris quæ dicitur Saracena; à tertio latere Palatium, quod Veſtiarium vocabatur; & recta per parietem vſque ad locum tendebat, cui nomen eſt Incaminata, & vbi res neceſſariæ erant, atque Hoſpitalia Epiſcopi, à quarto latere Baſilica Saluatoris. Ipſe autem Leo Pontifex in diplomate ſuo vniuerſa hæc, & alia inſuper bona, quemadmodum narrauimus in præcedenti ibro cum ſuis oblationibus omnibus confirmauit, & dono Capitulo, & Baſilicæ Lateranenſi addixit.

Quid Romanus Pontifex in Baptiſterio Lateranenſi olim agere conſueuerit.

CAP. IV.

VARIA Olim munia, varioſque ritus in hoc Sacro Lateranenſi fonte Romani Pontifices obibant, & præcipuè, vt ex vetuſto Codice rituali Eccleſiæ Romanæ habemus; Sabbato Sancto; tunc enim poſt lectiones duodecim in Baſilica Conſtantiniana Sancti Saluatoris tum latino, tum Græco idiomate recitas Pontifex cum ſacris indumentis, & pallio ad hunc fontem deſcendebat vna cum Cardinalibus Diaconis; Subdiaconis Regionarijs Litanias interim emodulantibus. Primicerius verò cum Schola Cantorum reſponſorium canebat, cuius initium eſt. *Sicut Ceruus*. Vbi ventum erat ad Porticum S. Venantij, de quo dicam paulò poſt, in præparato ibi Faldiſtorio Pontifex aſſidebat, Cardinales verò tum Epiſcopi, tum Presbyteri, qui in choro reſtiterant, prodeuntes per oſtiolum, quod erat poſt apſidem, & per Porticum Leonianam procedentes ad eum vocati accedebant, poſtquam ab Archidiacono adexteratores (duo illi videlicet, qui priorem Presbyterum medium accipiebant) miſſi eſſent, eumque Cardinales alij omnes inſequebantur. Tunc Prior Presbyterorum ſacris inſtructus veſtibus appropinquans Pontifici dicebat. *Iube Domne benedicere*, eique Pontifex benedictionem impertiebat; dein progreſſus paulum iterum, & rurſus tertiò id ambo repetebant, ac demum tertio Pontifex adijciebat hæc verba. *Ite, & baptizate omnes gentes*. Tunc ve-

rò Cardinales Presbyteri veſtibus ſacris amicti ad proprios titulos equitabant, & ibidem ſinguli eo die Baptiſmi myſterium celebrabant. Pontifex autem ſurgens ad Oratorium Sancti Ioannis Euangeliſtæ ſe conferebat, ibiquè aliquantulum morabatur. Dein ad fontem reuerſus ritu cum ſolemni ſacris oleis, & conſuetis alijs cæremonijs benedicebat, quibus peractis, in Oratorium S. Ioannis Euangeliſtæ remeabat, caſulam, & pallium exuens, indutusquè *bracalibus*, vti loquitur cerimoniale, *ceratis*, rurſus ad fontem ibat, tresque paruulos ſacra baptiſmatis vnda eluebat. Deinde minor Diaconorum Cardinalium, & Canonici Lateranenſes, qui & ipſi Cardinales Diaconi erant, infantes omnes, & quotquot aderant, aqua luſtrali Chriſtiano cultu initiabant. Ad hæc Pontifex tres item paruulos ſacro chriſmate confirmabat, & ablutis manibus, litanijsquè decantatis per Subdiaconos Regionarios, indè progrediebatur ad Oratorium Sancti Pancratij (quod nunc ſacrarium, vt diximus, eſt) cumquè ibi aliquantulum quieuiſſet, caſulam, & pallium rurſus induebat, dumquè interim Diaconi Cardinales inſtruebant, aram Lateranenſem maximam formabantquè, ad eam cum Cleri ſui agmine Litanias decantante more ſolemni ſacris operam daturus procedebat. Quià verò ob ingentem fidelium numerum ad ſacram baptiſmatis vndam confluentium Diaconi, quod ipſorum etiam munus id eſſet, ab Accolytis adiuuabantur, ne Sacramenti dignitas humilitate miniſtrantium vileſcere videretur, Bonifacii Quinti conſtitutione ſancitum eſt, ne impoſterum Clericis ordine Diaconatus inferioribus talia tractare fas eſſet. Diaconisquè deficientibus ſoli Subdiaconi vices ipſorum explerent. Die Sabbati Sancti Adriano Primo Pontifice Carolus Magnus, qui tunc Romæ aderat, religioſè admodum in Laterano, & præcipuè ad ſacrum fontem, Pontifici Sacramentum baptiſmi eo die conferenti interfuit. Præterea in antiquo rituali conſcripto Cœleſtini Secundi tempore habetur Curiam (ità appellabatnr Clerus Romanus, & Cappella Pontificia) in peruigiliis S. Ioannis Baptiſtæ ad hunc ſacrum fontem Veſpertinis horis vacare, ſequentisquè deindè noctis vigilias celebrare conſueuiſſe. Cœterum Romanus Pontifex, qui Paſchatis triduo Veſpertinis horis intererat, primis in Laterano celebratis, ſecun-

das

das in hoc baptiſterio, tertias in Oratorio S. Crucis perſolue bat. Prædicationis quoquè munere hoc in loco functos eſſe nonnunquam Summos Pontifices reperio, namquè in codice quo iam peruetuſto homiliarum à S. Gregorio ad Populum habitarum, legitur Sanctiſſimum illum Pontificem in die Natali SS. Euangeliſtarum ſermonem habuiſſe. Nec deeſt quotidianum hunc locum inuiſentibus, piequè venerantibus ſtipendium indulgentiæ per Summos Pontifices conceſſæ qui modo expiatam à contractis humana infirmitate criminibus conſcientiam huc accedentes attulerint.

De Porticu S. Venantij, ſeù de Oratorio Sanctorum Ruffinæ, & Secundæ.

CAPVT V.

VERSVS Baſilicam Conſtantinianam qua ex parte vnicus ab Eccleſia ad Baptiſterium patebat aditus, Porticus eſt quæ vti Panuinio placet ab æde proxima S. Venantij nomen accepit, ego vero ob rationes, quas inferiùs afferam appellatione potiùs Oratorii S. Ruffinæ, aliorumque Martyrum, quorum ibi habentur reliquiæ conſeri puto. Hæc Porticus fulcitur columnis duabus ingentibus ex lapide porphiretico cum capitulis ordinis corinthii, & duabus paraſtatis marmoreis cum epiſtilio pulcherrimo. Intercolumnia verſus pauimentum marmoreis tabulis ſepiuntur, & in dextero latere adeuntibus ab exteriori area occurrit exarata ibidem hæc inſcriptio.

In nomine Domini anno octauo Domini Henrici Imperatoris Indictione ſeptima menſis Iunij die quinta Nos qui de omnibus hominibus Manſionariorum Venerabilis Baſilicæ Saluatoris Domini Noſtri Ieſu Chriſti quæ appellatur Conſtantiniana maioribus gradibus, & minoribus videlicet.

Pro baſibus columnarum duo capitula ſatis elegentia operis Corinthii, ſed inuerſa ſunt adpoſita. Laquearia elaborata ex ligno ſunt, & gentilitia Gregorii Decimi Tertii inſignia, ac ipſius Baſilicæ Lateranenſis præferunt. Porticus ipſa in vtraquè parte extrema, hoc eſt ad Orientem, & Occidentem apſidulas habet duas hemicicli forma, quarum teſtudinem opere muſiuo ſatis eleganti olim exornatam, iniuria temporis vehementer atriuit. In

apſi-

apſide verſus Occidentem cernuntur expreſſi paſtores in armentorum cuſtodia cum auibus, & auiarijs, quæ ſatis peritè ſuis emblematis diſtinguuntur. Sub eadem apſide altare marmoreum eſt à pariete diſiunctum, & Seruatori Deo, & Sanctis Virginibus Ruffinæ, & Secundæ dicatum, vti declarat Icon parieti adpicta, opera non admodum eleganti elaboratum. Sub Altari conduntur earumdem Sanctarum Virginum corpora ab Anaſtaſio Quarto Pontifice ibi repoſita, qui cum eſſet Epiſcopus Cardinalis Sabinus, & Papæ Vicarius, ea in Cœmeterijs repererat, creatuſq. Pontifex anno MCLIII. hoc Altare conſecrauit. Altera verò ædicula verſus Orientem, habens apſidem floribus varij coloris, & opere muſiuo exornatam, cœtera prioris, quam modo deſcripſi, gemina habet Altare ab eodem Pontifice dicatum S. Andreæ Apoſtolo, & Sanctæ Luciæ Virgini Romanæ cum eorumdem reliquijs. Horum Altarium conſacratio facta eſt anniuerſario Sanctorum Martyrum Cypriani, & Iuſtinæ die ad ſextam Kalend. Octobris, qui cum eſſent Antiocheni, & ille quidem magus huius Virginis amore impotenter incenſus, cognouiſſetque nullis dæmonum præſtigijs expugnari eos, qui Chriſtum colerent poſſe, eiuratis impijs artibus Chriſtianam Religionem profeſſus, & Nicomediæ cum eadem Virgine Iuſtina egregia ob Chriſti fidem morte defunctus eſt; cum verò eorum corpora canibus, & feris obiecta ſex dies ab omni laniatus iniuria intacta manſiſent, Chriſtiani quidam Nautæ Romam petentes conſpicientes ſpirantemque in ijs Chriſtianæ virtutis conſtantiam venerati nauigio, quo vehebantur impoſita Vrbi intulere, & Ruffinæ primariæ inter Romanas fœminæ curanda tradidere, à qua mox tumulo in prædio ſuo ſecreto effoſſo compoſita ſunt, vbi varia morborum genera interuentu apud diuinam clementiam SS. Martyrum curata ſunt. Poſtea tempore Anaſtaſij Pontificis eædem reliquiæ ſub Altari SS. Virginum Ruffinæ, & Secundæ reperta ſunt, nulla earum translationis memoria extante, quoue ex Rom. Pontificibus auctore ex Ruffinæ fundo in Eccleſiam S. Ruffinæ migraſſe, ac debito fidelium cultui admota fuiſſe credenda ſint. Vtraque apſidum, quas memorauimus vna cum porticu tabulis olim marmoreis incruſtatæ, & variis emblematis diſtinctæ erant, quibus deinde ſublatis color marmorei operis inductus eſt deletis picturis, quippe quæ nul-

nulla artificij gratia comendabantur . Pars ea porticus , quæ baptiſterio adhæret , tota olim fuit ex opere texellato , lapillulis viridibus , rubeis , albis , & aureis eleganter diſtincta , figuraſque varias tum quadratas , tum oblongas effingens . Pauimentum ipſum olim è marmoreis tabulis , nunc opere lateritio ſtratum eſt . Porta per quam baptiſterium aditur , ſatis ampla eſt, conſtatquè ex marmore tiburtino , olim ad vtrumque latus ingentes columnas albas , ſed capitellis deſtitutas habuit . De auctore huius porticus nihil comperti proferre poſſum, niſi coniectari libeat ſanctum Hilarium fuiſſe , qui S. Stephano Oratorium , quod cenſetur idem cum Oratorio S. Venantij condidit, vel Ioannem Quartum, qui hoc idem S. Stephani olim , & poſtea S. Venantii Oratorium reſtaurauit , vt infra dicemus . Hic verò prætermittendum non eſt de Porticu iſta , ſiue Eccleſiæ mentionem apud Anaſtaſium in vita Stephani Papæ Quarti haberi , vbi poſt narratum Longobardorum ad Vrbem aduentum Chriſtophori Primicerii ductu, qui à Sede Petri inuaſorem eius Conſtantinum fratre eius Totone occiſo debilitatum detrudere propoſuerat , hæc habentur .

Paſſinus verò (erat alter Conſtantini frater) in Lateranenſe Patriarchium fugit annuntians ſuo germano Conſtantino quæ geſta fuerant . Hoc verò audito aufugit idem Conſtantinus cum ſupradicto Paſſino , & Theodoro Epiſcopo , & Vicedomino ſuo in Baſilicam Saluatoris , & deſcendentes ad fontem in Eccleſiam S. Venantij aliquantulum ibidem reſederunt , & conſiderantes melius &c.

Quid à Pontifice Romano in Porticu Sancti Venantij peragi conſueuerit.

CAPVT VI.

INTER Alios plurimos ritus obiri in hac Porticu à Romanis Pontificibus, iuxta antiqua ritualia, ſolitos memoria præcipua dignum eſt, quod Sabbato Sancto ante inchoatam Sacri fontis benedictionem faldiſtorium hic pro Pontifice parabatur, in quo aſſidens Cardinales Presbyteros benedicebat, cum illuc, vt dixi, euocatos in ſuos quamque titulos ad Sacramentum baptiſmatis adminiſtrandum dimittebat. Ipſo Paſchatis die, & ferijs conſequentibus Pontifex quotidiè Veſperas, vt dixi, celebrabat in Baſilica Lateranenſi, & Baptiſterio, & Oratorio S.Crucis; perſolutis autem Veſperis ad hanc Porticum cum Cardinalibus, & aliis Cleri ordinibus ſe conferebat, atquè ipſe quidem in faldiſtorio, Cardinales verò in ſubſelliis, ſeu ſcamnis diſpoſitis, minores verò Cleri ordines humi conſidebant. Hic verò Prior Diaconorum architiclinus, & alij Miniſtri primum Pontifici, deinde omnibus adſtantibus generoſum vinum propinabant, quod vulgo clarectum vocant, Interque bibendum Primicerius cum Schola Cantorum huiuſcemodi carmen Pontifici græco idiomate decantabat.

Πάσχα ἱερὸν ἡμῖν σήμερον ἀναδέδεικται, πάσχα καινὸν, ἅγιον, πάσχα μυστικὸν, πάσχα πανσεβάσμιον, πάσχα χριστὸς ὁ λυτρώτης, πάσχα ἄμωμον, πάσχα μέγα πάσχα τῶν πιστῶν, πάσχα τὸ πύλας ἡμῖν τοῦ παραδείσου ἀνοίξαν, πάσχα πάντας ἁγιάζον πιστούς. τὸν ῥώμης Πάππαν χριστὲ φύλαξον.

Quæ ſequentia vſquè in præſentem diem legitur in græcorum eucho-

euchologio illis exceptis verbis τὸν ῥώμης πάππαν χριστὲ φύλαξον latinè autem ità reddi poteſt.

Paſcha nobis Sacrum hodie oſtenſum eſt, Paſcha nouum, Sanctum, Paſcha miſticum, Paſcha maximè venerabile Paſcha Chriſtus Saluator, Paſcha immaculatum, Paſcha magnum, Paſcha fidelium, Paſcha quod ianuas Paradiſi Nobis aperis, Paſcha, quod omnes purificat fideles, Romæ Domnum Papam Chriſte conſerua.

Abſoluto carmine Cantores ad Pontificem accedebant, eiuſque deoſculabantur pedes, atquè ex ipſius Pontificis manu vinum accipiebant. Scire autem illud oportet, ſcholam Cantorum inſtar ſeminarii fuiſſe, in qua pueri nobiles, & ingenui, qui Clericali ordini ſe conſecrare ſtatuerant, iuſſu Pontificis educabantur, & cantu Eccleſiaſtico, ſacrisque aliis ritibus inſtituebantur. Iidem poſtea ad ordines ſacros promouebantur & ſi cui inſignior ad virtutem indoles erat Cardinalatus etiam honore decorabatur, nec rarò ad ſummi quoque Pontificatus apicem euadebat quemadmodum inferiùs dicetur.

De

De duobus Oratorijs Baptiſterij Lateranenſis, & primum de Oratorio S. Ioannis Baptiſtæ, eiuſquè Donarijs.

CAPVT VII.

GEMINA S. Ioannis Baptiſtæ, & Sancti Ioannis Euangeliſtæ Oratoria conditorem ſuum S. Hilarum Pontificem agnoſcunt, qui, vt alia huius Baptiſterij Oratoria, de quibus ſuo loco agetur, ità hæc potiſſimum duo fundaſſe dicitur, ornaſſequè, & donarijs peramplis locupletaſſe. Imprimis portas ex ære fabricandas, variiſquè cælaturis argenteis ingenioſè diſtinguendas curauit cum duabus inſcriptionibus à dextera quidem.

In Honorem S. Ioannis Baptiſtæ.

A læua.

Hilarus Epiſcopus Dei famulus offert.

Ex quibus portis æs quidem integrum eadem forma, qua erat antiquitus adhuc ſupereſt, argentum vero incolume eſſe paſſæ non ſunt innumeræ clades, quas poſt Hilari tempora ab hoſtium, ciuiumque iniurijs vrbs, & Eccleſia interim accepit. Confeſſionem argenteam librarum centum perfecit, atquè ante eam coronam argenteam librarum viginti, Pharunque, ſeù cantharum eiuſdem ponderis; & materiæ collocauit, adiecta cruce aurea, totumquè ædificium, vt Bibliothecarius ſcriptor huius liberalitatis ait, argento, lapidibuſquè pretioſis exornauit. Forma huius Oratorij eſt quadrata, & in ipſum introeuntibus

aditus patet ad dexteram baptiſterii, legiturquè ſupra ianuæ marmoreum epiſtilium hæc epigraphe.

Hilarus Epiſcopus Sanctæ Plebi Dei.

Quod epiſtilium duabus elegantibus columnulis porphireticis? fulcitur cum capitellis viridibus ex lapide ophite, quem ſerpentinum vocant. Oratorium ipſum exiguum eſt, eius autem concameratio elegantiſſimè interſecta cernitur opere munuo, variiſquè pauonum, & animantium aliarum emblematis nitet, Agnumque in vmbilico ſolemnem Chriſtianæ manſuetudinis effigiem habet. Altare muro adfixum eſt, geminiſque ſtriatis columnis pretioſiſſimis ex lapide ophite continetur, & in loculamento marmoreo incruſtaturæ elegantioris Sancti Ioannis Baptiſtæ ſimulacrum ſitum eſt. Habet verò ad dexteram pariter, & ad læuam duas apſidulas, & tota demum ædicula opere tectorio exornata nuper à Clemente Octauo eſt; olim enim incruſtatum marmoreis tabulis vniuerſum hoc Oratorium fuiſſe teſtatur Panuinius, & in eius, qui quatuor erant, angulis columnas tres ex alabaſtro fuiſſe, atque vnam ex marmore cum hac inſcriptione ſupra veſtibuli eius zophorum inciſam.

Domine dilexi decorem domus tuæ.

Leo Tertius huic Oratorio, vt ſcribit Anaſtaſius, dono dedit veſtes duas de ſtauracia cum chryſoclauo, & vela item duo. Nec minus theſauris ſpiritualibus hic locus etiam hodie diues eſt, quam antiquitus temporalibus fuit, quippe pie eum, ac religioſè inuiſentibus, ſi ritè præparatas ad cœleſtia dona conſcientias afferant, omnium peccatorum venia indulta eſt; quamuis interior Oratorii aditus virilis dumtaxat ſexus fidelibus patet, præclaræquè admodum in eo, atquè inſignes reliquiæ conditæ ſunt, quarum cenſus refertur in tabella ſuſpenſa ante eius veſtibulum, quam vti Ioannes Diaconus in ſua de rebus Lateranenſibus hiſtoria inſeruit, ità nos hoc loco pariter inſeremus; eſt vero huiuſmodi.

In Cappella Sancti Ioannis Baptiſtæ, quæ dicitur in fontibus ſub lapide ſuperiori ipſius altaris ſanctiſſimæ deſcriptorum hic nominatim ſanctorum reliquiæ reconditæ ſunt.

De

De Sancto Iacobo Apoſtolo.
De Sancto Matthæo Apoſtolo, & Euangeliſta.
De Sancto Thaddæo.
De Sancto Timothæo diſcipulo S. Pauli Apoſtoli.
De Sanctis Innocentibus.
De Sancto Stephano Prothomartyre.
De Sancto Zacharia Propheta Patre.
S. Ioannis Baptiſtæ.
De Sancto Simeone Propheta.
De Sancto Vincentio Martyre.
De Sancto Auguſtino Epiſcopo, & Eccleſiæ Doctore.
De Sancta Maria Magdalena.
De Sancta Martha eius ſorore.
De Sancto Benedicto Abbate.
De Sancto Antonio Abbate.
De Sancta Lucia Virgine.
De Sancta Margharita Virgine.
De Sanctis Ruffina, & Secunda Virginibus.
De Sancto Vitale Martyre.
De Sancto Blaſio Epiſcopo, & Martyre.
De Sanctis Quadraginta Martyribus.
De Sanctis Geruaſio, & Prothaſio Martyribus.
De Sancto Stephano Papa. & Martyre.
De Sancto Nicomede Presbytero & Martyre.
De Sanctis Nazario & Celſo Martyribus.
De Sancto Antonio Martyre.
De Sancto Vincentio Epiſcopo.
De Sanctis Protho, & Hiacintho.
De Sancta Victoria Virgine.
De Sancta Euphemia Virgine.
De Sancta Paterna & Matre eius.
De Sanctis Nereo & Achilleo Martyribus.
De Sancto Secundo Martyre.
De Sancta Sophia.
De Sancta Radegundes Virgine & Regina.
De Sanctis Perpetua, & Felicitate.

De Sancta Anatholia.
De Sancto Direnio, & Socijs & Dabundantio.
De Sanctis Theodoro, Alexandro, Euentio, atque Iuuenale Martyribus.
De lapide loci, vbi Chriſtus fuit Crucifixus.

Sciendum eſt præter ſupradictas reliquias ſub lapide inferiori non paucas alias Sanctorum incerti nominis reliquias reconditas ob diuerſa Vrbis incendia à Sanctis Patribus, qui ex dignitate magni Sanctuarij nonnihil futurum exiſtimauerunt ab Sacelli huius aditu mulieres, vt diximus, arcere. Scribit præterea Platina Ioannem Quartum Pontificem collocaſſe in hoc Oratorio corpora Sanctorum Vincentij, & Anaſtaſii.

De Oratorio Sanĉti Ioannis Euangeliſtæ.

CAPVT VIII.

SANCTVS Hilarus Pontifex ædificauit pariter, dicauitquè S. Ioanni Euangeliſtæ Oratorium è Regione alterius, quod proximè deſcripſimus, S. Ioannis Baptiſtæ Oratorii, ad læuam videlicet Baptiſterii; cum enim ante Pontificatum à Sanĉto Leone Primo ad Concilium Epheſinum legatus Sedis Apoſtolicæ vna cum Renato Presbytero ipſe Diaconus miſſus eſſet, cumque ad Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum epiſtolam Paſtoralem Encyclicam, in qua Eutiches, & Neſtorius damnabantur attuliſſent, nonnulliſquè impiis & perniciosis decretis ſubſcribere abnuiſſet, in magnum ſe vitæ diſcrimen coniecit, cuius metu ſollicitus Ioannis Euangeliſtæ Epheſinæ Ciuitatis Patroni ſubſidium religioſiſſimè implorauit, eoquè munitus clàm defugiens Romam incolumis euaſit, vti Sanĉtus Leo in Epiſtola ſua ad Theodoſium, & Pulcheriam Auguſtos teſtatur. Hæc autem geſta cum eſſent anno quinti à nato Saluatore ſæculi quadrageſimo nono, ipſe duodecim poſt annos memor accepti beneficii hoc Oratorium conſtruxit, & bene de ſe merito Chriſti, quem diximus, Apoſtolo, & Euangeliſtæ marmoreis incruſtationibus eleganter ornatum dicauit, figura eius dimidiæ crucis ſimilis eſt. Teſtudo miri operis ex lapillulis elegantiſſimis ſtructuræ muſiuæ, floreis ſertis pulcherrimis diſtinĉta, in quorum medio Agni venerabilis ſpecies in intuentium oculos incurrit. Sacellum in quatuor arcus extruitur, & hoc à ſe reparatum Cle-

Cle-

mens Octauus variis, & ſelectis marmoribus conueſtiuit, vti hæc inſcriptio declarat, quæ legitur ſuper interiore Oratorii porta.

Clemens Octauus Pontifex Maximus Oratorium à Sancto Hilaro in honorem Sancti Ioannis Baptiſtæ ante annos mille, & centum extructa vetuſtate reformata, ad conſeruanda religioſæ antiquitatis monumenta reſtituit, atquè ornauit anno 1597. Pontificatus Quinto.

Altare Oratorii huius muro adhæreſcit, & duabus columnis ex alabaſtrite exornatur, quarum baſes, & capitella ænea ſunt miro artificio elaborata, & ſpectatur medio loco ſtatua Sancti Ioannis Euangeliſtæ opera fuſili perfecta elegantiſſimè. Portam habet marmoream, in cuius epiſtilio, quod duabus columnis è lapide perphiretico, ſicut Oratorii alterius ianua fulcitur, hæc verba inciſa ſunt.

Liberatori ſuo Ioanni Euangeliſtæ Hilarus Epiſcopus famulus Chriſti.

Poſtes Ianuæ, quibus Oratorium clauditur, æneæ ſunt; aliæ tamen ab illis, quæ ab Hilaro Pontifice Oratorii huius conditore conſtructæ ſunt, quæ nempè ſitæ olim erant ſuper gradibus ſcalæ veteris Palatij Lateranenſis, vti explicabitur libro proximè conſequenti, hanc verò præferunt inſcriptionem.

Anno Quinto Pontificatus Cæleſtini Papæ Tertij Cencio Cardinali Sanctæ Luciæ eiuſdem D. Papæ Camerario iubente opus iſtud factum eſt.

Hoc item Oratorium ab eodem Sancto Pontifice donariis multis locupletatum eſt, inter quæ præcipua fuerunt confeſſio argentea centum librarum, & crux aurea. Sed & Leo Tertius vti perhibet Anaſtaſius Bibliothecarius, donauit eidem Oratorio veſtes duas de ſtauraci cum chryſoclauo, & vela item duo. Ex huius Oratorij angulo ad læuam porta eſt, per quam aditus patet oblongus quidem, ſed anguſtus ad Oratorium Sancti Venantii, ſeu Deiparæ Virginis ad fontes, quod aliud eſſe arbitror ab Oratorio Sancti Ioannis Euangeliſtæ, ità nuncupatum ab Onuphrio, & ab eo deſcriptum forma quadrata cum tecti faſtigio concamerato, & teſſellis verſicoloribus expicto, atque à quatuor columellis marmoreis octangulis cum capitulis ionicis

ſuf

ſuffulto , in quo tres erant apſidulæ opere tectorio dealbato conſtructæ cum totidem Altaribus , & marmoreis tabulis , picturiſquè non admodum elegantibus . Hoc nunc Oratorium vnam tantum apſidulam præfert cum ſua concameratione , & parietes eius ſimplici cultu dealbati ſunt abſquè vllo ornamento , vt mihi omnino perſuadeam Sancto Stephano potiùs , quàm Diuo Ioanni Euangeliſtæ hoc Oratorium fuiſſe ab Hilaro conſecratum , quamquam vt infra explicabo , Oratorium Sancti Stephani idem cum Oratorio S. Venantii fuit .

De Oratorio Sanctæ Crucis.

CAP. IX.

VERSVS Occaſum à latere Baptiſterii olim erat Oratorium Sanctæ Crucis pariter ab Hilaro Pontifice conſtructum, & ad quod per eiuſdem Sacri fontis ianuam iter erat. Hoc Oratorium extabat adhuc tempore Xixti V habebatque ante areolam paruam porticum circumuallatam, quæ ſeptem columnis, & tribus paraſtatis fulciebatur. Portæ verò periſtilium ſuſtentabatur duabus columnis ex alabaſtro ſtriatis, & in Zephoro hoc erat inſcriptio.

Introibo Domine in domum tuam, & adorabo ad templum Sanctum tuum in honore tuo.

Ianuæ erant æneæ argento interſtinctæ, & ipſa ædicula formam Crucis referens ſtructura quadrata adeò elegantis, ſcitique erat artificii, vt non deſint auctores grauiſſimi, qui Vaticanæ Baſilicæ delineationem à Michaele Angelo ex hoc Oratorio depromptam tradant. Quatuor apſides forma angulari in eo erant, in quarum vna oſtium, in tribus reliquis totidem Altaria viſebantur. Inter apſides verò erant quatuor Oratoriola, quorum inſtar ſunt paraſtatæ illæ ingentes, quæ tholum Vaticanæ Baſilicæ ſuſtentant, picturiſque, atque opere tectorio inſtructæ erant. Altaria ſingula erant lapidia ſuper antiquis baſibus, & tectum concameratum opere muſiuo aureo elegantiſſimo expictum erat, viſebanturquè ad angulos Angeli quatuor, qui Crucem ingentem ſuſtinebant. Super apſides paulò infrà teſtudinem feneſtræ quatuor peramplæ ſe ſe aperiebant, & in earum interſtitiis ex opere muſiuo SS.Apoſtolorum Petri, & Pauli, Sancti Ioannis Euangeliſtæ, S.Ioannis Baptiſtæ, SS.Martyrum Laurentii,

rii,

tii, & Stephani, & SS.Iacobi & Philippi Imagines extabant. Apſides omnes intra Zophorum opere tectorio albo exornaban-tur, & inſititia cruſtis marmoreis intecta quatuor ſigna Sanctiſſimæ Crucis opere vermiculato repræſentabant. Idem Sanctus Hilarus Pontifex hoc pariter Oratorium mirificè ornauit, vti Anaſtaſius Bibliothecarius teſtatur, nam in eo confeſſionem extruxit, in qua lignum S.Crucis intra crucem auream gemmatam librarum viginti poſuit. Eiuſdem confeſſionis ianuas confecit ex argento librarum quatuordecim, ſuffultum columnis duabus onichinis, atquè ibi Agnum aureum duarum librarum collocauit. Pro luminibus autem ante eamdem confeſſionem poſuit coronam, & pharum cum delphinulis librarum quinque, & lampades aureas quatuor librarum duarum. Ante illud Nimpheum, ac triporticum extruxit, qua de re ſic Anaſtaſius.

Nimphæum, & Triporticum ante Oratorium Sanctæ Crucis, vbi ſunt columnæ miræ magnitudinis, quæ dicuntur hecatompeta, lacus & concas caſtriatas duas, cum columnis porphireticis rigiatis foratis aquam fundentes, & in medio lacum prophireticum, cum concha aſſirta in medio aquam fundentem circumdatum à dextris, vel ſiniſtris, in medio cancellis areis, & columnis cum faſtigijs, & epiſtilijs vndiquè ornatum ex muſiuo, & columnis Aquitanicis, & tripolitis, & porphireticis. Nunc verò ſtructuræ huius tam eximiæ ne veſtigium quidem ſupereſt, adeo nihil imperuium tempori; nihil vetuſtati non penetrabile. nihil, quod non obnoxium longæ ætatis edacitati non ſit. In hoc Oratorio Ioannes Diaconus Lateranenſis tradit, Beatum Gregorium Pontificem dictante Angelo conſcripſiſſe Antiphonarium, vt propterea de eo meminiſſe hoc loco venerationis cauſa debuerim; quamuis alii Scriptores hoc decus tribuant Lateranenſi Patriarchio, quemadmodum dicemus libro proximè conſequenti.

De Oratorio S. Stephani in Baptiſterio Lateranenſi.

CAPVT X.

IVXTA Lateranenſem fontem extructum à Beato Hilaro Pontifice aliud Sancti Stephani Oratorium affirmat Anaſtaſius; huius locum Panuinius certò deſignare ſe poſſe negat; ſuſpicari tamen ait ibi ſitum fuiſſe, vbi nunc eſt oblonga illa ambulatio, quæ Oratorium Sancti Ioannis Euangeliſtæ, & Baptiſterium interiacet. Mihi vero (& ſi coniectura poſt innouatam à Panuinii tempore loci faciem multo difficilior eſt) ſimilius verò videtur pro veſtigiis huius Oratorii ædem Sancti Venantii aſſignare, quaſi ex collocatione, quæ in ea facta eſt, relliquiarum eius martyris, vt mox dicemus, nouum titulum, exoleſcente veteri Sancti Stephani nomine, habere incæperit. Quod autem ab Anaſtaſio in Ioanne Quarto de Conſtitutione Oratorii, ab eo Pontifice facta, innui videtur, idcirco fortaſſe dicitur, quod vel collapſum Ioannes reſtituerit, vel ità exornauerit, vt conditoris laudem meritus videri poſſit, indè autem vt hæc affirmem adducor, quod in vetuſto codice varias Sanctorum res geſtas continente legiſſe me memini, corpora Sanctorum Venantii, & Sociorum Martyrum in Eccleſia Sancti Stephani, fonti Lateranenſi, ac Sancto Ioann. Euangeliſtæ proxima, à Ioanne Quarto fuiſſe recondita; Vndè ſatis euidenter argui poteſt olim hoc Oratorium vtramque & Sancti Stephani, & Sancti Venantii appellationem tuliſſe; amiſiſſe autem primam, quomodo nunc, ob frequentius Sanctæ Mariæ ad fontes vocabulum, vt poſtea dicemus, hanc etiam ſecundam penè amiſit. Idem Anaſtaſius meminit etiam in vita Leonis Tertii Monaſterii Sancti Stephani, quod (vti ipſe loquitur) *ponitur iuxta Lateranas*, & donum eidem Monaſterio factum

à Pon-

à Pontifice narrat, caniſtri argentei ſcilicet ponderis librarum duarum, & vnciarum ſeptem, qua propter & Monaſterium propè Oratorium conſtructum fuiſſe, ex Anaſtaſio colligere poſſumus.

De Oratorio S. Gregorij propè fontem Lateranenſem.

CAPVT XI.

EXTITISSE Præterea iuxta eundem fontem aliud Sancti Gregorii Oratorium, auctor eſt Ioannes Diaconus, qui ad æuum vſque ſuum aſſeruatum eiuſdem S. Pontificis lectulum iuxta illius aram tradit. Vixit autem Ioannes Diaconus Alexandro Tertio Pontifice, cui ſua comentaria dicauit, nonnullaquè de Lateranenſi Eccleſia memoriæ prodidit. Porrò huius Oratorii aliquot veſtigia extare affirmauit Panuinius propè ſacellum Sanctæ Crucis in vinea, quæ tunc erat Marii Fregepani, cuius in funere vniuerſam illam vetuſtatis, & claritudinis haud pœnitendæ familiam Populus Romanus præteritis hiſce annis elatam vidit.

De Oratorio ſiuè Eccleſia Sancti Venantij, cui etiam Deiparæ Virginis ad Fontes nomen indicitur.

CAPVT XII.

IOANNES Quartus Dalmatiam patriam ſuam duplici memorandæ pietatis ſignificatione poſt adeptum Romanæ Eccleſiæ Pontificatum eſt proſequutus; cum enim à ſclauis barbaris adhuc, & infidelibus populis per ea maxime tempora miſerabiliter præmeretur, euerſamque Salonam, Epidaurum, & reliquas penè omnes eius tractus ciuitates, ac gentem penè vniuerſam vel trucidatam, vel ſeruitute indigna oppreſſam lugeret, ablegatis idoneis in eas regiones hominibus, quam maximum popularium ſuorum numerum libertate, præſenti pecunia à Barbaris redemptum, donauit (in quod opus theſauris ab Iſacio Exarcho in Laterano relictis vſum fuiſſe perhibent) Sanctorumque reliquias, ne Chriſtianæ religionis hoſtibus ludibrio eſſe poſſent, plurimas iiſdem è terris exportandas, Romamquè adducendas curauit; fuerunt autem S. Venantii, Domnionis, Anaſtaſii, Mauri, Aſterii, Sulpiciani, Theli, Antiocheni, Pauliani; inquè Oratorio, de quo nunc agimus ab eodem ſunt condita, quod, vt diximus, Sancti Stephani olim vocatum veriſimile eſt, ſuadente id, vt ſupra dixi, vetuſtiſſimo codice manuſcripto, quod in Archiuio Lateranenſi aſſeruatur, cuius verba ad hanc ſententiam facientia hæc ferme ſunt..

Ioannes Quartus natione Dalmata corpora SS. Venantij, & Sociorum recondidit in Eccleſia Sancti Stephani iuxta fontem Lateranenſem

ſem iuxta Oratorium S. Ioannis Euangeliſtæ, quod ornauit, & d-uerſa bona obtulit.

Inter quæ dona præcipuè arcus duo ex argento miræ magni-tudinis ponderis librarum triginta, argenteaquè vaſa multa nō minus ſtructuræ, quam materiæ elegantia eximia. Habemus autem apud ſæpè memoratum Bibliothecarium huius Oratorij mentionem in vita S. Stephani Tertij Papæ, qui narrat Con-ſtantinum Pſeudopontificem cum Paſino, & Theodoro Epiſco-pis Longobardis aufugientem, cum in Oratorio S. Venantij ad fontes deſcendiſſent, aliquantulum ibidem reſediſſe. Sed & Leo III. eodem Anaſtaſio auctore veſtes duas de fundato, & vela item duo donaſſe traditur. Huius Eccleſiæ ſtructura formæ pe-nè quadratæ eſt, & ſita conſpicitur inter aream interiore Ba-ſilicæ Lateranenſis, Oratorium S. Ioannis Euangeliſtæ, & Bapti-ſterium ipſum Lateranenſe; eiusquè portarum, vna poſita eſt eſt ad Baptiſterium inter portam Oratorij Sanctorum Ruffinæ, & Secundæ, ſeu S. Andreæ, & ædiculam S. Ioannis Euangeli-ſtæ, altera ad meridiem, qua ad atrium, ſeu aream Baſilicæ interiorem iter eſt; habet præterea è regione Oſtiolum, quod ad ſacrarium eiuſdem Oratorij ducit; Antiquitus fuiſſe totum apertum, & per intercolumnia in porticus formam conſtru-ctum, teſtatur Panuinius; nàm ad Orientem ſupereſſe quinque arcuum veſtigia, duorum vero, ad Occidentem aduertit; nunc vndiquè clauditur. Parietes à tribus lateribus vetuſtiſſimis, & non inelegantibus picturis ornabantur, quarum tantummodo supereſt Deiparæ Virginis Imago, de qua mox dicam. Parietes abſquè ornamento conſpiciuntur, vnica excepta apſidula, ſiuè calcidica, quæ antiquitus tabulis marmoreis vſquè ad Zopho-rum incruſtabatur; ſupra Zophorum verò vſquè ad tectum ni-tet opere muſiuo, ſicuti etiam calcidicæ tota concameratio ni-tet; in curuitate verò huius apſidulæ Imagines Beatiſſimæ Vir-ginis, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Ioannis Baptiſtæ vi-ſuntur, adiectis etiam SS. Venantij, & Domnionis Martyrum Iconibus cum pallio, & planetis ceruleis, qui ſine mitra libros in manibus tenent, eodemque habitu Ioannes Quartus Cappellæ conditor exprimitur, eiusque item ſucceſſor Theodorus, qui fortè inchoatum opus à Ioanne perfecit, quippè Ioannis ima-go Eccleſiam, Theodori verò librum præ manibus habere

fin-

fingitur, ſupernè, & ab vtroque amborum latere Saluatoris effigie imminente; ad murum verò hinc indè e muſiuo effigies Sanctorum Martyrum, quorum corpora hic requieſcunt coronas præ manibus geſtantium; ſuperius verò in interuallis quatuor feneſtrarum animalia quatuor totidem Euangeliſtarum ſymbola, item Hieruſalem, & Bethleem ciuitatum apparent, in apſidis Zophoro è muſiuo hi verſus leguntur inſculpti.

Martyribus Chriſti Domini pia vota Ioannes.
Reddidit antiſtes, ſacrificante Deo.
At ſacri fontis ſimili fulgente metallo
Prouidus inſtanter hoc copulauit opus.
Quo quiſquis gradiens, & Chriſtum pronus adorans,
Offuſaſque preces impetrat illa ſuas.

In apſidis medio cernitur ara gradibus quatuor eleuata, cui ſuper impoſitum eſt ciborium marmoreum fultum quatuor nobilibus columnis item marmoreis opere accuratiſſimo in ſpiram ſtriatis, cum capitellis ornatiſſimis, & ſub hoc Altari proximè enumerata S. Venantii, & Sociorum corpora requieſcunt. Pauimentum olim erat totum lapideum, nunc opere lateritio ſtratum eſt. Introeuntibus verò per baptiſterium ad læuam Deiparæ Virginis Imago occurrit, ex antiquis picturis diuina virtute adhuc ſuperſtes, quam tempore Gregorii decimitertii anno 1572. miraculis illuſtratam confluentes vndiquè populi voti compotes pretioſis donis, imaginibus, ac multa ſacra veſte decorarunt, ibiquè religioſa fidelium pietas altare elegantiſſimis marmoribus, & columnis pretioſis ornatum erexit, vndè cappellæ præter antiquum Sancti Venantii, nouum quoquè Sanctæ Mariæ ad fontes vocabulum factum eſt, quibus duobus promiſcue nunc à fidelibus honorari conſueuit. Proximum eſt, vt dixi, ſacellum, in quo ſacra ſupellex eiuſdem altaris aſſeruatur iuſſu Lateranenſium Canonicorum, qui ſacra etiam ibidem facere præcipuis quibuſquë B. Virginis ſolemnitatibus conſueuere, quod munus cæteris anni diebus à certis Clericis, & Cappellanis, ab iiſdem Canonicis impoſitis, obiri mos eſt. Inter portam ſacrarii, atque Altare Deiparæ Virginis tabula marmorea, ſiue tumulus inſpicitur cuiuſdam Raualdi, cuius hic inſcriptionem in antiquitatis eius

eius gratiam inſerere duxi, poſthabita alia Aſdrubalis Capranicæ paucis ab hinc annis defuncti, & ſepulturæ ante eiuſdem Deiparæ Virginis altare traditi. Elogium Raualdi hoc eſt:

Hic tumulatus adeſt Raualdus nomine quondam,
Robanius dictus, qui è clara Placentia geſſit;
Qui Vir lætus erat, prudens, multumque benigus,
Gregorij Noni cuſtos ſecretus, & actor.
Ille ſuæ vitæ numerum prædixit eidem,
Huic fuit Octobonus genitus, qui iure refulxit;
Qui cumulis ſtatuit hoc illius oſſa reponi,
Hic cum migrauit, mundique reliquit habenas,
Mille ducenteni fuerant, ſeptemque deceni,
Ideò ſex anni menſis dum Martius iret
Impius intrante ſeptena luce per Orbem.

Reperi in Eccleſiæ monumentis in ſacello S. Ioannis Euangeliſtæ Superioribus ſæculis extitiſſe altare Immaculatæ Conceptioni Beatæ Mariæ Virginis dicatum, quod variis circum ad pietatem compoſitis ſententiis in Deiparæ honorem decorabatur, atque ad ſuperiorem partem altaris ſic erat inſcriptum.

Gyrum cæli circuiui ſola, & in profundum abyſſi penetraui, & in omni populo, & in omni gente primatum tenui.

A latere dextro.

Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus.

Ad ſiniſtrum latus.

Chriſtum eius filium adoremus Dominum.

Inferius verò.

Hæc eſt Virgo, in qua nec nodus, nec cortex venialis culpæ fuit.

Quæ omnia antiquis carachteribus expreſſa fuiſſe teſtatur manuſcriptus Codex, & forſan ab vſque Hilari ſanctiſſimi Pontificis tempore exarata.

De Monaſterio Honorij Papæ iuxta Lateranum.

CAPVT XIII.

MONASTERII Huius fundator, vt ex Anaſtaſio Panuinius refert, fuit Honorius huius nominis Primus, qui in domo ſua iuxta Lateranum Monaſterium in honorem Dei, & SS. Apoſtolorum Andreæ, & Bartholomæi, quod Honorij appellatum eſt, condidiſſe traditur, eique patrimonii ſui prædia, & multa prætæreà bona conceſſiſſe. Poſt verò centum quadraginta ampliùs annos apud Anaſtaſium huius Monaſterii mentionem habemus in vita Adriani Pontificis huius nominis Primi, propterea quod penè à fundamentis id reſtituerit. Anaſtaſius hæc habet.

Hic autem ter Beatiſſimus, & Apoſtolicus vir, dum diligentiſſima exquiſitione ſua reperiſſet Monaſterium Honorij Papæ in nimiam deſolationem per quandam negligentiam venire, diuina inſpiratione motus nouiter ædificauit, atquè dicauit, & Abbatem cum cæteris Monachis regulariter ibidem vitam degentibus diligenter ordinauit, & conſtituit eos, vt in Baſilica Saluatoris, quæ & Conſtantiniana dicta eſt, & iuxtà Lateranenſe Patriarchium poſita, officia celebrarent, hoc eſt Matutinum horam Primam, Tertiam, Sextam, ſed & Nonam, & Veſpertinam ab vno Choro quidem, qui dudum ſingulariter in vtroquè pſallebant Monachi ex Monaſterio Sancti Pancratij ibidem poſito, & ab altero Choro Monachi iam fati Monaſterij Sanctorum Andreæ & Bartholomæi, Honorij Papæ, quatenus pijs laudibus pariter pſallenter hymniferis choris læti reſonent cantus reddentes Domino glorioſos melos &c.

Cæterum præfatum Monaſterium Honorii Papæ fuiſſe dicitur, vbi nunc Hoſpitale, ſiuè Noſocomium Lateranenſe videmus,

& Ec-

& Eccleſiam, ſeu Oratorium eiuſdem Noſocomii Diuo Andreæ dicatum, prout antiquitùs eidem Apoſtolo, & Sancto Bartholomæo Honorii Monaſterium dicatum erat, vt ex eodem Anaſtaſio liquet in vita Leonis Tertii, dum ait eum Pontificem Monaſterio SS. Andreæ, & Bartholomæi, quod appellatur Honorii, Caniſtrum ex argento ponderis librarum trium dono dediſſe.

De Bibliotheca Lateranenſi.

CAPVT XIV.

QVAE Ad Bibliothecam Lateranenſem, eiuſque Hiſtoriam attinent ità ſunt eleganter, & copioſè tradita à Panuinio, vt nullam vltra cuiuſquam induſtriam ad memoriæ commendationem, poſterorumque notitiam deſiderent. Libet itaquè pauca quædam, & potiora ea de re Scriptoris huiuſce monumenta totidem verbis hic attexere, ne vel eadem recudendo inani opera meque, & lectorem fruſtrari, aut ommittendo parum inſtituti operis continuationi, integritatiquè conſulere videar. Vnum tamen non tam ſuperaddere Panuinio, quam in ipſo ſermonis eius contextu notare, atque animaduertere libet, penes Anaſtaſium (cuius ille auctoritatem magna ex parte hac in materia ſequutus eſt) Archiuii, & Bibliothecæ appellationem promiſcua ſignificatione vſurpari, adeoque Bibliothecarium, Archiuiſtam, imo etiam Cancellarium, atque, vt hodie loquimur, Vicecancellarium eiuſdem prorſus rei cenſeri vocabula, eaque omnia eidem prorſus perſonæ antiquitus conueniſſe, ante nimirum, quam amplificata in ſæcularibus Romani Pontificis ditione, creſcentibusque ea de cauſa negotiis, ob maiorem eorum expediendorum facilitatem idem officium in multos veluti ramos diſtractum eſt, ſingulisque eorum propria cuique nomina commodioris intelligentiæ gratia indita ſunt, vt qui ſcripturarum cuſtodiam curarent Archiuiſtæ, qui librorum bibliothecarii; qui

autem hæc eadem non tam confecta aſſeruandi, quam noua condendi curam haberent, Cancellarii, & Vicecancellarii dicerentur, ſed iam diſertiſſimum Panuinium audire non pigeat.

Bibliothecarum vſus etiam apud Gentiles vetuſtiſſimus fuit. In ſcriptis verò Apoſtolorum quamquam earum aperta mentio non ſit, dubium tamen eſſe uon debet, cum Iudæi librorum ſacrorum diligentes cuſtodes fuerint, & in Acc.XV & XVIII. Synagogis per ſingula Sabbata legerint Meyſen; eos iam Chriſtianos factos, etiam operam in ſcribendis, & conſeruandis libris propheticis, Euangeliſtarum, & Apoſtolorum nauaſſe, nam Eccleſiam Corinthiorum propheticos libros legiſſe docet Paulus, quatuor Euangeliſtarum libros, epiſtolas Pauli, Petri, Iacobi, Ioannis, & Iudæ, item acta Apoſtolorum, & Apocalypſis Ioannis, cum in Eccleſiis legi ſolita fuerint, facilè exiſtimare poſſumus eoſdem libros in Bibliothecis ſeruatos fuiſſe. Nam Paulum librorum fuiſſe ſtudioſiſſimum, vel ex eo liquet, quod Timothæum iubet ſecum Romam apportare libros, maximè autem membranas. Bartholomæum Indis Euangelium prædicaſſe, ibiquè Euangelium Matthæi hæbraicè ſcriptum reliquiſſe, Euſebius narrat lib.V.cap.X.hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Quamobrem cum iam indè ab initio naſcentis Eccleſiæ ipſa librorum accurata cuſtos fuerit, non eſt dubium, ſuas præcipuis Eccleſijs Bibliothecas fuiſſe, curam verò earum præcipuè Epiſcopis, Presbyteriſquè commiſſam facilè ſuſpicari poſſumus, cum eorum maximè interfuerit ſacros euoluere, & cuſtodire libros. Eos porrò fuiſſe, accuratos in diſcretione librorum autentichorum, & apochryphorum, & in Bibliothecis præcipuè Bibliorum libros eſſe reſeruatos ſatis ex Euſebio conſtat. Nec tamen eos tantum, ſed etiam Doctorum, vt Ignatij, Martialis, Clementis, Romani, Iuſtini, Egeſippi, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cipriani, & aliorum opera in Bibliothecis repoſita, & cuſtodita inde apparet, quod multi ex his ad noſtra vſquè ſæcula peruenerunt. Veteres, & doctos ſtudioſos librorum fuiſſe inquiſitores exemplum Pantæni Rectoris Scholæ Alexandrinæ, item Origenis docere poteſt. Qui repertum (teſte Hieronymo) in India Euangelium Matthæi Hæbraicum manu Bartholomæi exaratum, ex quo Chriſtum Bartholomæus predicaſſe dicitur ſecum Alexandriam reportauit, & Melito libros canonicos veteris teſtamenti ex Oriente attulit, vt tradit Euſebius. Porrò autem cum Bibliothecarum inſtructio, & cura multos ſumptus requireret, qui faciendi eſſent in librorum conquiſitores,

tores, deſcriptores, & ſimiles, veriſimile eſt, ſumptus illos partim diuitum fidelium liberalitate, partim ex communi Eccleſiæ ærario factos fuiſſe. Inſtitutæ autem fuere Bibliothecæ propter conſeruationem Bibliorum, & propagationem doctrinæ ad poſteros, & ad conſeruandam memoriam Doctorum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, & veram Eccleſiæ hiſtoriam. Epiſcoporum verò, & Presbyterorum munus fuiſſe Bibliothecas condere, & libros diligenter conſeruare, exemplo eſſe poteſt Alexander celeberrimus Hieroſolymorum Epiſcopus, & Pamphilus Presbyter Cæſarienſis, & Martyr. Quorum ille Hieroſolymis nobilem Bibliothecam, quemadmodum Euſebius refert, conſtruxit, in qua libros ſcriptorum Eccleſiaſticorum repoſuit Berilli, Hyppoliti, Cai, & aliorum, quibus ſe adiutum, & inſtructum in ſcribenda hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebius teſtatur. Hic verò magno ſtudio, & induſtria (eodem Euſebio teſte) Bibliothecam inſtituit, & tum Origenis, tum aliorum Eccleſiaſticorum ſcriptorum libris exornauit. Et Euſebius lib. 8. cap. 2. Eccleſias libros ſacros in Oratorijs habuiſſe oſtendit, qui Oratorijs exciſis in Diocletiani perſequutione ad abolendam prorſus omnem Chriſtianorum memoriam in foro exuſti ſunt. Epiſcopos quoquè aluiſſe Notarios, librarios, & puellas ad ſcribendum exercitatas, qui libros deſcriberent, apparet ex hiſtoria Ambroſii, & Origenis. Romæ quoquè vbi fons pietatis erat, Bibliothecas fuiſſe ex eo apparet, quod Sanctus Clemens Papa, qui primus poſt Petrum Romanus Epiſcopus fuit, & multas epiſtolas ſcripſit, quæ ad poſteros tranſmiſſæ ſunt, & in Romana Eccleſia conſeruatæ, & ſeptem Notarios inſtituit, qui ex Eccleſiæ prouentibus nutriti res geſtas Martyrum diligenter, & ſollicitè perquiſitas deſcriberent ſinguli in ſuis regionibus, in quas ipſos deſtinauit. Anterus quoquè Papa res geſtas Martyrum diligenter à Notarijs deſcriptas requiſiuit, & in Eccleſia recondidit. Fabianus, qui Antero ſucceſſit, ſeptem Subdiaconos inſtituit, qui ſeptem Notarijs imminerent, vt Martyrum res geſtas in integrum colligerent. Ex actionibus etiam Synodi Romanæ ſub S. Silueſtro Papa celebratæ apparet, Romanam Eccleſiam Notarios ipſos aluiſſe, qui res geſtas Martyrum diuerſorum conſcriberent. Iulius Papa, qui Marco Sylueſtri ſucceſſori ſucceſſit, conſtituit, vt cuncta, quæ ad Chriſti fidem conſeruandam, propagandamque pertinerent, per Notarios S. R. Eccleſiæ, colligerentur, vt ea omnia monumenta à Primice-

rio Notariorum approbata, in Eccleſia reconderentur. Instituit etiam, vt in Eccleſiæ ſcrinijs (Bibliothecam haud dubiè intelligit) reponerentur cautiones, inſtrumenta, donationes, commutationes, traditiones, teſtimonia, allegationes, & manumiſſiones Clericorum in Eccleſia.

Conſtantini porrò excellens, & indefeſſum prædicatur ſtudium in colligendis, deſcribendiſquè ſacris libris, cui negotio imperiales theſauros expendit, vt lib. 3. de eius vita tradit Euſebius, quos perſequutionum tempore gentiles exuſſerant. Athanaſius quoquè in narratione de perſequutione Arrianorum in Eccleſia Alexandrina Bibliothecas in Eccleſiis Chriſtianorum, libroſquè magna cura conſeruatos fuiſſe docet. In eo enim Arrianorum impietatem accuſat, quod libros Eccleſiæ ereptos combuſſiſſent. Meminit Bibliothecarum in Eccleſiis Hieronymus ad Pammachium: Vbi Eccleſiarum, inquit, bibliothecis fruere, & in Apologia aduerſus Rufinum Bibliothecæ Ceſarienſis meminit. Romæ porrò, quod legerim, primus apertè Bibliothecas duas iuxta fontem Laterani ædificauit Hilarus Papa, in quibus Eccleſiæ Romanæ ſcripta, vt Epiſtolas decretales Romanorum Pontificum, conciliorum actiones, hæreticorum palinodias, & hæreſes, & ſanctorum Patrum libros conſeruaret, publico Chriſtianorum omnium vſui, cum libri eo tempore ob paucitatem, & librorum pretium pauci admodum inuenirentur. Hæc Bibliothecæ Archiuia Eccleſiæ vocata ſunt. Quarè Bibliothecarius in vita Cæleſtini Papæ. Hic, inquit, fecit conſtitutum de omni Eccleſia, maximè de regionibus, quod hodiè in Archiuio Eccleſiæ tenetur reconditum; & in vita Leonis Papæ multas Epiſtolas ſcripſit Papa Leo, quæ hodiè in Archiuio Eccleſiæ tenentur. In Gelaſio verò Papa apertè Bibliothecæ ſic meminit. Gelaſius libros aduerſus Eutychen, & Neſtorium edidit, qui hodie in Bibliothecæ Ecleſiæ Archiuio reconditi tenentur. Et in vita Bonifacij Papæ II. Bonifacius Papa Chirographum damnationis Dioſcori Archiuio Eccleſiæ recluſit. Et Diuus Gregorius Papa in prologo xl. homiliarum ſuarum ad Secundinum Epiſcopum Taurimitanum refert XL. homilias ſuas in ſcrinio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ detineri. Anaſtaſius etiam in vita Papæ Martini. Sinodus (inquit) Lateranenſis à Martino Papa contra Cyrum Alexandrinum, Pyrrhum, Sergium, & Paulum Conſtantinopolitanos Patriarchas Monothelitas celebrata, hodiè Archiuio

Ec-

Eccleſiæ continetur, & in Leone II. Hic, inquit, fecit conſtitutum, quod in Archiuio Eccleſiæ continetur, vt qui ordinatus fuerit Archiepiſcopus nulla conſuetudine pro vſu pallij, aut diuerſis officijs Eccleſiaſticis quicquam perſoluere debeat. Et in Ioanne VI. Ioannes Papa facto Concilio Sacerdotem Nouellum Epiſcopum, qui ab Archiepiſcopo Rauennate ordinatus fuerat ſub ditione Sedis Apoſtolicæ reintegrauit, & confirmauit, Cuius rei Chirographum in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Archiuio retinetur. Et in vita Stephani II. Pipinus Rex Francorum victo Aiſtulpho Rege Longobardorum eidem multas Ciuitates, quas vi occupauerat, abſtulit, quas Beato Petro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Romanis Pontificiqus donauit, ſcriptiſquè ſuam donationem fecit, quæ hactenus in Archiuio Sanctæ noſtræ Eccleſiæ recondita tenetur.

Porrò autem præter duas Bibliothecas ab Hilaro Papa iuxta fontem Lateranenſem conſtructas, alia erat, & fortè omnium maior in Patriarchio Lateranenſi. Cuius Bibliothecarius in vita Gregorij II. mentionem fecit. Qui eundem Pontificem refert à parua ætate in Patriarchio Lateranſi nutritum fuiſſe, ac à Papa Sergio Subdiaconum, & Sacellarium creatum, Bibliothecæ quoquè Lateranenſis curam ſuſcepiſſe, poſtmodumquè Diaconum factum fuiſſe refert. Hæc Lateranenſis Bibliotheca eo loci permanſit optimis voluminibus referta annis plus minus M. donec Romani Pontifices Laterani permanſerunt. Demum cum Clemens V. in Gallijs Romanam Sedem ſtatuiſſet Auenioni Bibliotheca Pontificis in Palatio Apoſtolico annis plus minus CXX. fuit, libris à Lateranenſi Patriarchio eo iuſſu Pontificum ex Vrbe tranſlatis. Poſtremò ſublato ſchiſmate per Martini V. creationem, magna librorum Pontificiæ Bibliothecæ pars ex Auenione Romam tranſuecta nequaquam amplius Laterani, ſed in Palatio Vaticano, vbi Romanus Pontifex Sedem fixerat, recondita ſunt. Ibi diù vſque ad Xiſti Quarti Pontificatum haud digno in loco permanſere. Ipſe enim toto terrarum Orbe celebrem Bibliothecam illam Vaticanam condidit, de qua cum de Baſilica Sancti Petri verba faciam, fuſius diſputabo.

De

De Bibliothecarijs Apoſtolicæ Sedis.

CAPVT XV.

BIBLIOTHECARII, vt ſupra iam dictum eſt, librorum, & ſcripturarum cuſtodes, & curatores erant, iidem etiam Scriniarii, & Protoſcriniarii audiebant. Anaſtaſius eius Officii ſub hac appellatione mētionem habet in vita Iulii Papæ Primi, ex quo Panuinius ea, quæ ſupra hac de re tradidit deprompſit. Ipſa auctoris verba apponere hic libet.

Hic conſtitutum fecit, vt nullus Clericus cauſam quamlibet in publico ageret, niſi in Eccleſiæ notitia, quæ omnibus pro fide Eccleſiæ eſt per Notarios colligentur, & omnia monumenta in Eccleſiam per Primicerium Notariorum confecta celebrarentur, ſiue cauſationem, vel inſtrumenta, aut donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut teſtamenta, vel allegationes, aut manumiſſiones Clerici in Eccleſia per Scriniarium Sanctæ Sedis celebraretur.

Scriniarii dicebantur ii, qui ſecreta in ſcrinia referebant, ideſt Scriniorum Cuſtodes, Scrinium verò à ſecernendo dicitur locus, in quo pretioſora quæque, reponi mos eſt, præcipue ſcripturas, idemque eſſe puto, quod Archiuium, & Bibliothecam, quæ duo vocabula eiuſdem eſſe ſignificationis ſupra docuimus, faciuntquè ad hunc locum ea, quæ apud Anaſtaſium habentur in Zacharia, ſunt autem huiuſmodi.

Fecit autem à fundamentis ante Scrinium Lateranenſe porticum, atque turrem, vbi, & portas æneas, atque cancellos inſtituit.

Credibile eſt quò tutius aſſeruarentur ſcripturæ turre, æneiſquè cancellis locum ab eo Pontifice munitum. Cura verò Protoſcriniarii erat Archiuium cuſtodire, & notariis regionariis præeſſe, qui vbicumque electio ſummi Pontificis fieret vna cum

Pro-

Protoſcriniario, electo nomen dare ſolebant. Anaſtaſius in vita Gregorii ſecundi eum ante Pontificatum Bibliothecæ Lateranenſis præfecturam geſſiſſe ſcribit, cumque vir eruditione, & doctrina eſſet eximius, Conſtantinopolim ad Imperatorem Iuſtinianum ſecundum cum Conſtantino Pontifice profectum, & ab eodem Pontifice difficillimis Gregorio propoſitis queſtionibus peritiſſimè omnibus reſpondiſſe. Nec verò incongruum videbatur, vt is potiſſimum Pontificij Scrinij curam adminiſtraret, ſecretorumquè eſſet arbiter, & Scribarum Princeps, penes quem Bibliotheca (quæ quidem per ea tempora ab Archiuio, & Cancellaria, vt nunc appellamus non differebat) cuſtodia reſideret. Bibliothecarij igitur Lateranenſis peculiare munus erat, ea omnia, quæ ad libros ſcripturaſque pertinent adminiſtrare, volumina ſcilicet, ac membranas, aliaquè eius generis cuſtodire, eiuſquè opera, & induſtria,ſi quid ſcripto in Eccleſia opus eſſet, vbiquè verſabatur. Bullas, ſiue Diplomata,Epiſtolas, & Decretales Pontificum ſcribebat, & vbi res poſcebat, acta Conciliorum dictabat, & synodalia conſcribebat, & conſeruabat, ea denique omnia faciebat,quæ Cancellarii ſequutis poſtea temporibus facere conſueuerunt. Leontius Scriniarius acta Concilii in Laterano celebrati contra Conſtantinum Pſeudopontificem (Stephano Quarto ſedente) in Baſilica Sancti Petri ambone aſcenſo alta voce Populo legit. Carolus quoque Francorum Rex, qui poſtea Imperator fuit, Magnuſque dictus eſt, Adriano Primo Pontifice voluit exemplar donationis ab ipſo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ factæ, per manus eiuſdem Eccleſiæ Scriniarii deſcriptum penes ſe habere. Præfuerunt autem muneri Bibliothecarii in Eccleſia Romana viri, ſanctitate, doctrina, & exiſtimatione præſtantes modo Cancellarii ab officio, & Protoſcriniarij, modo Bibliothecarii vocati, quorum vſque ad Xiſti Quarti tempora ſeriem non erit ab hoc loco alienatum ſubiicere.

Biblio-

Bibliothecarij Apoſtolicæ Sedis, quorum in antiquis monumentis mentio extat.

CAPVT XVI.

HIERONYMVS Euſebij Stridone ortus prouinciæ Illyrici ciuitate, quem Romanum presbyterum, ac titulo Sancti Laurentii in Damaſo, hoc eſt cardinalatu, inſignem fuiſſe memorant, vetuſtiſſimus omnium eſt inter eos, quos extat memoria Bibliothecæ Apoſtolicæ curam geſſiſſe. Hic nimirum eſt ille Hieronymus inter Heroas Chriſtianos eloquentiſſimus, cuius eruditioni, ſanctitatique maximam ſuæ claritatis partem vniuerſa debet Eccleſia, à cuius egregia ſapientia doctiſſimis edita Scriptorum voluminibus ingens bibliothecis omnibus, adeoquè rei litterariæ decus, & ornamentum acceſſit, huius autem muneris ab ſe obiti idem ipſe teſtis eſt in epiſtola ad Ageruchiam.

450. A Damaſo Pontifice vſque ad Leonem Primum, qui bibliothecæ Præfecturam geſſerit inuenio neminem; ſub Leone Sanctus Proſper Aquitanus Gallus, qui & Rhetor, & Poeta celebris, atque Regienſis Eccleſiæ epiſcopatu inſignis fuit, vti Marcellinus in ſuo Chronico teſtatur anno 450. Bibliothecæ præficitur, ſucceſſoremque vel coadiutorem Aurelium Candidum Rauennatem habuit, qui eiuſdem Leonis ſcriba, vti teſtatur in ſua Hiſtoria Hieronymus Rubeus, comesq. in memorabili illo ad Mincium amnem itinere fuit, quo Regis Attilæ, Hunnorumquè impetus ab Vrbis, atque Italiæ vaſtitate ſubmotus eſt.

570. Sub Ioanne Tertio Pontifice anno Domini DLXX. habemus ex priuilegiis Baſilicæ Sanctorum duodecim Apoſtolo-

rum

rum de Vrbe Petrum Epiſcopum . . . . . Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Cancellarium.

580 Sub Pelagio ſecundo anno DLXXX.ſummæ, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius legitur Laurentius Presbyter Cardinalis tituli Sancti . . . . . in priuilegijs Monaſterij Sanctæ Mariæ in Organo Veronæ.

595 Gregorio Pontifice Ioannem Leuitam S.R.E.Bibliothecarium fuiſſe legimus apud Hieronymum Rubeum in Hiſtoria Rauennate, vti per litteras Mariniano eiuſdem Ciuitatis Archiepiſcopo datas nono Kal.Aprilis anno DLXXXV.

600. Petrus Romanus Diaconus ſub eodem Gregorio Sanctiſſimo Pontifice Cardinalis ſummæ, & Apoſtolicæ Sedis habetur anno Domini DC ex eiuſdem Regiſtro Monaſterii Sanctæ Mariæ in Organo Veronæ.

700 Gregorius Marcelli filius Romanus Diaconus Cardinalis ſummæ, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius ſub Sergio Primo Ioanne VI.& VII.Syſinio, & Conſtantino Romanis Pontificibus anno Domini DCC.poſtea creatus Pontifex Gregorius Secundus nomine ex Anaſtaſio Bibliothecario,

743 Zaccharia Pontifice anno Domini DCCXLIII.in priuilegiis Monaſterii Caſſinenſis Bibliothecarius legitur Benedictus Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Siluæ Candidæ aliàs S.Ruffinæ.

817 Ex ijſdem priuilegiis Theodorus Nomenclator S.R.E. Bibliothecarii vices gerebat ſub Stephano IV.alias V.& Paſchale Pontificibus anno Domini DCCCXVII,

820 Sergius Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius fuit ſub Paſchale Papa anno DCCCXX. ex Annonio de rebus geſtis Francorum lib.4.cap.110.

850 Megiſtus Monacus, & Abbas Monaſterii Sanctorum Andreæ, & Gregorii ad cliuum Scauri de Vrbe Epiſcopus Oſtienſis ſanctæ, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius ſub Leone Quarto Papa anno Domini DCCCL. ex Ioanne Diacono in vita Sancti Gregorii Papæ lib.4.

860 Sub Nicolao Papa ex priuilegijs Caſſinatibus pro Bibliothecario habemus Gualbertum Epiſcopum Portuenſem Anno DCCCLX.

864 Tiberius Primicerius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Biblio-

thecarius ſub Nicolao Primo anno DCCCLXIIII. ex Alberto Cranzio lib. 1. cap. 39.

865 Nicolao Primo, Adriano Secundo, & Ioanne Octauo Pontificibus anno DCCCLXV. ex hiſtoria ſua Anaſtaſius Romanus Monachus, & Abbas Monaſterij Sanctæ . . . . . Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius fuit.

870 Chriſtophorus Primicerius Notariorum pro Bibliothecario fortè abſente ſub Adriano II. munus geſſit anno Domini DCCCLXX.

872 Sub eodem Pontifice per litteras Firminiano Petro Leoni, ac Ioanni, eorumquè fratribus datas Indictione tertia, anno tertio Pontificatus eiuſdem Pontificis ſcilicet anno DCCCLXXII. ſubſcribitur Petrus Diaconus ex Archiuio Eccleſiæ Rauennatis.

900 Benedicto Quarto Pontifice Apoſtolicæ Sedis protoſcriniarius fuit Ioannes Romanus ex Guillelmo Bibliothecario Anno DCCCC. Ad hæc tempora eumdem Guillelmum Bibliothecarij munus geſſiſſe ex eodem habemus.

905 Theophilactus Cancellarius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ſub Sergio III. Papa anno DCCCCV. Bibliothecarii munus geſſit ex priuilegio Eccleſiæ Portuenſis.

Sub eodem Sergio Pontifice Sanctæ Romanæ Eccleſiæ protoſcriniarius fuit Melchiſedech, quod colligitur ex priuilegiis eiuſdem Eccleſiæ Portuenſis.

917 Petrus Cancellarius Lateranenſis Palatij fuit ſub Ioanne Decimo Papa anno Domini DCCCCXVII. ex Bullis Eccleſiæ Piſanæ.

929 Stephano VII. Pontifice anno Domini DCCCCXXIX. Stephanus Primicerius S. R. E. pro Bibliothecario munus geſſit.

945 Stephanus Primicerius Defenſorum S. R. E. pro Bibliothecario fuit Martino Secundo ſedente anno Domini DCCCCXXXXV.

963 Leo Romanus Ioannis filius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Protoſcriniarius Ioanne Duodecimo regnante, poſtea Leo Octauus creatus anno Domini DCCCCLXIII. ex eiuſdem vita.

964 Leoni Octauo ſucceſſit in hoc munere Azzo anno

DCCCCLXIV.

DCCCCLXIV. quod munus etiam geſſit ſub Ioanne Decimo tertio ; ex Reginone in Cronico.

967 Ex Bullis Eccleſiarum Bononienſis, & Salernitanæ anno Domini DCCCCLXVII. ſub eodem Pontifice Ioanne Bibliothecarius Apoſtolicæ Sedis fuit Guido Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Siluæ Candidæ, aliàs Sanctæ Ruffinæ.

Cui ſucceſſor fuit in hoc munere Bibliothecarii eodem Ioanne Decimotertio Sedente Andreas Epiſcopus . . . ex Regiſtro Innocentii Papæ Quarti.

978 Ex Bulla incluſa Regiſtro eiuſdem Innocentii Anno DCCCCLXXVIII. ſub Benedicto Septimo habemus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarium Ioannem Epiſcopum Salernitanum.

Sub eodem Benedicto Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius fuit Stephanus Epiſcopus . . . . anno Domini DCCCCLXXXII. ex diplomate tradito per Antonium Maſſam Galleſium Onuphrio Panuinio.

992 Ioannes Epiſcopus Nepeſinus ſanctæ Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius fuit ſub Ioanne Decimoquinto Papa anno Domini DCCCCLXXXXII. ex Bullis Eccleſiæ Portuenſis.

994 Gregorius Epiſcopus Portuenſis ſub eodem Pontifice ſanctæ Sedis Apoſtolicę Bibliothecarius fuit anno DCCCCXCIV. ex Bullis Eccleſiæ Salernitanæ.

996 Sub eodem Ioanne ſanctæ Sedis Apoſtolicæ protoſcriniarius fuit Leo, vbi libri inſtrumentorum S. Gregorii de Vrbe teſtantur anno Domini DCCCCXCVI.

997 Gregorio Quinto ſedente Bibliothecarius S. R. E. fuit Ioannes Epiſcopus Albanenſis ex Bullis Eccleſiæ Portuenſis, ſunt enim datæ Indictione x. anno ſecundo eius Pontificatus, noſtræ ſalutis verò DCCCCLXXXXVII.

Anno MXI. ſub Sergio IV. Pontifice habemus ex Bullis Eccleſiæ Salernitanæ Bibliothecarii munus geſſiſſe Gregorium ex Presbytero Epiſcopum.

1012 Sub eodem Sergio Apoſtolicæ Sedis Biblioihecarius fuit Petrus Epiſcopus Præneſtinus anno MXII.

1013 Cui ſucceſſor fuit ſub Benedicto Octauo anno ſalutis MXIII. Benedictus Epiſcopus Eccleſiæ Siluæ Candidæ aliàs ſanctæ Ruffinæ ex Bullis Eccleſiæ Salernitanæ.

1016 Benedicto ſucceſſit, ſiue iterum Bibliothecarius creatus fuit ſub eodem Benedicto Petrus Epiſcopus Præneſtinus anno Domini MXVI. ex Bullis Monaſterii Farfenſis.

1018 Boſo Epiſcopus ſub eodem Benedicto Bibliothecarius fuit anno Domini MXVIII. ex Bullis Eccleſiæ Sanctæ Ruffinæ.

1024 Anno Domini MXXIV. ſedente Ioanne Decimonono ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarius fuit Dado Epiſcopus . . . . . . ex Bullis Monaſterii Sanctæ Mariæ in Organo Veronæ.

Ex eiſdem priuilegiis ſub eodem anno, itidemquè Pontifice ſummæ, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Cancellarius legitur Petrus S. R. E. Diaconus.

Vice Petri Diaconi fortè abſentis eodem anno ex ijſdem priuilegiis legitur Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Vicecancellarius Ioannes S. R. E. Cardinalis.

1027. 1029 Boſo Epiſcopus Tiburtinus Sanctæ Apoſtolicæ edis Bibliothecarius legitur ſub eodem Pontifice. Ex Bullis Eccleſiæ Portuenſis anno Domini MXXVII. & MXXIX.

1030 Eodem Pontifice ſedente Peregrinus Colonienſis Archiepiſcopus Bibliothecarii munus geſſit anno MXXX. ex iiſdem Bullis.

1030 Vice Peregrini Colonienſis Archiepiſcopi Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius fuit ſub eodem Ioanne Papa Benedictus Epiſcopus Portuenſis anno Domini MXXX.

1035 Sicuti etiam ſub Benedicto Papa nono anno Domini MXXXV. ex Bullis Eccleſiarum Portuenſis, & Salernitanæ.

1038 Petrus Epiſcopus S. Eccleſiæ Siluæ Candidæ Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarii munus geſſit ſub eodem Benedicto Anno Domini MXXXVIII. Ex Bullis Eccleſiæ Sanctæ Ruffinæ. Quo Apoſtolicæ Sedis Bibliothecario Benedictus Pontifex ſanxit, vt Epiſcopus Siluæ Candidæ in perpetuum eſſet S.R.E. Bibliothecarius, quæ tamen Sanctio non fuit ſeruata.

1045 Petrus Diaconus Cardinalis primus fuit, qui Bibliothecarij, & Cancellarii munus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis geſſit ſub Gregorio VI. Clemente Secundo, Damaſo Secundo, & Leone nono ab Anno MXLV. vſque ad annum ML ex priuilegiis Eccleſiarum Portuenſis, Salernitanæ, Senenſis, & Florentinæ.

1051.

1051 Leone Nono, & Victore Secundo ſedentibus primus omnium, qui Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Archicancellarium ſe ſubſcripſerit, fuit Hermanus Colonienſis Archiepiſcopus, vti colligitur ex priuilegiis Baſilicæ Vaticanæ anno Domini MLI.

1051 Fridericus Lotharingius Gozzellonis Lotharingii Ducis filius Gallus S.R.E. Archidiaconus Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius, & Cancellarius Vice Hermani Archiepiſcopi, & Archicancellarii factus ſub iiſdem Pontificibus Leone Nono, & Victore Secundo, ex libro ſecundo hiſtoriæ Caſſinatis, & priuilegiis Eccleſiarum Salernitanæ, Florentinæ, Senenſis, & Piſanæ, & ex Bullis Vaticanæ Baſilicæ MLI. Qui poſtea Stephanus nonus fuit creatus Pontifex anno Domini MLVII.

1055 Ex Bullis Eccleſiæ Bononienſis pro Bibliothecario, & Cancellario ſub Victore Secundo anno Domini MLV ſubſcribit Hildebrandus Soanenſis Tuſcus S.R.E. Subdiaconus Cardinalis.

1056 Sub eodem Victore anno MLVI. ex Bullis Eccleſiæ Portuenſis Probibliothecarius, & Cancellarius legitur Aribo S.R.E. Diaconus Cardinalis.

1057 Vbertus Tullenſis Gallus antea Monachus Epiſcopus Cardinalis Sanctæ Eccleſiæ Siluæ Candidæ ſummæ, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius fuit ſub Victore Secundo, Stephano Nono, Nicolao, & Alexandro ſecundis anno MLVII. vſque ad annum MLXII. ex libro ſecundo cap. XCVII. hiſtoriæ Caſſinatis, & priuilegiis Eccleſiarum Florentinæ, & Piſanæ.

1060 Maynardus Capuanus Monacus Caſſinas Vice Vberti Sanctæ Eccleſiæ Siluæ Candidæ Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarii munus geſſit ſub Nicolao Secundo anno MLX. poſt Vberti obitum, & in regimine Epiſcopatus, eidem ſucceſſit ſub Alexandro ſecundo ab anno MLXIII. vſque ad annum MLXVI. ex priuilegiis Eccleſiarum Piſanæ & Florentinæ.

Petrus Præpoſitus Sancti Georgii in Patriarchio Lateranenſi pro bibliothecario ſub Alexandro ſecundo; idem mortuo Maynardo Epiſcopo Siluæ candidæ, & Bibliothecario S.R.E. Subdiaconus, primùm, dein Diaconus, poſtea Cardinalis Apoſtolicæ Sedis bibliothecarius ab eodem Alexandro creatus fuit, hocquè munus geſsit reliquo eius Pontificatus tempore, ex bulla ad Boemos, quæ eſt in Ioannis Auentini hiſtoria, item ex priuilegiis Eccleſiarum Bononienſis, & Florentinæ.

Aribo

Aribo Primiſcrinius S.R.E.pro Bibliothecario anno ſeptimo Alexandri Secundi Papæ ex priuilegiis Monaſterii Sancti Benedicti de Mantua.

Petrus Clericus ſub Alexandro Secundo Vice Petri S.R.E.Subdiaconi, ac Bibliothecarii officio iſto functus eſt ſub eodem Alexandro. Qui Petrus primùm Diaconus Cardinalis poſtea Presbyter tituli Sancti Griſogoni, poſtremò Bibliothecarius S.R.E.fuit, ex priuilegiis Eccleſiæ Florentinæ, & regiſtro Gregorii Septimi Papæ.

Guillelmus Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius fuit Gregorio Septimo Pontifice, ex eius hiſtoria.

1090 Seruidus ſacri Palatii Subdiaconus pro Bibliothecario ſub Clemente Tertio Antipapa, Anno MXC.ex priuilegio Eccleſiæ Antibarenſis.

1099 Ioannes Caietanus Monachus Caſſinas ex Subdiacono S.R.E.Diaconus Cardinalis S.Mariæ in Coſmedin, & Præſignator Vrbani Papæ ſecundi, ſub Paſchale verò ſecundo Sedis Apoſtolicæ bibliothecarius fuit anno MXCIX. vſque ad annum MCXVIII.ex bullis Eccleſiæ Ranennatis.

1118 Criſogonus Malcondinus Piſanus agens Vice Ioannis Cancellarii ſub Paſchale ſecundo Papa Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano Bibliothecarius.

1121 Caliſto ſecundo Pontifice anno MCXXI. bibliothecarius fuit Griſogonus S.R.E. Diaconus Cardinalis ex priuilegiis Eccleſiæ Rauennatis. Qui hoc etiam munus geſſerat ſub Gelaſio ſecundo, ex iiſdem Bullis.

1123 Vgo S.R.E.ſubdiaconus Bibliothecarii vices geſſit anno MCXXIII.

1141 Haimericus Burgundus Gallus Canonicus Regularis Diaconus Cardinalis S.Mariæ nouæ S.R.E.Cancellarius ſub Caliſto Honorio, & Innocentio ſecundis ab anno MCXXIII. ad annum MCXXXXI.

1141 Haimerico è viuis ſublato pro Cancellario fuit Baro Cappellanus & Papæ ſcriptor, cui ſufficitur Gerardus Caccianimicus Vrſi filius Bononienſis Canonicus Lateranenſis Baſilicæ Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem bibliothecarius ſub Innocentio, & Cœleſtino ſecundis. Idemque poſtea creatus Pontifex anno MCXXXXIV. Lucius II. appellatus.

1144.

1144 Lucius ſecundus in bibliothecarii munere ſibi ſucceſſorem adlegit Robertum Pullinum Anglum S.R.E. Presbyterum Cardinalem, qui etiam Cancellarius fuit ſub eodem Lucio, & Eugenio tertio ab anno Domini MCXLIV ad annū MCXLVII.

1147 Sub Eugenio tertio ab anno MCXLVII. vſque ad annum MCLIII. S.R.E. Cancellarius fuit Guido ex Comitibus Capronæ Piſanus Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani ex priuilegiis Eccleſiæ Rauennatis.

1153 Boſo ſcriptor Papæ vices geſſit cancellarii anno Domini MCLIII. Rolandus Bandinellus Senenſis Presbyter Cardinalis tituli S. Marci S.R.E. Cancellarius ſub Eugenio tertio Anaſtaſio quarto & Adriano quarto, qui poſtea Alexander tertius Papa creatus anno Domini MCLIX. ex priuilegiis Baſilicæ Lateranenſis.

1159 Magiſter Hermanus S.R.E. ſubdiaconus, & Notarius pro Cancellario ſub Alexandro tertio Papa ab anno Domini MCLIX vſque ad annum MCLXVI.

1167 Magiſter Gerardus ſub eodem Pontifice S.R.E. Notarius pro Cancellario anno MCLXVII. ex bullis Eccleſiæ Rauennatis

1169 Eodem Alexandro tertio Pontifice ab anno Domini MCLXVIIII ad annum MCLXXVII. pro Cancellario Magiſter Gratianus S.R.E. ſubdiaconus & Notarius ex priuilegio, dato Venetiis in Riuoalto Pontificatus anno decimo octauo apud ſacras Virgines Diui Andreæ Rauennatis Caliſmeræ eius Cænobii Præfectæ

1177 Albertus de Mora Beneuentanus Præsbyter Cardinalis tituli S. Laurentii in Lucina S.R.E. Cancellarius ſub Alexandro Lucio, & Vrbano Tertiis, idemquè poſtea ad Apoſtolicum culmen euectus Gregorius Octaus Papa fuit anno Domini MCLXXXVII.

1181 Gauferius S.R.E. ſubdiaconus pro Cancellario ſub Alexandro tertio Anno MCLXXXI.

1183 Vgo S.R.E. Notarius pro Cancellario Lucio tertio Pontifice anno MCLXXXIII.

1184 Vrbano Tertio ſedente Branſimundus S.R.E. Notarius pro Cancellario anno MCLXXXIV. fuit.

1186 Don Moyſes Canonicus Lateranenſis S.R.E. ſubdiaconus

nus vicem agens Cancellarii ſub Vrbano tertio Gregorio Octauo, & Clemente tertio ab anno Domini MCLXXXVI. vſque ad annum MCLXXXXI.

1191 Ægidius Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano pro Cancellario Cœleſtino tertio ſedēte ab anno MCXCI. ad annum MCXCIIII. fuit.

1194 Cencius Romanus Canonicus Lateranenſis Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Hortea S. R. E. Camerarius pro Cancellario ſub Cœleſtino tertio ab anno Domini MCXCIIII. vſque ad annum MCXCVIII.

1198 Innocentio tertio Pontifice Magiſter Raynaldus ex Papæ Notario Archiepiſcopus Acheruntinus S. R. E. Cancellarij vicem geſſit anno MCXCVIII.

1200 Magiſter Blaſius ex Papæ Notario, & ſubdiacono Epiſcopus Turritanus ſub eodem Pontifice.

1203 Magiſter Ioannes ex ſubdiacono, & Notario Papæ Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Via lata pro Cancellario ſub eodem.

1206 Item Ioannes de Comitibus Anagninus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin vltimus, qui Cancellarius dictus ſit.

1214 Eodem Innocentio tertio Pontifice Magiſter Thomas ex Subdiacono, & Notario Papæ electus Archiepiſcopus Neapolitanus pro Cancellario.

1215. Sub eodem Innocentio Magiſter Guillelmus S.R.E. Notarius pro Cancellario munus geſsit.

1216. D. Rainerius de Caſtro Veteri Dioceſis Tudertinæ Vmber Canonicus Regularis, & Prior S Fridiani Lucenſis primus, qui S. R. E. Vicecancellarius dictus ſit ſub Honorio Papa Tertio.

1220. Magiſter Guillelmus I.V.D. S.R.E. Vicecancellarius ſub Honorio Tertio.

1225. Magiſter Guido Cappellanus, & Notarius Papæ pro Vicecancellario ſub eodem Pontifice

1227. Magiſter Sinibaldus de Fliſco ex Comitibus Lauaniæ Genuenſis V.I.D Auditor litterarum contradictarum Domini Papæ S.R.E. Vicecancellarius, ſub Honorio tertio, poſtea Presbyter Cardinalis, demum Papa Innocentius Quartus.

1228.

1228. Innocentius itaque ſucceſſorem ſuum renunciauit Magiſtrum Martinum Archidiaconum Senenſem in muuere Viceecancellariatus.

1232. Cui eodem Pontifice Magiſter Bartholomæus S.R.E. Viceecancellarius ſuffectus eſt.

1235. Eo è viuis erepto Vicecancellarius creatus eſt Magiſter Guillelmus Papæ Notarius.

1239. Gregorio Nono Pontifice Vicecancellarius fuit Fr. Rainerius Ordinis Prædicatorum.

1243. Vicecancellarius poſt eum fuit ex eo ordine frater Iacobus Boncambius Bononienſis, poſtea eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus ſub Innocentio Papa quarto.

1244. Quo ſedente Magiſter Marinus Neapolitanus Cantor, & Theſaurarius Saresbitienſis S.R.E. Vicecancellarius renunciatus eſt.

1245. Sedentibus eodem Innocentio, & Alexandro quarto fuit Cancellarius Magiſter Guillelmus de Gatadego Parmenſis ſcholarum Magiſter.

1257. Poſt eum adlectus fuit eodem Alexandro ſedente Rolandus.

Sud eiuſdem Pontificatu renunciatus eſt Vicecancellarius Magiſter Iordanus de Terracina Notarius, & Subdiaconus Papæ, & primùm pro Vicecancellario. Ab Vrbano vero quarto poſtea creatus Diaconus Cardinalis Sanctorum Coſmæ, & Damiani.

1262. Sub Vrbano, & Clemente Quartis Magiſter Michael Toloſanus Gallus S,R.E. Vicecancellarii munus geſſit.

1272. Deinde ſub Gregorio Decimo S.R.E. Vicecancellarius fuit Magiſter Iannonus Lecacoruius Placentinus.

1274. Magiſter Lanfrancus Archidiaconus Bergomenſis. S.R.E. Vicecancellarii munus geſſit ſub Gregorio Decimo, Innocentio Qninto, & Ioanne Vigeſimo primo Pontificibus.

1278. Quatuor deinceps ſedentibus Pontificibus Nicolao ſcilicet Tertio, Martino, Honorio. & Nicolao Quartis Magiſter Petrus Peregroſſus Mediolanenſis S.R.E. Vicecancellarius fuit, poſtea Diaconus Cardinalis S.Euſtachii renunciatus, demùm Presbyter tituli Sancti Marci.

1288. Nicolaus Quartus Pontifex Magiſtro Petro ſuffecit Magiſtrum Ioannem Decanum Baiocenſem.

1294 Succeſſor eius fuit magiſtet Petrus Valerianus Priuernas S. R. E. Vicecancellarius ſub Cœleſtino Quinto, & Bonifatio Octauo, deinde Diaconus Cardinalis creatus S. Mariæ Nouæ, qui primus omnium fuit, qui cum eſſet Cardinalis, Vicecancellarius vocatus eſt.

1297 Magiſter Riccardus Petronus Senenſis ſucceſſit Petro Valeriano Priuernati, qui poſtea à Bonifacio VIII. Diaconus Cardinalis S. Euſtachii renunciatur.

1300 D. Papinianus Subalpinas Epiſcopus Parmenſis Canonicus Regularis S. R. E. Vicecancellarii munus geſſit Bonifacio Octauo, Benedicto Duodecimo, & Clemente Quinto Pontificibus.

Deinceps nemo Vicecancellarius Bibliothecæ Lateranenſi præfuit, ſed à Clemente Quinto tranſalpes in Gallia Romana Curia translata, nouaque Bibliotheca Pontificia Auenione conſtituta Vicecancellarii munus à Bibliothecarii officio diſtingui cœpit, & factus eſt nouus Bibliothecarius, qui Vicecancellarii munus non geſſit.

Narrat Panuinius Ioannem Papam huius nominis XXII. qui Clementi Quinto ſucceſſit fuiſſe Auguſtinianæ familiæ adſcriptum, & amore erga eamdem munia cuſtodiendi Bibliothecam Palatinam inter alia Religioſis viris eiuſdem familiæ conceſſiſſe, & ex illi primum ad lectum ſcribit.

1316. 1. Magiſtrum Fratrem Ioannem Lemouicenſem Gallum, qui fuit Bibliothecarius ſub eodem Ioanne, Benedicto Duodecimo, & Clemente Sexto.

1346. 2. Ioanni ſuffectus eſt anno MCCCXLVI. frater Raymundus de Acono ex Monaſterio Appamiarum Diœceſis Toloſanæ Gallus ex Epiſcopo Forolitienſi Epiſcopus Appamiarum ſedentibus Clemente VI. & Vrbano V.

1366. 3 Succeſſor eius fuit Magiſter Frater Petrus Amelij de Brenato Lemouicenſis ex Epiſcopo Senogallienſi Archiepiſcopus Tarentinus, & Patriarcha Gradenſis, demùm Patriarcha Alexandrinus Vrbano V. Gregorio XI. Vrbano VI. & Bonifacio Nono Pontificibus.

1378. 4. Petro Amelij de Brenato ſucceſſit in munere bibliothecarii, Fr. Petrus Appamenſis, qui ab Vrbano Papa Quinto primus Epiſcopus Montis Flaſconis renunciatus eſt.

1395. 5 Magiſter Petrus Aſſalbiti Gallus Lemouicenſis ex Olorenſi Epiſcopus Condouenſis, deinde Electenſis Bibliothecarius fuit, qui Bonifatio Nono, Innocentio Septimo, Gregorio Duodecimo, Alexandro Quinto, Ioanne Vigeſimo tertio, Martino Quinto, & Eugenio Quarto ſuperſtes fuit. Deníque ſenio confectus obiit anno ſalutis MCCCCXL.

1440 6. Succeſſorem Petrus habuit Magiſtrum Rodulphum Gallum Lemouicenſem Epiſcopum Tiphernatem, qui Bibliothecæ præfuit Eugenio Quarto, Nicolao Quinto, Caliſto Tertio, & Pio Secundo ſedentibus.

1463. 7. Cui poſtremo, & in Epiſcopatu, & in munere Bibliothecarii ſucceſſit frater Ioannes Tiphernas, qui poſtea ad Maſſenſis Eccleſiæ Infulas promotus eſt.

Quo vita functo quia Sixtus Quartus omnis Apoſtolici Archiuii Scripturas, omniaque volumina tranſtulit in Vaticanum, ac illis bibliothecam illam, quam nunc in immenſam locupletatam, & codicibus vndique terrarum pulcherimis accerſitis omnium nobiliſsimam factam admiramur, inſtruxit; vlteriorem de bibliothecariis ſeriem vtpote meo prepoſito alienam, texere ſuperſedeo.

De officijs Lateranenſis Baſilicæ & Palatij.

CAPVT XVII.

QVONIAM Bibliothecarii Sedis Apoſtolicæ, de quibus tractauimus capite ſuperiore inter Miniſtros Palatij ſinè dubio recenſentur, vt quaſi ex cohorte (quem admodum veteres loquebantur) Prætoris dici poſſint; à nobis autem ſuperiore libro accurata, quantum potuimus, mentio facta eſt de variis perſonarum generibus ad cultum, & famulatum noſtræ Baſilicæ antiquitus inſtitutis, dequè mutatione, quam ea in re temporum, & negotiorum varietas intulit; neceſſarium exiſtimamus de reliquo etiam eiuſdem generis miniſterio tractationem hic attexere, recenſendo ſingillatim perſonas publicè, priuatimquè non ſolum in Baſilica, ſed etiam in Patriarchio ſummo Pontifici tam inſeruire, quam apparere ſolitas; quæ id circo materia non incommodè collocata videbitur inter priores duos, & vltimum huius operis librum, ideſt inter tractatus, quorum prior Baſilicam, poſterior verò Patriarchium amplectitur; Dicemus autem nonnulla tum de officiis, tum, ſi quæ narratu digna de ipſis officia gerentibus in veteri memoria habebimus, ſubiiciemus.

Diuus Gregorius huius nominis primus abrogatis magna ex parte inanibus priſcorum Quiritium claſſibus, ordinibuſquè; Romanam Nobilitatem in ſcholas apud Lateranenſe Patriarchium à ſemet ordinatas diſtribuendam curauit tam ad rectam Eccleſiæ reddituum adminiſtrationem, quam ad eruditionem Eccleſiaſticam addiſcendam, vt in libro ſequenti demonſtrabimus, cuius quidem inſtituti, in longam inde poſteritatem propagati clara admodum veſtigia licet agnoſcere apud Anaſtaſium in vita Pauli Pontificis, vbi ait.

Hic

Hic ab ineunte ætate in Lateranenſi Patriarchio cum proprio ſeniore germano Stephano prædeceſſore eius Pontifice pro eruditione Eccleſiaſticæ diſciplinæ traditus eſt temporibus Domni Secundi Gregorij Pontificis &c.

Item in Stephani Tertii eius fratris vbi ita loquitur.

Hic poſt Patris ſui tranſitum paruulus derelictus in Venerabili cubiculo Lateranenſi pro doctrina Apoſtolicæ traditionis ſub Prædeceſſoribus beatæ memoriæ Pontificibus permanſit &c.

Inter alias ſcholas præcipuè in Lateranenſi Patriarchio Scholam Cantorum fuiſſe comperimus, vbi nobiles adoloſcentes Eccleſiaſticis numeris erudiebantur, ad quorum rationem laudes Deo congruenti modulatione concinere, populumquè ea laudabili voluptate adficere poſſent, deindè ſacris litteris operam nauantes ad cubiculariatus dignitatem, alioſquè Eccleſiaſticos ordines aſcendere.

Cubicularii munus à Sancto Leone Primo inſtitutum accepimus ad Sanctorum Martyrum confeſſiones, & præcipuè Apoſtolorum cuſtodiendas, qui Sanctiſſimus Pontifex vt pietas, & deuotio populorum eo loci religionis cauſa vndiquè confluentium in dies augeſceret, & Sanctarum reliquiarum dignatio ex ipſa ſedulitate, quam erga eis in Miniſtris Eccleſiæ Romanæ eminere volebat, propagaretur; inſtituendos cenſuit huiuſmodi reliquiarum cuſtodes, quos cubicularios appellauit, quorum deinde Scholam in Lateranenſi Patriarchio S.Gregorius erexit, conquiſitiſquè vndiquè optimarum artium omnis generis præceptoribus inſtruxit, quibus cœtera quoquè Romana iuuentus operam daret; & quo cantus Eccleſiaſtici (ad quem inter cœtera ibi adoloſcentes erudiebantur) ratio minore negotio perciperetur Antiphonarii conficiendi laborem ſibimet ipſe deſumpſit, ſummoquè ſtudio rem confecit, quo quidem tempore populus Romanus recenti tot barbarorum vrbi, atquè Italiæ inſultantium feritate non nihil exuta, ad priſtina litterarum ſtudia, moreſquè commodiores animum aduertit, magniquè in obeundorum ratione ſacrorum, ritibuſque, ac cœremoniis adminiſtrandis, cœteroque diuino cultu profectus conſequuti ſunt, vt minimè mirum videri debeat, ſi tanta ſummorum Pontificum copia (quod in progreſſu operis dicturi ſumus) ex eo, tanquam generoſiſſimarum ſtirpium Seminario, prodierit.

Nota

Notarii apud veteres à notis, quibus in ſcribendo vtebantur, vocabulum accepere, eæ autem litterarum quædam compendia erant ad breuitatem ſcripturæ iam indè à Ciceronis temporibus inuenta, inque frequentem poſtea morem poſita propter commodum celeritatis, quam periti eius artis in ſcribendo adeò feliciter adhibebant, vt expeditè, & nulla cum hæſitatione integram loquentium orationem excipere, & ſumma cum fide litteris conſignare ſolerent. Hinc illud Martialis.

Nec calculator nec Notarius velox
Maiore quiſquam circulo coronetur.

Celebre eſt id, quod de Proæreſio Philoſopho ſcriptum reliquit Eunapius, Apollogiam eum quandam, contra accuſantes ſeſe aduerſarios apud Proconſulem Athenis ex tempore habitam ab aduocatis in id Notariis excipi iuſſiſſe, quam deinde oſtentandæ memoriæ cauſa iiſdem verbis extemplo repeteret; id quod egregiè præſtitit ſumma cum totius coronæ admiratione, ac plauſu; cum enim ex notis illis obſeruari loquentem ſe præcepiſſet, ne in minimo quidem verbo lapſus eſſe deprehenſus eſt. Nec deſunt qui putent eloquentiſsimi Orientalis Eccleſiæ Chryſoſthomi orationum nonnullàs, quas habemus, notariorum huiuſmodi beneficio deberi, qui concionantis ad populum Sanctiſsimi Pontificis verba excepere, poſterorumque memoriæ tradidere. Cognitionibus cauſarum adſtare ſolitos fuiſſe Notarios conſtat, reorumque, ac teſtium, & accuſatorum dicta, & Iudicum interlocutiones(ne multa) acta iudicii omnia in tabulas referebant. Quod quidem humanæ induſtriæ genus tam frequens apud veteres, atquè vſitatum inter cœtera priſcorum ingeniorum decora penè vniuerſum interiit. Atquè in vetere ſane Republica, & florente Cæſarum faſtigio haud ſanè multum ſplendoris, aut dignitatis in ſcribarum, & Notariorum munere ineſſe putabatur, id quod ego animaduerti eleganter à Cornelio Nepote reperio in Eumene, quem poſtquam à Philippo Rege Maced. Alexandri patre ad manum ſcribæ loco habitum narrauit, *multo id*, ait *apud Græcos honorificentius, quam apud Romanos, nam apud nos re vera, ſicut ſunt, mercenarij ſcribæ exiſtimantur; apud illos contrario nemo ad id offi-*

officium admittatur; niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognita; quod neceſſe eſt omnium conſiliorum eſſe participem. Inductis deindè paulatim cum declinatione fortunæ, nouis in Rempublicam moribus, vt plurima in deterius commutata ſunt; ita in hac parte commodiſſimè prouiſum mea ſententia eſt, vt officia huiuſmodi inter prima cenſerentur, multumque honeſtatis ea gerentibus, ac dignationis afferrent. Vt videre eſt formula Notariorum apud Caſſiodorum var. lib. VI. quam hic ſubiicio.

Non eſt dubium, ornare ſubiectos Principis ſecretum, dum nullis æſtimantur neceſſaria poſſe committi, niſi qui fuerint fide magna ſolidati: Publicum eſt quidem omne, quod agimus, ſed multa non ſunt antè ſcienda, niſi cum fuerint, Deo auxiliante, præfecta. Quæ tanto plus debent oculi, quanto amplius deſiderantur agnoſci. Res conſilium ſolos decet ſcire grauiſſimos: Imitari debent armaria quæ continent monumenta chartarum. Vt quando ab ipſis aliqua inſtructio: totum autem diſſimulare debent, qnaſi neſciant ſcientes. Nam ſolicitis inquiſitoribus ſæpè & vultu proditur quod tacetur. Aſſit innocentia, quæ cuncta commendat: quia in placida mente regia decenter debent verba deponi.

Cæterum Notarios, de quibus hic mentio eſt, S.Clemens numero ſeptem inſtituit, qui geſta Martyrum per quatuordecim Vrbis regiones colligerent. Antherus verò ea diligenter à Notariis exquiſiuit, & in Eccleſia ſeruari iuſſit. Et S.Fabianus, quo intentiore cura hoc à Notariis præſtaretur, ſeptem Subdiaconos creauit, quos Notariis præfecit, vt acta Martyrum diligenter colligerent, Vnde originem ſuam duxerunt ii, quos Protonotarios Apoſtolicos de numero Participantium (qui ſeptenarius eſt) nunc appellamus. Primicerii Notariorum fit mentio apud Anaſtaſium in vita S.Iulii Pontificis huius nominis Primi, vbi hæc habet.

Hic conſtitutum fecit, vt nullus Clericorum cauſam quamlibet in publico ageret, niſi in Eccleſia, & notitia, quæ omnibus pro fide Eccleſia eſt, per Notarios colligerentur, & omnia monumenta in Eccleſiam per Primicerium Notariorum confecta celebrarentur.

Pelagius Pontifex, teſte Anaſtaſio, Notarium ſuum creauit Valentinum cum cœteris virtutibus tum præcipuè religione, præſtantem; Et de Vigilio item Pontifice tradit idem Anaſtaſius

ſius inter cœteras calumnias, quibus à Populo Romano petitus eſt, obiectum ei præcipuè fuiſſe, quod Notarium ſuum alapa percuſſiſſet, ex qua ille continuo in terram exanimis concidiſſet. Notarii quoquè appellantur Regionarii, & de iis ſæpè mentio fit apud Anaſtaſium in vita Stephani Secundi, Tertii dicti, qui narrat Leonem, & Chriſtophorum regionarios vna cum aliis multis comites fuiſſe Stephani prædicti ad Pipinum Gallorum Regem profecti rogatum, vt Aiſtulphi Longobardi duritiem flecteret, & diſſoluta ab eodem pacis fœdera ſeruari curaret. Hadrianus Primus Pontifex à Paulo pariter Primo Notarius regionarius creatus fuerat, atque ex eiuſdem Hadriani vita per Anaſtaſium conſcripta, quænam eſſet huius muneris præſtantia aduertere eſt, cum ille, & vir præclarus, & ſummo loco inter Romanos ortus in numerum Notariorum adlectus fuerit. Inter alia munera Notariis attributa illud etiam erat, vt die natalitio S. Georgii Martyris, qui celebratur vigeſima tertia menſis Aprilis, in eiuſdem Eccleſia preces publicas, quas Litanias appellamus in diem Sancto Marco ſacrum indicerent.

Veſtiarii quoquè munus habemus apud Anaſtaſium. Cuſtodes hi erant tum Pontificiæ ſuppellectilis, tum ſacrarum veſtium, & ornamentorum Baſilicæ Lateranenſis, eratquè locus in Patriarchio, in quo hæc omnia ſeruabantur, Veſtiarium dictus, vt in vita S.Seuerini, Anaſtaſius his verbis habet.

Poſt triduum autem introiuit Mauritius cum Iudicibus, qui inuecti ſunt cum ipſo in Concilio, & ſigillauerunt omne Veſtiarium Eccleſiæ ſeu Cymbilia Epiſcopij, quæ diuerſi Chriſtianiſſimi Imperatores, ſeu Patricij, & conſules pro redemptione animarum ſuarum Beato Petro Apoſtolo relinquerant, vt pauperibus ſingulis temporibus pro alimonia erogarentur, ſeu propter redemptionem captiuorum. Et poſtmodum miſit Mauritius epiſtolas ſuas ad Iſacium Patritium Rauennam de hoc, quod actum eſt, quomodo ipſe cum exercitu ſigillaſſet omne Veſtiarium Epiſcopij &c.

Inter dignitates autem numerabatur, idque, vt opinor, more à Græcis recentioribus accepto, apud quos veſtiariis peculiaria ornamenta, & inſignia erant attributa, τὸ δικανίκιον videlicet, quod ſceptrum interpretantur, pileus, & alia; Eratque inſigne in maritimis expeditionibus officium, trierarchus enim erat peculiaris triremis, quæ vehendis Imperatorijs veſtibus atque impedimen-

dimentis erat aſſignata, prætoriæque triremi in nauigationibus proxima ſemper eſſe ſolebat.

Cellarii dicebantur, qui cellis, hoc eſt cubiculis Pontificijs præerant forte affines iis, qui apud Conſtantinopolitanos Imperatores προκαθήμενοι τοῦ Κοιτῶνος hoc eſt Præfecti Cubiculo dicebantur, quorum apud Curopalatem frequens eſt mentio.

Paracellarii quoquè mentio habetur apud Bibliothecarium in vita Zachariæ Pontificis his fermè verbis.

Hic Beatiſſimus Papa ſtatuit, vt crebris diebus alimentorum ſumptus, quæ eleemoſina vſquè nunc appellatur de Venerabili Patriarchio Paracellarijs pauperibus, & peregrinis qui ad Beatum Petrum morantur, deportari, eiſquè erogari &c.

Quid verò ſit Paracellarium, & quale Paracellarii munus, rectè colligi poteſt ex eodem Anaſtaſio in vita Adriani Primi, quem verbatim hic in medium afferam.

Hic beatiſſimus Præſul fecit, atquè conſtituit nouiter domus cultas quatuor. Vnam quidem, quæ vocatur capracorum poſitam in territorio Vigentano milliario ab Vrbe Roma plus minus quintodecimo; ex qua primitus fundum ipſum Capracorum cum alijs pluribus fundis ei cohærentibus ex hæreditaria parentum ſuorum ſucceſſione tenere videbatur. Eius proprij olim exiſtentes, vbi & alios plures fundos, ſeu Caſales, & Maſſas data iuſta recompenſatione ad vicem à diuerſis perſonis emere, & eidem domui cultæ addere viſus eſt. Quam videlicet domo cultam Capracorum cum Maſſis, fundis, caſalibus, vineis, oliuetis, atquè molis, & omnibus ei pertinentibus ſtatuit per Apoſtolicum priuilegium ſub magnis anathematis obligationibus, vt in vſum fratrum noſtrorum Chriſti pauperum perenniter permaneat, & triticum, & hordeum, quod annuè in locis eiuſdem domocultæ natum fuerit, diligenter in horreo Sanctæ noſtræ Eccleſiæ deferatur, & ſequeſtratim reponatur. Vinum verò, ſeu diuerſa legumina, quæ in prædijs, ac locis ipſius antefatæ domocultæ annuè nata fuerunt, ſimili modo curioſè in Paracellario prænominatæ Sanctæ noſtræ Eccleſiæ deducantur, & ſeparatim reponantur. Sed & porcos, qui annuè in caſalibus ſæpius dictæ domocultæ inglandati fuerint capita centum exindè occidantur, & in eodem paracellario reponantur. Decernens eius ter Beatitudo, atquè promulgans ſub validiſſimis obligationibus interdictionibus vt omni die centum fratres noſtri Chriſti pauperes etiam ſi plures fuerint, agre-

gentur in Lateranenſi Patriarchio. Et conſtituantur in Porticu, quæ eſt iuxta ſcalam, quæ aſcendit in Patriarchio vbi & ipſi pauperes depicti ſunt, & quinquaginta panes penſantes per vnumquemque panem libras duas, ſimulquè & decimatas vini duas penſantes per vnamquamque decimatam libras ſexaginta, & caldaria plena de pulmento, erogentur omni die per manus vnius fideliſſimi paracellarij eiſdem pauperibus, accipiens vnuſquiſque eorum portionem panis atque portionem vini, ideſt cuppam capientem calices duos, nec non & carnem de pulmento.

Nomenclator, à nomine calando, ideſt vocando, quaſi nominis calator dicebatur, eratque ille, qui memoriter vnumquemque nomine vocare poterat. Nomenclatorũ opera potentiſſimus quiſque apud Romanos vtebatur, vt ſe nominis occurrentium in foro ciuium admonerent, quod multum ad colligendam gratiam in comi, & benigna ſalutantium appellatione poſitum exiſtimabant, ſed præcipuè candidati in petendis honoribus ad augenda ſuffragatorum ſtudia hoc artificium adhibebant. qua in re ſcitum eſt id, quod olim L.Scipioni laudi magnoperè datum fuiſſe traditur, quod ſine nomenclatore Ciues omnes Romanos proprio quemque nomine ſalutare ſoleret. Nomenclator autem apud Scriptores Eccleſiaſticos, de quo hic nobis eſt ſermo, is habebatur, qui in Eccleſia memoriter ordines omnes, & vnumquemque illorum nomine proprio vocabat, huius mentio extat apud Anaſtaſium in Vita Conſtantini Pontificis, vbi narrat Siſinium Nomenclatorem eiuſdem Pontificis ad Iuſtinianum Auguſtum comitem. fuiſſe

Comites etiam Palatinos. & Lateranenſis Aulæ olim à Summis Pontificibus inſtitutos fuiſſe conſtat, quin hodie quoque ſuperſunt, neque idcirco ab re fuerit aliquid de eorum etiam dignitate in medium afferre. Antiquiſſimus huius vocis ſenſus eſt, vt amicos inferioris notæ ſignificet, vnde eleganter Oratianus ille Tireſias captandarum hæreditatum ſordidiſſimum artificium ſpecie præcipientis ſalſiſſimè irridens ſic cecinit.

ne tamen illi
Tu comes anterior ſi poſtulet ire recuſes.

Hinc aſſeclas Prætorum, cœterorumque magiſtratuum prouin-

uincias obtinentium Comites dicere mos erat, qualis eſt ille apud ſupra laudatum Poetam.

Celſo gaudere, & bene iam gerere Albinouano.
Muſa rogata refer Comiti ſcribæque Neronis.

Comitumque huiuſmodi, cum plures eſſe contigerit, cœtus vniuerſus, cohors Prætoria vocabatur, vt idem.

Quid ſtudioſa cohors operum ſtruit.

Et apud Catullum.

Piſonis Comites cohors inanis.

Poſt ſubiectam autem vnius Imperio rem Romanam, maiori longè in pretio nomen hoc eſſe cœpit; Miniſtros enim in expeditionibus, ipſi quoque Cæſares Comites vocabant, quomodo Tiberius ſuſcipiendæ ad exercitus profectionis ſpeciem præbere volens, vt auctor Tacitus eſt, *conquiſiuit impedimenta, delegit Comites*, unde ſub poſtremis Imperatoribus dignitatis præcipuè appellatio hæc habita eſt, vt videre poſſumus in pleriſque locis Codicis, erantque quaſi Iudicum adiutores, & Miniſtri Imperii. Multiplex erat horum munus, nam alii dicebantur Comites Domorum, & erant hi, qui domeſticarum Principis rerum curam gerebant, quaſi Domus Præfecti: alii horreorum, qui ſcilicet Annonam adminiſtrabant; alii ſacrarum largitionum, erantque illi, per quos Princeps ſtipendia largiebatur, quaſi Procuratores Reipublicæ, qui Græcè ἐπίτροποι nuncupantur. Sunt qui putant ità dictos, quod per hos Princeps liberalitatem ſuam, & magnificentiam exercebat. Turnebus verò in ea ſententia eſt; vt exiſtimet huiuſmodi Comites largitionum eoſdem eſſe cum Quæſtoribus illis, qui Theſauris ſacris ideſt Imperatorijs, & Auguſtalibus pecunijs præerant. Comites rei priuatæ erant, qui Patrimonium Principis curabant, & adminiſtrabant. Comites Conſiſtoriani erant illi, qui ſtabant in Principis Conſiſterio, qui dici meruerunt etiam ſpectabiles, & Proconſulibus æquiparabantur. Comites Palatini

deniquè dicebantur hi, qui curam gerebant præcipuam, vt remiſſionem Notariorum, & Iudicum negligentiam arguerent; & à Prouincialibus tributa exigerent, & conſueta depoſcerent, itaquè non Prouincialibus, ſed præcipuè iuſſi ſunt, vt Iudicibus, & eorum officialibus præcepto imminerent, & præeſſent. Comites igitur Palatini Lateranenſis Aulæ Iudicibus, & officialibus Lateranenſis Palatij præerant, & omnia faciebant, quæ iam explicauimus, nunc purum nomen, & ſolum ad honorem titulum gerunt omni penitus poteſtate ſublata.

Superiore libro de ſeptemdecim Diaconis Cardinalibus, & Archidiacono S. R. E. tractauimus, ex quibus duodecim Cardinales regionarij dicebantur, quod Euangelia in Stationibus Eccleſiarum Vrbis, cum Pontifice ad eas accedente legerent alij quinque cum Archidiacono, Diaconi Cardinales Palatini, ſiue Altaris Lateranenſis Miniſtri nuncupati, quod in Palatio, & Baſilica Lateranenſi celebrante Summo Pontifice Euangelium per vices legerent:

De Subdiaconis quoquè diximus numero eos vnum & viginti fuiſſe, quorum Primus Prior dicebatur, ex his ſeptem Baſilicarij, ſeu Palatini, hi Epiſtolas in Palatio, & in Baſilica Lateranenſi in ſolemnibus Pontificum ſacrificijs, & ad eorundem Menſam ſacras lectiones legebant. Septem Regionarij, qui idem munus per Baſilicas Vrbis earumdem feſtis diebus, & ſtationibus obibant. Totidem Scholæ Cantorum vocabantur, qui videlicet cantum imponebant, eorumque caput, & Magiſter Primicerius vocabatur, ſed de his hactenus ſatis multa, iam vero de ſeptem Palatinis officijs, ſiuè Iudicibus, qui & ordinarii vocantur pauca dicamus: commodioris autem intelligentiæ gratia peculiarem titulum hac de materia inſtituemus:

De

De ſeptem Palatinis Officijs, ſiuè Iudicibus.

CAPVT XVIII.

IOANNES Lateranenſis Eccleſiæ Diaconus inter alios Proceres, qui Pontifici in Lateranenſi Baſilica ſacris operanti adſtabant, ſeptem tradit fuiſſe Iudices Palatinos, qui & ordinarij vocabantur, & cum Clero, & Populo Romano Pontificis electioni intererant. Horum nomina ſunt, Primicerius, Secundicerius, Sacellarius, Arcarius, Protoſcriniarius, Defenſor ſeu Primicerius Defenſorum, & Adminiculator. Huiuſmodi Iudicum mentio etiam apud Anaſtaſium habetur in vita Pauli Primi, vbi tradit, eorum pleroſquè ſequutos eius partes fuiſſe, quo tempore cum Theophilacto Archidiacono Pontificatu contenderat. Item alio loco miſſu Sergii Secundi Iudices omnes ad nonum ab Vrbe lapidem Ludouico Regi Francorum obuiam proceſſiſſe memorat.

Primicerius dicitur primus aliarum dignitatum, quæ autem huius officij eſſet præſtantia oſtendit Caſſiodorus in Epiſtola 7. lib. 6. vbi ait; *ſed huic vt ità dixerim numerariæ dignitati præconem largitatis noſtræ publicæ felicitatis iudicium, locum quoque Primiceriatus adiungemus, vt per te demus honores per quam noſtræ pecuniæ conferimus largitates. Merito quando etiam ſimili gratia vtraquè præſtantur, & ab vno debuerunt Iudice geriquæ parili videntur laude coniungi. Parum eſt autem prouinciarum Iudices tuæ ſubiacere dignitati, ipſis quoquè proceribus chartarum confirmas officium, dum perfectum non creditur, niſi à te fuerit pro ſolemnitate completum &c.*

Et Epiſtola 26. eiuſdem libri, vbi ſic.

*Sed quoniam te probatis moribus inſtitutum venatrix bonæ conuerſationis ſollicitudo noſtra reſpexit ab illa Indictione Notariu*m

rium te noſtrum eſſe cenſemus, vt ordine decurſo militiæ, ad Primiceriatus feliciter peruenias ſummitatem, honor qui efficit Senatorem, cui Patrum Aula reſeratur non iniuria, nàm qui noſtris curijs militat aſſidua lucubratione iuſtè videtur, & curiam libertatis intrare &c.

Item apud Cencium Camerarium: cuius verba hic proferre opere pretium exiſtimo.

Primicerius, ideſt prima manus, Chera enim græcè, latinè manus dicitur Primicerius apud Græcos Papia vocatur, ipſe debet habere curam de clauibus totius Palatij, & eſſe ibi honorabilis apud Imperatorem die nocteque in Palatio exiſtere debet &c.

Verius à cera vocis huius originem deduci puto, hoc eſt à tabula, ſeù chartæ genere, quo veteres in ſcribendo vtebantur; Vnde eſt apud Iuuenalem inſtitutionem hæredis (quam in prima cera ſcribi mos erat) ſignificare volentem

Laudo te munere tanto

Præcipuam in tabulis ceram ſenis abſtulit orbi

tamquam Primicerius intelligendus, videatur, qui in deſcriptione cœterarum ſui ordinis perſonarum locum Principem obtinere mereatur, quæ quidem vetus ſignificatio etiàm Principis eſt, vt potiorem in ordine deſignet, id quod præcipuè vſu veniebat in cenſibus Senatorum, inter quos ſummum in cathalogo locum obtinens Principis Senatus appellationem obtinebat, cuius poſtea vſum Auguſtus ad propriæ dignationis excellentiam tranſtulit; poſtquam adempta ciuibus libertate ad declinandam inuidiam, quæ talia conſequi ſolet, *non Regis*, ait Tacitus, *neque Dictatoris ſed Principis nomine conſtitutam Rempublicam* adminiſtraſſe. Quod is titulus nihil ſe admodum elati nihil ſupra ciuilem modum habet. Geminam itaque huic voci Primicerii vocem exiſtimo. Vnde Primicerios Diaconorum, Cantorum, Lectorum, domeſticorum tabulariorum paſſim reperies apud auctores, qui poſt inclinatum Romanum Imperium ſcripſere.

Primicerius, vna cum Secundicerio dextra, læuaquè Pontificem in omnibus Proceſſionibus, & publicis conuentibus medium tenebant, Epiſcopis Cardinalibus proximè ſedentibus, & in maioribus ſolemnitatibus ad matutinas horas octauam lectionem legebat. Horum loca, nunc tenent duo primi Diaconi

coni Cardinales, qui Aſſiſtentes vocantur. Erant autem tanquam primi Papæ, & Apoſtolici Conſiliarii nuncupati, & in omnibus titulis, & Diaconiis eis loci præheminentia debebatur. Erantquè quaſi Cenſores in populo, & Magiſtri morum, quia omnium moribus inuigilabant; hinc eſt, quòd Eccleſiæ Cultores dicebantur, iiſdemquè obſequebantur omnes Palatii Ordines, & Officia, & grauioribus quibusquè Eccleſiæ temporibus præſto ſemper erant Pontificibus, quò præſenti eorum opera, & conſilio vti poſſent, atque ad res gerendas quocumque res poſcerent, mittebantur.

Inſignis memoria eſt, operæ per Ambroſium Primicerium Zachariæ Romano Pontifici olim nauatæ, quem vna cum Stephano Presbytero miſſum ad Luitprandum Longombardorum Regem legatum accipimus componendæ inter eum, & Euthicium Rauennatem Exarchum pacis cauſa. Nec minore poſtea laude dignus eſt habitus cum Succeſſorem Zachariæ Stephanum in inclyto illo ad Pipinum Regem in Galliam itinere ſumma cum fide, ac ſtudio, vna cum cætera ſummorum virorum egregia cohorte eſt comitatus. Primicerium fuiſſe affirmat Anaſtaſius Chiſtophorum quoquè illum præclarè olim de fidelium vnitate, & Romani Pontificatus exiſtimatione meritum, difficili illo tempre Eccleſiæ inter Longombardorum inſolentiam, impietatemquè Græcorum conflictatæ, cum tronum Apoſtolicum Conſtantinus Ducis Nepeſini frater alias dictus à nobis tanquam profanum quodpiam deuictæ & conculcatæ Religionis ſpolium, nullis initiatus militiæ clericalis ordinibus occupauerat, tunc enim circumferens ille oculos per vniuerſam ciuitatem vt videret ſi eſt intelligens, aut requirens Deum, cernenſque homines in facinoris atrocitate defixos potiùs, quam ſatis ad id vindicandum animatos, expediendam rem omnem ſuis conciliis, ſuique capitis diſcrimine haud ſegniter intendit, cumque ſpeciem vitæ monaſticæ ſuſcipiendæ, curiſque ſæcularibus renunciandi præbuiſſet, ſummam facultatem eſt nactus ad Theodocium Spoletanum Ducem, Regemquè Longobardum Deſiderium ſe conferendi, eorumquè ope maculam illam omnem Conſtantiniani ſceleris à vultu Eccleſiæ abluendi, id quod fortius multo quam erat pollicitus vna cum filio Sergio paternæ virtutis emulo, & ſectatore breui perficit; quos idcirco nobili

illi

illi Machabæorum Parentis, ac filiorum manipulo fortiſſimis legis Diuinæ zelatoribus, & paternarum traditionum acerrimis vindicibus meritò comparauerim, non enim deteſtabilior fuit in templo veteri abominatio illa Idolorum à Syriæ Regibus inducta, quam quæ ab exiguis agri Romani dinaſtis in Eccleſiam nouæ legis inuehi parabatur, vt homines profani, & ſæculares Sacroſanctam Romani Pontificatus poteſtatem tractarent, & quaſi Idola in templo Dei poſita, & collocata à fidelibus adorarentur. Ac ne exitus quidem fortiſſimos viros diuerſus admodum à memorabili illo Machabæorum exitu eſt conſecutus; namquè offenſo deindè eiuſdem Deſiderii Règis animo ob iura Eccleſiæ conſtanter ab illis aduerſus ipſius auaritiam, atquè iniurias defenſa, dum, vt ait Anaſtaſius, *pro exigendis iuſtitijs B.Petri* intentiore laborant ſtudio, obſcuris primo inſidiis mox aperta oppugnatione ab impio Rege petiti ſunt, & quamuis patefacto inſidiatoris dolo, ſuſtentatoque primo Regiarum copiarum, ac populi erga ſe concitati impetu in ſpem euadendæ illius tempeſtatis maximam veniſſent, illata tamen deindè ipſi Pontifici Stephano (de eorum ſalute magnopere laboranti) Et Vaticanæ Baſilicæ (cuius religioni ſe ſe crediderant) vis oculis vtrumquè mulctauit, non abhorrente videlicet ab inconditis, & barbaris eius ſæculi moribus clade, quæ parenti quidem finem vitæ intra triduum attulit, cum filio ad virtutem inter Monachos (quorum inſtitutum deindè ſuſcepit (exercendam, ſpiritum incolumem reliquiſſet; quo tamen diutius egregio viro vti non licuit; tam pertinax enim in ſemel inbutis eius cruore dexteris crudelitas fuit, vt finem ſæuiendi non fecerint, donec abſtractum à cellula Monaſterii, cui mutilati, & ſemiuiui corpuſculi reliquias crediderit, verberibusque fœdè laceratum, laqueo faucibus indito confecere.

Patrem item Adriani Primi Romani Pontificis Theodorum nomine, virum ſummæ, inter Romanos nobilitatis Primicerium fuiſſe idem Anaſtaſius memorat, quem quidem titulum quoniam poſt Ducatum, & Conſulatum) quos honores pariter geſſit) idem auctor poſtremum numeret, vtroque eorum eminentiorem fuiſſe haud obſcure innuere videtur. Maſtillus etiam liberalitate erga pauperes ad Pontificis Adriani arbitrium collata ab Anaſtaſio laudatus Primicerius ab eodem fuiſſe traditur,

ditur, è quo etiam Ioannis cuiuſdam Primicerii mentio fit in ipſius Adriani vita. Eodemque honore præditum narrat in vita Leonis Tertii Paſcalem illum, qui vna cum Campulo ſacellario ſacrilegas eidem Leoni Pontifici, & conſceleratas manus admouit, quemadmodum alias prolixius à nobis traditum eſt, cumque tanti facinoris pœna intra relegatiorum in Galliam propter ſummam mitiſſimi Antiſtitis lenitatem ſtetiſſet, ab ea quoque non multo poſtea ſub Eugenio II. ſoluti, ac reſtituti ſunt; quo à Pontifice non reditum ſolum in Vrbem, ſed munera præterea multa, quibus ſummæ inopiæ damnationem eorum, vt fieri ſolet poſtea conſequutæ ſubuentum eſt, impetrauere. Ex Platina habemus in vita Paſchalis primi, Theodorum Primicerium, & Leonem Nomenclatorem in Patriarchio Lateranenſi effoſſis oculis occubuiſſe Ludouico Imperatore iubente, quod partes Bernardi Italiæ Regis eius fratris eſſent ſequuti.

Secundicerius dicitur ille, qui alterum a Primicerio honoris locum obtinebat, communi tamen cum eo dignitate priuilegiis, immunitatibus, & reliquis huiuſmodi vtebatur. Habemus ex Anaſtaſio, Gregorium, & Bonifacium Secundicerios comites itineris fuiſſe Conſtantino, & Stephano Pontificibus, quo tempore ille quidem ad Imperatorem Iuſtinianum, hic verò ad Regem Pipinum ſe contulere, vt ſupra eſt dictum. Sergius quoquè Conſtantini Pſeudopontificis exactor, de quo multa iam diximus Secundicerius fuit. Huius numeri quoquè fuit Demetrius, qui cum gratioſo chartulario per inſidias Totonem Conſtantini intruſi fratrem occidit, quemadmodum ſcribit Anaſtaſius in vita Stephani Tertii, Quarti dicti. Gregorius quoquè Secundicerius Leone Tertio Pontifice partem ſuorum bonorum pauperibus erogauit, ſicuti ſedente Benedicto Tertio Adrianus Secundicerius, & Gregorius Dux Imperialibus Legatis obuiam miſsi per dolum coniunguntur.

Sacellarii à ſacculorum, ſeu ſacellorum, hoc eſt pecuniæ, quæ iis aſſeruabatur cuſtodia ſic appellati geminam cum Fiſcalibus vocabuli ſui originem habent, quod Fiſcus etiam loculi quoppiam genus eſt monetæ condendæ cauſa antiquitus comparatum, vt eſt apud Tacitũ libro annalium primo vbi deformem ſpeciem extortæ per milites à Germanico pecuniæ auctor refe-

rens addit ; *cum Fiſci de Imperatore rapti inter ſigna , interque Aquilas veherentur*, vtquè hac voce propria Principis pecunia diſtincta ab ærario , quod publicas opes continebat , ſignificabatur ; ità ſaculo , & ſacello Eccleſiaſticæ gazæ conditorium peculiari quadam ſignificatione importare videtur , id quod nunc Cameram , adeoque Præſides eius Camerarios vocamus . Hinc inter alia ſacellarii munera ſtipendii penſiones militibus fieri ſolitas fuiſſe conſtat , ac eleemoſinæ erogationes per ſabbata ſcrutiniorum (tempus id erat Cathecumenis baptizandis attributum) & præsbyteriorum (quod ſolemne Romanorum Pontificum veluti congiarium eſſe infra dicemus) diſtributiones , & ſimilia , quæ niſi per pecuniarum Curatores explicari facile non poſſunt .

Arcarii vſitatior latinis vox eſt , vtpotè quæ in plerisquè Romani iuris capitibus reperitur . Idem quod ſacellarii ſignificare videtur , deriuaturque , vt in ipſo eius ſono palam eſt , ab arca , in qua pariter , vt ſupra diximus pecunias aſſeruare mos erat , vnde illud Iuuenalis ſat. 10. diuitias exprimere volentis

vt maxima toto
Noſtra ſit arca foro

Officium quoppiam apud maiores noſtros fuiſſe probabile eſt moderno Theſaurarii muneri affine , diſcrimenquè inter Arcarium , ac ſacellarium interceſsiſſe , non abhorrens ab eo , quod Theſaurarium , & Camerarium hodiernos diſtinguit . Mentionem huius muneris apud Anaſtaſium reperio in Agathone , vbi Theodorum Præsbyterum Rauennatem vltra conſuetudinem Arcarium Romanæ Eccleſiæ creatum affirmat .

Protoſcriniarii munus eſt quale à nobis traditur ſuperius in capite de Bibliothecariis (quorum occaſione ad præſentem de officiis , & Iudicibus Lateranenſis Palatii tractatum progreſsi ſumus) ſcripturarum videlicet adminiſtratio , atque cuſtodia , à ſcriniis ſic appellatum , quo domeſtici inſtrumenti genere ad condenda litterarum monumenta vſos eſſe veteres , argumento eſt Oratianum illud ad finem primæ ſatyræ lib. 1.

Iam ſatis eſt; ne me Criſpini ſcrinia Lippi
Compilaſſe putes, verbum non amplius addam

vbi per eleganter ſcrinia pro libris imò pro contentis in iis ſententiis accipiuntur: Meminit Bibliothecarius in Benedicto Tertio Theodori ſcriniarii, quem fuiſſe vnum affirmat ex iis quibus à fautoribus Anaſtaſii Pſeudopontificis neſaria illa, & ſacrilegæ confidentiæ plena vis eſt illata, cum electionem Benedicti, quem diximus, turbare agreſſus eſt ope, & Conſilio Imperatoris Ludouici. Idem Anaſtaſius, pridem à Leone Pontifice de Concilii ſententia Romano Præsbyteratu deiectus, ac ſancti Marcelli titulo, quo ornatus erat, exutus eſt, nec veritus eſt ſeruum ſe nequam, & in paucis à Domino ſuo infidelem repertum ſupra multa, imò ſupra omnia, quæ in terris Diuina, atque humana ſunt conſtituendum curare, impetum in ædes Lateranas, nomenque, ac dignitatem Pontificiam faciendo. Sed conſenſui Cleri, Populiquè Romani in ſuſcepto ſemel erga Benedictum ſtudio immoti ſeditioſa illa improborum factio adeò par non fuit, vt vltra tridui ſpatium ad monſtrum illud in Eccleſia defendendum nec viribus, nec animo valuerit, præclareque ſecum agi ſit arbitrata, quod veniam à violato Antiſtite infimis expetitam precibus impetrare potuerit, & erat ſanctiſſimus ille vir cum cætera virtute, tum præcipuè manſuetudine, & Chriſtiana humilitate, atquè modeſtia inſignis, quarum ſanè laudum memorabile imprimis documentum edidit officio commendandæ Deo agonizantium Clericorum omnis ordinis animæ, eorumdemquè mortuorum ſepulturæ chriſtianis cæremonijs procurandæ, quod officium, & ipſe dum vixit aſſidue, ac diligenter exercuit, & à ſucceſſoribus exercendum ſolemni decreto conſtituit.

Defenſoris officium ipſo nomine ſatis proditur à potentiorum iniurijs inopes, & propter ſexus, ætatis, aut conſilij infirmitatem alienæ opis indigos tuendi, id quod antiquitus nullo publico in id inſtituto munere clariſſimus quiſquè, & eloquentia cæteriſquè bonis artibus fidens ſponte propria exercere ſolebat, ciuiumquè erga ſe ſtudium, ad honores ſuffragia, & clientelarum ſplendorem ſatis ampla laborum ſuorum, & operæ pretia iudi-

cabat, nec ſanè alia erat expeditior creſcendi apud Romanos via, atquè ad opes in Republica, ac nominis claritudiuem enitendi, vtpotè quæ Catones, Cœlios, Cicerones, alioſquè eius notæ nouos homines, & nulla familiæ commendatione ſubnixos ad ſummos in Ciuitate honores deduxit. Sed Oratores, & Patroni; & Cauſidici, & quoduis aliud quam defenſoris vocabulum ad rem deſignandam vſitatius erat, quamuis apud elegantiſſimum Flaccum in laudato iam à me carmine artes captandarum hæreditatum carpentem nomen defenſoris in hac ſignificatione vſurpatum legitur, vbi ait.

Magna minorué foro ſi res certabitur olim.
Viuat vter locuples, ſine gnatis, improbus, vltro.
Qui meliorem audax vocet in ius illius eſto
Defenſor. fama Ciuem cauſaque priorem.
Sperne, domi ſi gnatus erit fœcondauè coniux.

& paulo inferius ipſum defenſorem inducens ſic habet.

Ius anceps noui, cauſas defendere poſſum:
Eripiet quiuis oculos citius mihi quam te.
Contemptum caſſa nuce pauperet; hæc mea cura eſt
Ne quid tu perdas, neu ſis iocus &c.

Ne Ciceroni quidem inuſitatum eſt defenſores pro patronis, & cauſarum actoribus accipiendi, vt cum pro Murena lege ambitus à Catone poſtulato verba faciens *deinde ego ait fidem veſtram vel defenſoris vel amici officio adductus oro Iudices &c.* Increbuit deinde ſub citerioribus Cæſaribus vt defenſorum huiuſmodi munus publicum, & ſolemne cenſeretur, operaque eorum, & conſilium corporibus vniuerſitatum, & collegiorũ, vbi res poſceret, ac ipſis etiam Ciuitatibus præſto eſſet, maximeque in eo ſuam induſtriam collocarent ne tenuiores à diuitibus, aut alias validioribus premerentur, quæ res cum dignitatis plurimum, ac ſplendoris in ſe haberet, iuriſditionem quoque quibuſdam in cauſis exercere cæperunt, qua de re varijs in locis principalium ſanctionum diſerta, & frequens commemoratio eſt, & præcipuè

in nouellis Iuſtiniani, conſtitutionibus, vbi græco nomine ἔκδικοι defenſores vocantur: Sed quod pertinet ad materiam præſentem, Eccleſiarum defenſoris vetuſtiſſima mentio habetur in actis S. Caij Papæ, qui S. Sebaſtianum virum ea tempeſtate honoribus, & multa gratia florentem, ſed morte pro Chriſti nomine egregia mox obita longè clariſſimum Eccleſiæ defenſorem conſtituit, nec deeſt apud poſteriores hoc de munere ſermo, vt Auguſtini temporibus, quo per Synodum Carthaginenſem defenſores ab Imperatore Theodoſio petiti ſunt ad tuendas pauperum contra diuites cauſas, atquè ad reliquias Idolatriæ delendas; ſed præcipuè apud S. Gregorium in regiſtro, qui ex vniuerſo ſcholæ horum magiſtratuum numero conſtituit collegium ſeptem virorum hoc munus ferentium, quos Regionarios nominauit, exemplo Notariorum, ac Diaconorum, ex quorum numeroſiore Catalogo Septeni eandem regionariorum appellationem ferentes pridem erant inſtituti. Epiſtolam 17 lib. 3. Gregorij hac de materia tractantem hic attexere libet. Eſt autem huius modi

Eccleſiaſticis vtilitatibus fideliter inſudantes congruæ remunerationis ſunt beneficio proſequendi: vt & nos reſpondiſſe eorū dignè obſequijs videamur, & illi ex indulta conſolationis gratia vtiliores extant. Quia igitur defenſorem officium in cauſis Eccleſiæ, & obſequijs noſcitur laborare Pontificum, hac eos conceſſa proſpeximus recompenſationis prærogatiua gaudere: conſtituentes vt ſicut in ſchola Notariorum, atque Subdiaconorum per indultam longè retro Pontificum largitatem ſunt regionarij conſtituti: ita quoque in defenſoribus ſeptem qui oſtenſa ſuæ experientiæ vtilitate placuerint, honore regionario decorentur; Quos quolibet per abſentiam Pontificis, & ſedenti in Conuentu Clericorum habere licentiam, honoris ſui priuilegia in omnibus ſtatuimus obtinere. Præterea ſi quis ad prioris locum veniens, in alia fortaſſe Prouincia propter vtilitatem propriam deget, hunc neceſſe eſt primatus locum per omnia curare, vt ille prior defenſorum omnium poſſit exiſtere, qui, & ante prioratus locum in Eccleſiaſticis vtilitatibus, obſequijſque Pontificis non deſtitit per ſedulam præſentiam permanere. Hæc itaque conſtitutionis noſtræ decreta, quæ pro defenſorum ſunt priuilegijs, & ordinatione diſpoſita, perpetua ſtabilitate, & ſine aliqua conſtituimus refragatione ſeruari: ſiuè quæ ſcripto decreuimus, ſeu quæ in eis in noſtra præſentia videntur eſſe diſpoſita, nec à quoquam Pontificum in totum

par-

partemuè qualibet occaſione conuelli decernimus, vel mutari. Nam nimis eſt aſperum, & præcipuè bonis Sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quacumquè rationis excuſatione, & quæ benè ſunt ordinata reſcindere, & exemplo ſuo docere, & cæteros ſua quandoque poſt ſe conſtituta diſſoluere.

In cuius Epiſtolæ contextu cum animaaduerto ſtatum defenſorum laicalem, numerum eorumdem ſeptenarium, ius inter clericos verſandi, addito ex Baronio conueniendi ad Sacra cum Pontifice more eiſdem vſitato,& cœteris quæ hac in materia ſupra retuli, attentius expenſis, haud ambigo quin audacter affirmem, id quod viris doctiſſimis placere audio, veterum Defenſorum regionariorum ordinem eundem prorſus eſſe cum hodierno aduocatorum Conſiſtorialium collegio, perpetuaque, & inoffenſa ſerie ſucceſſionem pulcherrimæ huius Sanctiſſimi Pontificis inſtititutionis immutato dumtaxat nomine,(quæ temporis iniuriarum læuiſſima eſt) ad hanc vſquè ætatem propagatam. Præſtantiſſimus inter defenſores Primicerius dicebatur, quaſi Princeps cæterorum, vti ſupra capite de Primicerijs animaduertimus. Huius mentio apud Bibliothecarium eſt in vita Felicis Tertij, & Conſtantini Pontificum; traditur enim Ioannem Primum defenſorem comitem Pontificis in itinere ad Iuſtinianum Imperatorem ſuſcepto fuiſſe. Item in Stephano Tertio vbi Anaſtaſius Primus defenſor ad Regem Longobardorum Deſiderium legatus legitur. Defenſorem etiam fuiſſe accepimus Conſtantinum illum, qui celebri ad Leonem Iſaurum legatione pro cultu Sacrarum Imaginum à Gregorio Tertio Pontifice miſſa, perfunctus eſt, vinculaquè, & contumelias ea de cauſa varias perpectus locum alteri legationi fecit, in qua idem Pontifex Petro cum cætera dignitate tum præcipuè hoc eodem defenſoris officio inſigni viro vſus eſt.

Adminiculatoris officium ſpeciem quandam defenſoris fuiſſe arbitror cum defenſor promiſcuè in omnibus rebus opem ſuis clientibus ferre; adminiculator autem in cauſis dumtaxat criminalibus adeſſe ſoleret ijs, qui patronum ſibi parare per inopiam nequirent, quod hodie his qui aduocatus pauperum appellatur, munus exercet, & quem de numero Aduocatorum conſiſtorialium eſſe oportet.

Septem horum, quos enumerauimus, Iudicum dignitas am-

ampla imprimis apud vrbem poſt declinatam Imperij eius magnitudinem fuit, dumque Longobardum Francorumquè, & Germanorum opes per Italiam valebant, ſplendorique, & ornamento perſonis, qui eam gerebant ſummo erat, Poteſtas autem, & Iuriſdictio multis legum vinculis coercebatur, nec latè admodum patebat, quippe quæ ad ferendam in capitali cauſa ſententiam minimè ſatis eſſet. Habitu duplici eos vti mos erat pro duplici functionum, quibus intererant genere, Eccleſiaſticarum videlicet, & ſæcularium, & in illis quidem catulam ſine frigio, ſeu fimbria; linteamque tumiam, atquè amictum induebant, crucemque è collo ſuſpenſam interque manus Vexillum habebat; in ſæcularibus (cuiuſmodi inter cætera fuere, quæ ſacras conſultationes appellabant) peramplo Pallio vtebantur, quod vulgari ſermone Itali *Mantellone* vocamus. Verticem rotundum quoddam tegumentum ſubſutum varijs, ſymbolo Crucis inſigne operiebat; pectus autem aureo torque à collo demiſſo ornabatur. Sed recentior ad tegendum caput vſus albi, & oblongi pileoli fuit. Ad cæterum autem corpus veſtis paulo anguſtior cum deductis ad latera manicis placuit more magis ad dominantium poſtea conſuetudinem accomodato.

DE BASILICA

ET PATRIARCHIO LATERANENSI.

LIBER QVARTVS.

De Patriarchij exædificatione.

CAPVT I.

EGREGIVS Onuphri Panuinij labor, quem enucleando, poſteriſque tradendo Patriarchij Lateraneſis ædificio ſuſcepit, nequaquam debito ſuæ laudis teſtimonio prætereundus, fraudanduſquè vel ipſo ſtatim initio eadem re inſtituti operis à nobis eſt, quibus præſertim pleraquè ab eo depromere, & hiſce noſtris monumentis, gemmarum inſtar, attexere conſilium eſt, vtpotè ab auctore omnium locupletiſſimo, & cui, præter eximiam omnis antiquitatis cognoſcendæ ſolertiam, ac felicitatem, præſentiore vti rerum fide copia non defuit, coram inſpectis, ac diligenter excuſſis veteribus harum ædium veſtigijs antequam à Sixto V. Pontifice conſtruendæ molis, quæ in præſens cernitur, gratia penitus amouerentur. Nos verò primùm omnium nonnulla, quæ ſuperiorum temporum iniuriæ reliqua facta ſunt, in medium afferemus ordiemurquè ab ipſius Patriarchij, quam accurratiſſima fieri poterit, delineatione, indè ad omnes partes ſigillatim dicendas, & ſi quæ in ijs digna memoria geſta ſunt, exponenda deſcendemus. Rem vt arbitrior nec iniucundam, & ad intelligenda obſcuriora quæquè Romanarum, atque adeò totius Eccleſiæ antiquitatum inprimis

acco-

accomodatam. Aedes Pontificias iuxtà Baſilicam Saluatoris in agro Laterano ſitas, quæ frequentiori apud auctores vocabulo Lateranenſe Patriarchium appellantur, à Conſtantino Auguſtò poſt adeptam, vt ſupra monuimus, de Maxentio Victoriam Miltiadi Romano Pontifici, ſiuè, vt alijs placet, eodem, quo Baſilicam extruxit tempore, Syluestro dono datas eſſe conſtat; ibiquè cum ipſe Syluester, ſiuè Miltiades, tum alij deinceps Summi Pontifices vſque ad Benedictum Vndecimum, mille amplius per annos, domicilium habuere. Vetuſtiſſima harum ædium inter omnes Eccleſiaſticos auctores mentio habetur apud Optatum Mileuetanum Antiſtitem, dum agens de controuerſijs, quibus Africanam Eccleſiam ingenti totius rei Chriſtianæ motu per ea tempora Donatiſtarum temeritas exercebat, Conſtantinum Imperatorem, ait, à nonnullis Epiſcopis diſceptatorem expetitum, ab eoque rei cognitionem ad Miltiadem Pontificem remiſſam, ac ab eodem ſuſceptam, & in ædibus Fauſtæ Auguſtæ Lateranenſibus cum aliquot Epiſcopis ea de re diſputatum, vt infra fuſius dicemus. Meminit prætereà, quamquam ſubobſcurè, Bibliothecarius in vita Syluerii, qui floruit circa annum 540. dum referens nonnullorum calumnias, quibus vir ille Sanctiſſimus impetebatur, quaſi Vitigis Gotthorum Regis partibus aduerſus Romanum Imperatorem fauiſſet, eiquè Vrbem obſidenti aditum intra mœnia præbuiſſet, calumniatores inducit hunc in modum loquutum eſſe Pontificem affirmantes. *Veni ad Portam, quæ appellatur Aſinaria iuxta Lateranas, & Ciuitatem tibi trado, & Belliſarium Patritium.* Idem auctor paulò poſt eandem mentionem apertius habet in Vigilii Papæ vita, qui Syluerio ſucceſſit, vbi de Theodora Iuſtiniani Imperatoris vxore agens ita ſcribit.

Cognoſcens Auguſta, quod Vigilius Papa reuocare nollet Anthemium Patriarcham Conſtantinopolitanum Hæreticum, miſit Anthemium Scribonem cum iuſſione Romam ad Belliſarium dicens: Exceptis omnibus, in Baſilica S. Petri parce. Nam ſi Lateranis, aut in Palatio, aut in qualibet Eccleſia inueneris Vigilium, mox impoſitum in Nauim perduc eum vſquè ad Nos.

Et paulò, infrà rurſus hæc habet.

Vigilius ex Vrbe diſcedens remiſit Romam Ampliatum Presbyterum,

rum, & Vicedominum ſuum, & Valentinum Epiſcopum S. Ruffinæ, & Secundæ ad cuſtodiendas Lateranas, & gubernandum Clerum.

Præterea in vita Ioannis Tertij.

Hic, inquit, conſtituit, vt oblationes, & amulæ, vel luminaria in Cœmeterijs SS. Martyrum per omnes Dominicas de Lateranis miniſtrarentur.

Item in exordio vndecimi libri regiſtri Sancti Gregorij Magni apertus admodum de Lateranenſi Patriarchio ſermo eſt his verbis.

In nomine Domini Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti per Indictionem ſextam die vigeſima tertia Menſis Nouembris temporibus & Beatiſſimi Papæ Gregorij, coronatus eſt Phocas, & Leontia Auguſta Septimo in Palatio, quod dicitur Secundianas, &c. Venit autem eorum Icona Romam ſeptimo Kal. Maij, & acclamatum eſt eis in Lateranis in Baſilica Iulij ab omni Clero vel Senatu. Exaudi Chriſte, Phocæ Auguſto, & Leontiæ Auguſtæ vita. Tunc iuſſit ipſam Iconam Dominus Beatiſſimus, & Apoſtolicus Gregorius Papa reponi in Oratorio S. Cæſarij Martyris intra Palatium.

Singillatim nomine Patriarchii Lateranenſis intelligebatur primum Aula eius magna, quam ſalam Concilii appellabant: Suggeſtus marmoreus Bonifacii Papæ, ac binæ Porticus, quibus inde iter erat ad Scalam Sanctam, atquè ad ædiculam, cui vocabulum eſt Sancta Sanctorum: item Palatium omne, quod ab area, quæ ante propylæum Baſilicæ Conſtantinianæ parietibus præaltis, & porticibus extructum erat, cuius portæ valuis æneis muniebantur è regione Sanctuarii, quod appellatur, vt dixi, Sancta Sanctorum. Huius deſcriptionem auſpicaturus, hunc ordinem, quam quidem potero accuratiſſimè, ſequar, vt à ſuperioribus ſæculis initium faciens veteres eius ſtructuras dirutas, & nouas ædificatas à diuerſis Romanis Pontificibus exponam, atquè adeo ſignificem etiam quinam eorum, & cur eas diruerint, poſtremo adiiciam per ſingulas ætates quæcumque memoratu digniora in eo Palatio deinceps geſta traduntur.

Patriarchium Lateranenſe à reſidentibus eo loco Romanis Pontificibus, qui Syluestrum ſequuti ſunt, reparatum interdum,

&

& auctum multorum haud dubiæ auctoritatis ſcriptorum monumentis apparet, ſed qui ex omnibus ei operi manus admouerit, ante Zachariam Pontificem inuenio neminem, quamuis inueſtigandæ rei gratia nulli induſtriæ, aut labori pepercerim. Zacharias igitur, qui quatuor amplius ſæculis Romæ poſt S. Sylueſtrum ſedit, Sacris Imaginibus Lateranenſe Patriarchium ornaſſe ab Anaſtaſio traditur; eamq; etiam in rem omnes opes ſuas per manus Ambroſii Primicerii Notariorum conferri iuſſiſſe; extruxit autem à fundamentis ante ſcrinium Lateranenſe Porticum, & Turrim, portaſquè ibi æreas, & cancellos inſtituit, ornauitque antè fores Pulpitum Saluatoris. Ad hæc in ſuperiori contignatione, ad quam per ſcalas erat aſcenſus, Triclinium ſuper ea Turri ædificauit, adpoſuitque cancellos æreos, ibique orbis terrarum deſcriptio depicta erat, carminaque circumſcripta, quæ ornatum eius augerent; ne multis, totum ferè Patriarchium de integro inſtaurauit, cum in magna antea rerum omnium ruina, ac vaſtitate verſaretur. Hæc omnia Anaſtaſius innuit, quibus adiicio Baſilicam, quæ Paneteria vocabatur, & de qua ſermo à mè infra inſtituetur, ab eodem extructam.

Poſt Zachariam Leo Tertius in Lateranenſi Patriarchio complura, eaque admodum ampla conſtruxit ædificia, inter quæ notabilis fuit Aula maxima, quæ adeuntibus interiora ipſius Patriarchii ante valuas eius æreas occurebat, quam tribus chalcidicis, in poſtico ſcilicet, & à lateribus auxit. Quæ omnia picturis variis, & opere muſiuo adornauit; huius autem accuratiorem deſcriptionem inferius, cum ipſa etiam delineatione apponemus.

De Gregorio Quarto idem Anaſtaſius hæc habet.

Fecit in Patriarchio Lateranenſi pro vtilitate ſiue vſu Pontificis propè Oratorium S. Chriſti Martyris Laurentij habitaculum ſatis idoneum, vbi & quies eſt optima, & cum Clericis ſuis Pontifex inde egrediens omnipotenti Domino debitas poteſt laudes perſoluere, & paulò inferius *Deſcenſum, qui Paracellarium reſpicit per quem antea homines veluti in nocte aſcendebant, ita nouiter reformauit, vt nulla inde tranſeuntes deinceps, vt antea, obſcuritas valeat præpidire, à quo videlicet loco vſque ad Oratorium S. Lau-*

rentij cuncta quæ erant vetera reſtaurauit, & alia noua adiecit, in quibus tres caminatas fieri iuſſit; Renouauit imò Balneum, quod iuxta Paracellarium ſitum eſt, à fundamentis per totum, & marmoribus, cæteriſque placabilibus operibus decorauit, nam prius vetuſtatis longitudine caſurum eſſe videbatur, niſi mens vel optimum tanti Pontificis ſtudium illud ad priorem ſtatum reducere decreuiſſet.

Eodem auctore comperimus Leonem Quartum in ingreſſu Patriarchii marmorea ſubſellia (id quod nemini anteceſſorum in mentem venerat) collocaſſe; Item contignationem, quam Tertius Leo conſtruxerat, quod ruinæ proxima præ vetuſtate iam eſſet, reparaſſe. Verum cauſſæ huius reparationis nequaquam videtur temporis ratio conuenire, cum ſpatium quinquaginta circiter annorum, quod inter hos duos Pontifices medium fuit, ad afficienda vetuſtate, & ruinæ admouenda ædificia haud ſatis idoneum ſit; quamobrem ſuſpicari merito ſubit mendum quodpiam in auctoris huius operis nomine ineſſe, & loco Leonis Tertii, vel primum, vel ſecundum dici oportere. Eoquè magis, quod alioquin etiam textum huius auctoris, ſi quemquam alium, ſcriptionis vitiis refertiſſimum eſſe conſtat.

Poſt Leonem verò Quartum vſque ad Calliſti Secundi tempora Ducentis ipſis, & quinquaginta annis ab omni ædificatione in Patriarchio Lateranenſi ceſſatum omnino eſſe dicendum foret, ſi ratio ſineret, vt quæ ſcriptores non prodidere, ne geſta quidem eſſe exiſtimare deberemus; præſertim incondita illa penitus, & rudi ætate, quæ litterarum, & reliquæ omnis elegantiæ, ac humanitatis adeo expers, & vacua fuit, vt ne veteris quidem memoriæ tot clariſſimis in vtraque lingua conſignatæ monumentis conſeruandæ ſatis animi, aut virium habuerit, ne dum nouis edendis ingeniorum operibus vacaret; omnem ſiquidem iacturam tot egregiorum voluminum, quæ nunc cum tanto Doctorum hominum deſiderio requiri videmus, ab illius, illique coniunctorum temporum incuria, ignauiaque profectam haud dubium habetur. cæterum probabile admodum eſt per annos, quos diximus, nec tempori conſuetam in omnia humana opera edacitatem nec Romanis

Pon-

Pontificibus ad ædificia tum lapſa reparanda,tum noua reſtituenda ſtudium, aut pietatem deſuiſſe;quamquam proximis ſexaginta ante Calixtum Pontificem annis non deſuere in Eccleſia diſſenſiones, ac turbæ, quæ animos hominum, ab omni ædificandi cogitatione auertere potuere, ſæuiente nimirum grauiſſimo ſchiſmate, quo vexati diù Romani Pontifices, & ſæpe etiam (quæ tunc erat temporum calamitas) profugi ſatis habebant incolumem ab impiorum inſidijs vitam, & ſpiritum ducere. Calixto demum poſt conciliatam cum Henrico V. eius nominis Imperatore gratiam, ſatis otij non ſolum ad reparanda vetera Patriarchij ædificia, verum etiam ad noua molienda fuit. Rem igitur aggreſſus à fundamẽtis excitauit in medio interiori Palatio Oratorium, ſeu ædiculam perelegantem, & forma oblongam cum tecto ligneo imbricato, exornauitque picturis in honorem S. Nicolai Epiſcopi. In huius ædiculæ apſide pingi curauit, & ſi opere parum eleganti Romanos Pontifices, qui ſe proximè anteceſſerant, initio ab Alexandro Secundo ducto. Erant verò ipſe Alexander Secundus, Gregorius Septimus, Victor Tertius, Vrbanus, Paſchalis, & Gelaſius Secundi, ijsque adiunxit ex antiquioribus Pontificibus S. Leonem, & S. Gregorium cognomento Magnos, ſemet verò in teſtudine apſidis ad Saluatoris pedes effingi curauit. Hanc porro ædiculam inſignibus aliquos Sanctorum reliquiis locupletatam vſui ipſius Romani Pontificis addixit, & iuxta eam ædificauit Conclauia duo, ſub quibus Veſtiarium conſtituit. Horum verò Conclauium alterum audientiæ ordinariæ celebrandæ, publicisque negocijs pertractandis attribuit, picturisque admodum elegantibus nobilitauit, quæ ſchiſmata proximæ (vt diximus) aduerſus Eccleſiæ vnitatem graſſata referebant, erantque Alexandri Secundi cum Cadaloo Parmenſi de Pontificatu controuerſiæ, & Gregorij Septimi, Victorisque Tertij, & Vrbani Secundi, cum Giberto Rauennate, Paſchalis Secundi cum Alberto Theodorico, & Syluestro in nomen, & iura Romanorum Pontificum per iniuriam, & violentiam inductis. Poſtremo ſe ipſum in gratiam cum Henrico V. Imperatore redeuntem, tabula grandiore effingendum curauit Addito diplomate in perpetuum rei geſtæ ad poſteros monumentum. Picturæ verò graphicam delineationem, (quam Felicis

licis Contelorii Vaticanæ Baſilicæ Canonici, & vtriuſque Signaturæ Referendarii viri eruditiſſimi benignitati me debere fateor) hic inſerui venerabilis antiquitatis memoriæ pro mea virili conſultum eſſe cupiens. Singulæ autem imagines ſuos titulos rem geſtam deſignantes præferebant, vt hic deinceps vides.


Regnat Alexander Cadolus cadit et ſuperatur.
Tunc ei Henricus obedit et inclinatur.
In Palatio Lateranensi.


Gregorius Victor Vrbanus Catinedam tenuerunt
VVpertus cum ſuis tandem deſerti fuerunt.
In Palatio Lateranenſi.


Ecleſiæ decus Paſchalis Papa Secundus
Albertū damnat magmuldum Teodoricū.
In Camera Pontificia.


Ecce Calix[2]tus honor Patriæ decus Imperiale
Nequam Burdinum damnat paceq; reformat
In Camera Pontificia.

Imagines autem huiuſmodi Romanam Eccleſiam iniquum Imperatorum, qui in eam inuaſerant, iugum excutientem deſignabant, priſtinamque non ſolùm Romanæ, ſed etiam cœterarum omnium Eccleſiarum libertatem Pontificum, quos diximus, beneficium eſſe, quod nempè ad illas ex compoſitis cum Henrico V. Imperatore controuerſiis profectum eſt; nàm deinceps tùm Romani Pontificis ditio, tùm omnes aliæ Cathedrales Eccleſiæ iura, priuilegia, & iuriſdictiones antiquas recuperauere, Cleroquè pariter, ac Monaſterijs libera ſuorum Antiſtum, electio permiſſa eſt. Exemplum autem formulæ qua Henricus ea in actioue vſus eſt ibi cernebatur in hæc maximè verba exaratum.

Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus pro amore Dei, & S.R.E. & Domini Papæ Calliſti, & pro remedio animæ meæ dimitto ei, & Sanctis eius Apoſtolis Petro, & Paulo, Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ omnem Inueſtituram per anulum & baculum & concedo in omnibus Ecclſiis fieri electionem, & liberam conſecrationem, Poſſeſſiones, & regalia Diui Petri, quæ à principio huius diſcordiæ vſque ad hodiernum diem, ſiue tempore Patris mei, ſiuè etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem S. Romanæ Eccleſiæ reſtituo, quæ autem non habeo, vt reſtituantur fideliter curabo; poſſeſſioneſquè etiam omnium aliarum Eccleſiarum, & Principum, & aliorum tam Clericorum, quam Laicorum Conſilia Principum, & iuſtitia, qua habeo, vt reddantur fideliter iuuabo, & do veram pacem Calliſto Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & omnibus, qui in parte eius ſunt, vel fuerunt, & in quibus Sancta Romana Eccleſia auxilium poſtulauerit fideliter iuuabo.

Itidem Calliſti Secundi litteræ in forma Bullæ ità erant adſcriptæ.

Caliſtus Epiſcopus ſeruus Seruorum Dei Dilecto filio ſuo Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Concedo electionem Epiſcoporum, & Abbatum Theutonici Regni, qui ad Regnum pertinent in præſentia tua fieri abſque ſimonia, & aliqua violentia, vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani, & Prouincialium Conſilio, vel iudicio ſanioris partis aſſenſum, & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his

iure

iure tibi debet, faciat. Ex alijs verò partibus Imperij conſecratus infrà ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, ſecundum officij mei debitum, auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua ſunt, vel fuerunt tempore huius diſcordiæ. Datum Anno MCXXII. Nono Kal. Octobris.

Hæc omnia in priori cubiculo circumſcripta legebantur, cubiculum verò alterum huic proximum, & picturis pariter illuſtratum, idem Calliſtus vſibus peculiaribus Pontificum addixit. Præterea ex antiquo aquæductu fontem ad Portam Lateranenſem deriuauit, lacu etiam ad equorum vſum adiecto. Ad Palatij verò commoditatem aliquot molendina ſuprà ipſum riuum diſpoſuit, vineaſquè iuxta eum lacum arboribus frugiferis diſtinctas conſeuit, vt haberent Romani Pontifices quo amœnæ remiſſionis, & neceſſariæ oblectationis cauſa interdum ſecedere, & à curis grauioribus animum ſubducere poſſent.

Innocentius Secundus poſt reſtauratum vniuerſum ædium Lateranenſium ædificium in parte Patriarchij anteriore bina à fundamentis cubicula poſt ædiculam S. Nicolai è regione Baſilicæ Conſtantinianæ nobilibus exornata picturis excitauit; in altero ex his cubiculis coronatio Lotharij Secundi Imperatoris ab Innocentio in Eccleſia Lateranenſi celebrata viſebatur, pictumque in priore parte tabulæ Regem ipſum cernere erat ſe ſe pro foribus Baſilicæ Lateranenſis, conſeruandis populi Romani iuribus, iure iurando obſtringentem. Dein admiſſum ad Pontificis complexum Diadema Imperij ex illius manu ſuſcipientem, id quod ſequenti tabula illique ſubiecto epigrammate expreſſum eſt.


Rex ſtetit ante fores iurans prius Vrbis honores
Sic homo fit Papæ ſumit quo dante coronã
In Camera Pontificia.

Quod quidem epigramma Fridericus Aenobarbus à Maiorum ſuorum pietate degenerans, tamquam eſſet Imperiali maieſtati repugnans delendum, amouendumquè curauit, offenſus videlicet eorum verſuum ſententia, qua dignitatem ſuam Romani Pontificis eſſe Beneficium affirmatur, id quod ille ſoli Deo debendum prædicabat (quemadmodum Otho Friſingenſis lib. 2. de rebus geſtis eius Principis, auctor eſt) callido imprimis, & ad onerandos iniuſtiſſima inuidia Pontifices accommodato commento, quaſi verò ſocios ſe Diuinæ Beneficentiæ illis verbis viri ſanctiſſimi, ac non diſpenſatores & miniſtros donorum cœleſtium facerent. Hadrianus Quartus conclauia ferè Patriarchij omnia, vnà cum Cameris, vetuſtate collabentia reſtituit.

Clemens Tertius additis cubiculis alijs ambitum Patriarchii Lateranenſis amplificandum curauit, & ante æneam Marci Aurelij equeſtrem ſtatuam puteum ſatis profundum effodi iuſſit.

Cœleſtinus Tertius cubicula etiam ipſe nonnulla in eodem Palatio ædificauit, vti liquet ex eius inſignibus, quæ in Paraſtatis marmoreis affixæ cernebantur; portas etiam æreas tum interioris, tum exterioris Patriarchii confecit, quæ hodieque ſuperſunt, vti in priore huius operis libro cap. XV. dictum eſt. Hæc autem Ianuæ interioris erat inſcriptio.

Incarnationis Dominicæ anno Milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto, Pontificatus verò Domini Cœleſtini Papæ Tertij anno ſexto, Cencio Camerario miniſtrante hoc opus factum eſt.

Exterioris verò, quæ ſita erat ſuper gradus ſcalæ veteris Palatij Lateranenſis, hæc fuit Inſcriptio.

Anno Quinto Pontificatus Cœleſtini Papæ Tertij Cencio Cardinali Sanctæ Luciæ eiuſdem Domini Papæ Camerario iubente, opus iſtud factum eſt.

Gregorius Nonus poſt reditum in Vrbem, vti paulo inferius dicam, animum ad reparationem ſimul, & ornatum Patriarchii Lateranenſis adiecit; quapropter pleraſque Ciuium Romanorum ædes, ac turres ad ſolum vſque amoliendas curauit, quod officere proſpectui videbantur, auxitque Patriarchium ſuperioribus cubiculis, atque inſuper non procul ab eo maximum Noſocomium pro pauperibus extruxit.

Vrbanus Quartus tectum Aulæ Lateranenſis vetuſtate penè collapſum reſtituit.

Hadrianus Quintus Patriarchium reſtaurare vniuerſum ſtatuerat, ſed cœptis mors interuenit, & ſucceſſoris Nicolai Tertij liberalitati abſoluti operis gloriam reliquit; reſtaurationi autem locum fecerat diuturna Pontificum ab Vrbe abſentia, dum inteſtinos diſſentientis eius populi motus declinandos ſibi ducũt, ex quo dilabi ſenſim omnia, ac ruere iam cœperant.

At Bonifacius Octauus marmoreum ſuggeſtum, cum porticu penes Baſilicam ædificauit de quo ſuggeſtu ſeorſim agemus.

Clemente verò Quinto ſedente in Galliis, vti iam retuli, non Baſilica modo Lateranenſis ſed Palatium quoque incendio conſumptum eſt, quod tùm ipſe Clemens Quintus, tum qui deinceps ſucceſſere Romani Pontifices, nempè Ioannes Vigeſimus Secundus, & Benedictus duodecimus, miſſis in Vrbem cum grandi pecunia idoneis hominibus, reſtituere.

Gregorio Vndecimo, qui ex Galliis ad Vrbem vna cum curia reuerſus eſt, paulò poſt è viuis erepto, Vrbanus Sextus, qui Pontificatum excepit, in Vrbe commorandi diutius otium omnino non habuit propter immane illud, & neſcio an omnium ſuperiorum longe grauiſſimum, maximumque per ea tempora Schiſma aduerſus Eccleſiæ pacem, & vnitatem exortum.

At Bonifacius Nonus vſus opportunitate molis Ælianæ, quam in Arcem munitiſſimam efformauit, primus omnium Romanorum Pontificum, Palatio Lateranenſi poſthabito, relictoque, ſedem poſuit apud Baſilicam Vaticanam, vbi paulo ante Vrbanus Quintus ædes admodum commodas extruxerat.

Ab eo tempore nullus deinceps Romanus Pontifex in Laterano habitauit, cuius id circo Palatium omnibus temporis, ac ſolitudinis iniuriis nemine defendente, aut reparante ſemper impoſterum patuit.

Eugenius Quartus porticum extruxit, qua ex Baſilica iretur ad Sancta Sanctorum, & Clauſtrum, in quo degerent Sacerdotes reſtituit.

Nouiſſime Sixtus Quartus Palatium pene collapſum reparauit. Leo Decimus cum poſſeſſionem Lateranenſis Baſilicæ more maiorum adijt, aliquot diebus in eo Palatio manſit, & pernoctauit; Poſtremo Paulo, & Iulio Tertio Pontificibus idem Palatium ruinæ proximum deiectum eſt, ita vt ex eius ingenti

mole

mole rari parietes craſſæ admodum ſtructuræ, & rudera ſine contignatione ſuperfuerint. Extabant tamen veſtigia Aulæ Leonianæ, & cubiculorum Innocentii Secundi, & Caliſti item Secundi, & Ædiculæ S. Nicolai, & Conclauium Cœleſtini Tertii, quæ ex inſignibus picturis cum elogiis ipſorum agnoſcebantur mox vero vniuerſa hæc diſiecta ſunt, quo tempore Sixtus Quintus nouæ totius Patriarchij ædificationi magnificentius iterum proditurę manus admouit, excepto dumtaxat, quod ſupereſt adhuc, ad Sancta Sanctorum, ſacello, minor parte Triclinii, ſeu Baſilicæ Leonianæ cognomento maioris, atque ædibus, quas Pœnitentiarii Baſilicæ Lateranenſis Ordinis Minorum S. Franciſci excalceati, ſeu reformati in præſens inhabitant, adeo altiſſima queque, maximaquè temporis, annorumquè edacitati tamdem aliquando ſuccumbere neceſſe eſt, quando moles illæ ſuperbæ ad certamen quodammodo æternitatis, tot Pontificum Maximorum, ac Cæſarum egregio labore perfectæ, ne cinere quidem amplius, ruinaque tantæ teſte magnitudinis, ſed inani tantummodo veterum nominum rum ore, ſtrepuque ſuperſint.

Quæ-

Quænam acciderint memoratu digna, & quæ fieri conſueuerint in Patriarchio Lateranenſi;

CAPVT II.

LATERANENSE Romanorū Pontificū domicilium, ſi quem alium Terrarum locum, inclytum imprimis, hominumque prædicatione maximè celebratum ſemper fuiſſe haud dubium eſt, non ſolum propter ſedem, ac moram Eminentiſſimorum inter mortales, ſummæque dignitatis, ac poteſtatis hominum ibi diutiſſimè habitam; verum etiam ob edita eo loci exempla in vtramque famæ partem imprimis memorabilia, multumque in ore poſteritatis, & commemoratione verſata; Mentionem autem potiſſimum faciendam cenſuimus earum rerum, quas vel ſua ſponte celebriores, vel ad antiquitatis Eccleſiaſticæ abſtruſiora quæquæ cognoſcenda magis opportunas putabimus. Et quia non magna ſolum gerendo Chriſtiana virtus inter alias cæterorum omnis memoriæ hominum inſignis fuit, ſed etiam indigna, & atrocia forti animo perpetiendo laudatam, & inuictam ſe præbuit; initium facere libet ab iniurijs, quas Romani Pontifices poſt a cceptam diuinitus opera MagniConſtantini Eccleſiæ pacem, ab Orientalibus Imperatoribus Græco iam faſtu, & corruptela infectis grauiſſimas accepere, quo ex fonte confuſio breui rerum omnium, ipſiusque Imperij primò inclinatio, deinde caſus, atque ab ſtirpe interitus eſt conſequutus. Cum omnis pretioſa Pontificū Romanorū ſuppellex, & omne Inſtrumentum ad cultum, ornatumque Eccleſiæ comparatum, item Theſauri ege-

egenorum præcipuè vſibus addicti in Patriarchio aſſeruari ſolerent, factum eſt, vt poſt Honorij Primi obitum Iſacij Patricij, & Mauritij Italiæ Exarchi ſingularis auaritia fœdiſſimo ſacrilegio inſigniretur, namque per ſpeciem compeſcendæ militaris ſeditionis, præſentisque pecuniæ eam in rem neceſſariæ expediendæ, Patriarchium vi, atque inſidiis violare, & quidquid pretioſi atque expetibilis repertum in eo eſt, aſportare, atque in prædam auertere auſi ſunt, id quod Bibliothecarius in vita Seuerini his verbis tradit.

Huius temporibus deuaſtatum eſt Epiſcopium Lateranenſe à Mauritio Chartulario, & Iſacio Patritio, & Exarcho Italiæ, cum adhuc electus eſſet Dominus Seuerinus. Sed antequam veniret Iſacius, Mauritius dolo ductus aduerſus Eccleſiam Dei, conſilio inito cum quibuſdam peruerſis hominibus incitauerunt exercitum Romanum, dicentes; quia quid prodeſt, quod tantæ pecuniæ congregatæ ſunt in Epiſcopio Lateranenſi ab Honorio Papa, & miles iſte nihil exinde ſubuentus habet, quando, & rogæ veſtræ, quas Domnus Imperator vobis per vices mandauit, ibi ſunt à Sancto viro reconditæ. His auditis exarſerunt omnes aduersùs Eccleſiam Dei, & venerunt omnes à minimo concitati, omnes armati, qui inuenti ſunt in Ciuitate Romana à puero vſque ad ſenem, in Epiſcopio ſupraſcripto Lateranenſi, & non potuerunt manu militari intraire, quia reſtiterunt eis, qui erant cum Sanctiſſimo Domno Seuerino. Tunc videns hoc Mauritius, quia nihil potuerunt, facere, dolo ductus fecit ibi exercitum reſidere intra Epiſcopium Lateranenſe, & fuerunt ibi dies tres. Poſt triduum autem introiuit Mauritius cum Iudicibus, qui inuenti ſunt cum ipſo in Conſilio, & ſigillauerunt omne veſtiarium Eccleſiæ, ſeu Cemelia Epiſcopij, quæ diuerſi Chriſtianiſſimi Imperatores, ſeu Patritij, & Conſules pro redemptione animarum ſuarum Beato Petro Apoſtolo reliquerant, vt pauperibus ſingulis temporibus pro alimonia erogarentur, ſeu propter redemptionem captiuorum, & poſtmodum miſit Mauritius Epiſtolas ſuas ad Iſacium Patricium Rauennam de hoc, quod actum eſt, quomodo ipſe cum exercitu ſigillaſſet omne veſtiarium Epiſcopij, & quia ſine aliqua læſione omnem ſubſtantiam ſæpe dictam potuiſſent deprædari. Cumque hæc verius cognouiſſet Iſacius venit in Ciuitatem Romanam, & miſit omnes primatos Eccleſiæ per ſingulas Ciuitates in exilium, vt non fuiſſet, qui ei re-

ei reſiſtere debuiſſet de Clero, & poſt dies aliquantos ingreſſus eſt Iſacius Patritius in Epiſcopium Lateranenſe, & fuit ibi per dies octo, vſque dum omnes ſubſtantiam illam deprædarentur. Eodem tempore direxit exinde ex parte ex ſubſtantia ipſa in Ciuitatem Regiam ad Heraclium Imperatorem. Poſtmodum ordinatus eſt Sanctiſſimus Seuerinus, & reuerſus eſt Iſacius Rauennam.

Hac autem direptione quæcumque à Cemeliorum Lateranenſium ex Conſtantini, ac cæterorum religioſiſſimorum Principum liberalitate profecta, ſuperiores Gotthorum, Vandalorumque clades euaſerant, periiſſe conſtat, non ſine iuſta, nec admodum ſera auctoris tanti ſceleris pœna, namque Mauritius ab eodem Iſacio tamquam rerum nouarum ſtudioſus, ac Tyrannidis affectator breui inde ſupplicio affectus eſt. Exarchos (quando in huius magiſtratus mentionem incidimus) ab ἀρχὴ græca voce ſic appellatos, Imperatores Conſtantinopolitani poſt exactos Italia, & Africa Barbaros illis Prouinciis præficere cum Imperio ſolebant. Italico Rauenna nobilis claſſium ſtatione, & Occidentalium Imperatorum domicilio, Ciuitas, ſedes erat, vbi eum, & ad motus tranſalpinos excubare commodius, & ad accipienda à Conſtantinopoli imperia opportuniorem fore viſum eſt. Non rarò tamen, prout reſpoſcebant, ad Vrbem etiam adibat, ſolemnique aduentum eius occurrentis, ac deducentis populi pompa celebrari mos erat, exceptumqué feſtis cum acclamationibus, & plauſibus inter inſtratas floribus, ac frondibus ſemitas ad Lateranum perduci, ſedem videlicet totius Ciuitatis longe auguſtiſſimam, & vetere Capitolio multo auſpicatiorem.

Sed ad Patriarchiũ Lateranenſe, ad reſque in eo geſtas redeamus. Complures Sanctiſſimi Pontifices adoleſcentiæ ſuæ primordia in eo exegerunt, & vitæ ſanctioris tirocinia poſuerunt, munia videlicet ordinum inferiorum per gradus obeuntes, per labores atque vigilias, & meliorum obſequia aſſueti, atque exerciti ad Summi Pontificatus apicem euaſerunt. Inter eos cenſeri præcipue debet Diuus Gregorius Secundus, qui ſub Pontifice Sergio educatus in hoc Patriarchio Subdiaconus, Æditiuus, & Præſes inſuper Lateranenſis Bibliothecæ fuit: Stephanus quoque Secundus Conſtantini filius ab ineunte ætate verſatus ibidem eſt, litteriſque, ac cæterarum optimarum artium ſtudiis inſtitutus. Item Paulus eius frater ipſe etiam Romanus Pontifex, ac Sancto-

rum

rum numero ob inſignem vitæ morumque ſanctimoniam adſcriptus. Non eſt hoc loco ſilentio tranſmittenda inſignis Stephani Quarti, dum adhuc priuatus eſſet, modeſtia, quod cum ſemel à Zacharia Pontifice Lateranenſis Cubiculi Miniſterio eſſet addictus, id munus obire perſeuerauit poſt acceptum etiam Presbyteri Cardinalis honorem; quouſque ſuperius memorati Stephanus, & Paulus Pontifices ſuperfuere. Hinc dubitare venit in mentem ex eo quod Anaſtaſius de hoc Pontifice ſubiicit, quod nempè in Patriarchio Lateranenſi Eccleſiaſticum peregiſſet officium, an hoc tempore Canonici Regulares huius Baſilicæ ſacra munia procurarent; propterea quod eum Pontificem religioſum eius ordinis antea fuiſſe exploratum omnino eſt, nec benè in eius inſtituti virum aulica miniſteria cadere videntur. Sanctum quoque Leonem Tertium in Veſtiario Patriarchij Lateranenſis educatum, atque in Eccleſiaſtica diſciplina, & pſalmodia, ſacriſquè Scripturis inſtitutum ferunt, Stephanum præterea Quintum, clariſſimo ortum genere, Paſchalemque Primum, & Valentinum, qui à Paſchali Cardinalis Diaconus eſt ordinatus. Item à Leone Tertio Pontifice, Sergius Secundus ob generis nobilitatem, & eximiam animi, corporiſquè indolem adſcitus in hoc Patriarchium eſt, & in cantu Eccleſiaſtico, ac ritibus ſacris inſtitutus. Gregorius verò Tertius Sanctum Leonem Quartum fama, & opinione ſanctitatis eius adductus, ad ſe in Patriarchium Lateranenſe acerſiuit, & maximè familiarem habuit. De Benedicto etiam Tertio ſcribit Anaſtaſius, cum præclara de homine fama vbique eſſet, euocatum in Patriarchium, & in eo nomen militiæ Clericali dediſſe. Sed & Hadrianus Secundus ibi diù laudabiliter verſatus, Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marci renunciatus eſt. Diuus Gregorius Magnus habitationem in eo paraſſe Scholæ Cantorum traditur, ibique Antiphonarium ſcripſiſſe, cum Sanctiſſimus Pontifex Cantores ipſemet inſtitueret; exerceretquè, quemadmodum refert in eius vita Ioannes Diaconus, qui etiam auctor eſt ſeruatum deinceps eius Antiphonarium, & flagellum, quo pueris metum incutere ſolebat, vt maiori ſtudio, & cura ſacris numeris operam darent. Idem Diuus Gregorius cum ſe de more hoſpitalem pauperibus, munificumque præberet, accidit aliquando, vt hic inter peregrinos, quos

propria menſa quotidie dignabatur, vnus acceſſerit, qui furem ſimulans gutturnium argenteum, quo manus proluebantur, ſurripuiſſe viſus eſt, & è conſpectu aliorum ſtatim euanuit, quam rem admiratus Diuus Gregorius nocte per quietem vidit ſibi adeſſe Chriſtum Dominum, ſeſe his verbis alloquentem.

Diebus præteritis me in aliorum perſona recepiſti, ſed heri me ipſum habuiſti, e hoſpitem tuum, & conuiuam.

Aliquando etiam cum à familiaribus ſuis duodecim pauperes iuſſiſſet ad menſam vocari, vidit tertium decimum aſſidere, qui vultum immutans nunc primæuæ iuuentutis florem, nunc maciem, & rugas vltimæ ſenectutis ætate variante præferebat. Quare Sanctus Pontifex hominem accerſiuit, ſtudioſiſſimè interrogans, quæ ipſius conditio, quæuè Patria, quæ demum ætas eſſet; Ille vero Angelum ſe lucis eſſe reſpondit, cui aliquando ipſe Diuus Gregorius tamquam pauperi, dum Diui Andreæ Monaſterium incolebat nummos duodecim, & matris ſuæ argenteum craterem largitus erat, quaſi ſubſidium naufragij iacturam paſſo, adiecitquè adeò liberalitatem illam cordi fuiſſe Diuino Numini, vt remunerationem eius ſupremum inter homines honoris faſtigium, hoc eſt Pōtificatus Romani apicem eſſe voluiſſet. Poſſem hic iuſtam hiſtoriā de rebus huius Sanctiſſimi Pontificis in hoc Sanctuario Lateranenſi geſtis contexere, deque ijs, quæ poſt obitum ipſius admiranda illo auctore euenerunt; plurimis enim Lateranenſis Patriarchij adminiſtris apparuit, probos, quidem ad inſtitutæ vitæ perſeuerantiam laudibus adhortando, improbos verò minis & denunciationibus à vitijs deterrendo. Præcipuè vero viſus eſt adeſſe Sabiniano Succeſſori, cui tamquam obtrectatori ſuorum operum meritò iratus videri poterat, eumquè cum ad liberalitatem, & munificentiam fruſtrà ſæpius eſſet hortatus, in obſiſtentem cœleſtibus monitis acriori remedio vſus eſt, namque percuſſo leuiter eius capite tanto eū dolore affecit, vt ex eo breui mortem oppetere cogeretur. Afferre plura id genus poſsem, ſed hæc pauca libaſse ſufficiet, ne vnius tantummodo Romani Pontificis res geſtæ referri videantur. Zacharias in Patriarchio Caput inuenit S. Georgij Martyris conditum intra vrnam per antiquam cum Græca inſcriptione, & vnà cum Clero, & Populo Romano inſtituta celebri ſupplicatione, deportauit ad Baſilicam huius Sancti Martyris

tyris

tyris, quæ in Velabro ſita Diaconia eſt. Idem Pontifex Zacharias ſtatuit vt ſingulis diebus de Lateranenſi Patriarchio cibaria diſtribuerentur Pauperibus, & Peregrinis, qui ad Sacra Apoſtolorum limina confluebant, eaquè cibaria præbebantur à Palatij eius ordinario Diſpenſatore. ſed & ijs etiam, qui inopia premebantur præſto fuit hic Pontifex, & liberalia ſubſidia per ſingulas totius Vrbis regiones erogauit. Poſt obitum Zachariæ Populus vniuerſus Stephanum quemdam Presbyterum Romanum Pontificem elegit, vti Anaſtaſius perhibet, induxitquè in Patriarchium Lateranenſe, vbi biduo manſit, tertioquè demum die, cum è ſomno expergiſceretur, ſedenſque familiares res ſuas diſponeret, momento abalienatus à ſenſibus eſt, & loquendi amiſſa facultate poſtridie exceſſit è viuis, & ſucceſſorem Stephanum Tertium habuit. Hic Beatiſſimus Pontifex Presbyteros omnes ſuos, & Clerum aduocans in Lateranenſe Patriarchium admonebat omnes ſeriò, atquè hortabatur, vt cognoſcendis Scripturis Sacris operam ſedulam darent, quo præſidio ad refellendos Aduerſarios Eccleſiæ vti poſſent. In hoc eodem Sanctuario Paulus Primus Stephani Tertii germanus frater, eiquè non ſanguine magis, quam ſuprema dignitate coniunctus morum diſciplinam, & doctrinam Eccleſiaſticam exercuit, quam à Gregorio Tertio, & à Zacharia Pontifice, à quo fuerat adſcitus in Ordinem Diaconatus, didicerat. De Adriano Primo hæc tradit Bibliothecarius.

Decernens eius ter Beatitudo, atque promulgans ſub validiſſimis obligationum interdictionibus, vt omni die centum fratres noſtri Chriſti pauperum etiam ſi plus fuerint, aggregarentur in Lateranenſi Patriarchio, & conſtituerentur in porticu, quæ eſt iuxta ſcalam (quam ſcalam ſanctam dicimus, ideſt ſub fornice veteris Porticus Lateranenſis, quæ nunc diruta eſt) *quæ aſcendit in Patriarchio, vbi etiam ipſi Pauperes depicti ſunt, & quinquaginta panes penſantes per vnumquemque panem libras duas, ſimulquè & decimatas vini duas penſantes per vnumquamque decimatam libras ſexaginta, & caldaria plena de pulmento erogentur omni die per manus vnius fideliſſimi Paracellarij eiſdem Pauperibus Chriſti accipiens vnuſquiſque eorum portionem panis, atque portionem vini, id eſt cuppam capientem calices duos.*

Baronius referens acta Leonis Tertij dum flagitium ingens

narrat à Paſchali, & Campulo aduerſus eumdem Leonem Pontificem perpetratum, hæc ſcribit.

Pontifex ſolemnem Cleri, populique cum ſupplicationibus pompam traducturus ab æde S. Laurentij, quæ in Lucina dicitur, ad ædem S. Georgij Martyris, cuius natalitia agebantur, rem Diuinam ibi facturus peragebat, Paſchalis, & Campulus diſpoſitis, qua ducenda erat pompa, inſidijs, Pontificis è Patriarchio egredientis, latera de more cinxerunt, vbi verò ad ædem Sanctorum Stephani, & Silueſtri &c.

Inde vero proſequens commemorat quo pacto ab impijs ſicariis idem Sanctisſimus Pontifex oculis erutis, lingua præciſa, & multis vulnerbus conſauciatus in cercerem detruſus eſt, vbi tamen Dei omnipotentia oculi, & lingua ſunt ei reſtituta, ac deinde ope Albini cubicularii ereptus hoſtium manibus in Galliam profugit, vbi à Carolo Magno ſummo honore exceptus eſt, reuerſus verò in vrbem magno comitatu in Lateranenſi Palatio conſedit; Cum autem Carolus Cæſar capite plecti Paſchalem iuſſiſſet, & Campulum tanti ſceleris reos, ea fuit clementia, & lenitate: vt ſupplicium inhibuerit, hactenus iræ Imperatoris indulgens, vt in Galliã relegari permitteret. Tempore Paſchalis Primi à ſcriptoribus vitæ eius habemus Theodorum Primicerium & Leonem Nomenclatorem Romæ in Patriarchio Lateranenſi confoſſis oculis fuiſſe necatos. Cum verò tanti criminis nonnulli eumdem Paſchalem Pontificem inſimulaſſent, ipſe coacta Synodo triginta Epiſcoporũ ab ea ſe calumnia egregiè purgauit. Valentinum Primum, Epiſcopi, Clerus, proceres Romani, Populusquè, S. R. E. ſupremum Antiſtitem in Laterano renunciarunt reclamantem, ac principatum omni ope refugientem, quæ ſanè fuit felix illius æui conditio, vt recuſaretur dignitatis gradus omnium, quos homines admirantur, altiſſimus, cuius nonnunquam cupiditate optimi cæteroqui, modeſtiſſimiquè mortalium tabeſcunt adeo, vt eius captandi gratia nullum non moueant lapidem, nulli parcant labori, nullamque induſtriam prætermittant, prodigiique ſimile videri poſſit ſi quando in intactas à longa ſaltem expectatione manus tanti muneris adminiſtratio videtur incidere, id quod hodierno de Principatu audacter & ſine dubitatione prædicauerimus, Satis enim conſtat, Alexandrum Septimum tranquillo, ſedatoquè animo per omne Ponti-

ficio.

ficiorum comitiorum tempus ſuffragando vni ex patribus, quem cæterorum optimum iudicabat egiſſe, nullis omnino partibus, aut ſtudiis, quę Cardinalium animos, ſi vmquam alias indiuersa diſtraxerat, immiſtum; omnemque de ſe renunciando conſultationem omne conſiliū, mentionem deniq; omnē conſtantiſſimè refugiſſe. ſed profectò veriſſimum eſt, quomodo cæteris humanis rebus, ita maximè moribus, ingeniiſquè orbem quemdam vicemquè ineſſe, vetereſquè non caſus modò, & conuerſiones rerum, ſed etiam artes & exempla, certa per interualla, ſtataſquè temporum ſucceſſiones redire. Benedictus Tertius ſpectatæ virtutis vir à Clero, & Populo Romano poſt obitum Leonis Quarti deductus ad Patriarchium Lateranenſe, in ſolio collocatus eſt, vt Baronius tradit, qui etiam ſcribit Nicolaum Primum re, & cognomento Magnum ex Vaticano, vbi vitandi honoris ſtudio delituerat, extractum, deductumquè in atrium Lateranenſe: inuitumq; ibi, & lacrimabundum, qua erat animi demiſſione, atque modeſtia, Pontificē Romanum renunciatum. Anno ſalutis duo de trigeſimo ſupra nongenteſimum fœdum memoratu piaculum, ac planè inauditum in Laterano Patriarchio a Vidone Comite Tuſculano patratum eſt, ſuadente hominem, atq; impellente Marocia Coniuge; Ioannem ſiquidem Romanum Pontificem poſtquam aſpectu crudeliſſimæ fratris eius cædis (cui patrandæ in ipſum Patriarchium percuſſores immiſerat) excruciaſſet, comprehenſum atque in cuſtodiam coniectum ceruicali ad os appoſito ſuffocauit, neque Pontificiæ dignitatis ſacroſancta Maieſtas potuit à ſcelere tam ſacrilego immanem animum retardare. Hic verò vſurpare illud Regij vatis libeat, *quàm incomprehenſibilia Iudicia tua Domine, quàm in inueſtigabiles viæ tuæ?* quandoquidem in huius Pōtificis creatione nihil ritè, nihil ordine, nihil ex legum ſacrarum præſcripto geſtum eſt. Albertus Marchio inſtinctu Theodoræ Socrus ex Archiepiſcopo eum, & Ciue Rauennate, absque Cleri ſuffragiis ad Pontificatum, opibus & potentia ſua euexit. Sanè nequaquam iisdem artibus adminiſtrauit Eccleſiæ Principatum, quibus erat adeptus, Diuinæ tamen iuſtitiæ visum non eſt impunè, & ſine memorabili ſuæ indignationis exemplo, abire permittere tam prauum, & tam ſacrilegum ad Eccleſiaſticos honores acceſſum, quo poſteri à facile inde ſequutura talia peccandi licentia abſterrerentur. No-

ta-

tabile videlicet fuit eum, qui vnius mulieris arrogantia ad ſupremæ dignitatis apicem fuerat euectus, alterius mulieris violent a fuiſſe dignitate eadem exutum; vt idem hominum genus exigendæ ab eo pœnæ inſtrumentum fieret, cuius miniſterio ad peccandum vsus erat. Ioannes Decimus ſextus, qui metu Creſcentii Conſulis Romanæ Vrbis dominationem ambientis receperat ſe in Hetruriam, ibique Imperatorem Othonem de eius iniquiſſimis conſiliis certiorem fecit, opemquè contrà Romanorum procerum erga Pontificiam dignitatem iniurias implorauit. ſed mitigatus à Conſule per amicos, & conſanguineos diligenter ei satisfacere curante ab incœpto deſtitit, cum ſua quoque ſponte minimè commodum rebus Italicis Imperatoris in Vrbem aduentum exiſtimaret. Reuerſus itaque in Vrbem eſt, atque ab obuio, cum vniuerſo Senatu, & Populo, Creſcentio Conſule in Lateranas ædes deductus eſt, in earumquè veſtibulo inter cæteros honores ſolemni pedum oſculo de more cultus tum ab ipſo Conſule, tum à cœteris eius ſeditionis auctoribus vniuerſis, veniaquè præteritorum impetrata, ſumma eſt inde pax, atque animorum coniunctio conſequuta. Poſt centum inde & quinquaginta annos memoriæ proditum eſt Benedictum Octauum, qui & Nonus dictus eſt, è Lateranenſi Sede pulſum, eiquè ſuffectum Ioannem Epiſcopum Sabinenſem, quem Silueſtrum Tertium appellauere quam contumeliam Tuſculani proceres Benedicti agnati ægrè ferentes collecta ingente agreſtium manu, atquè impetu facto, Silueſtrum è Patriarchio Lateranenſi deturbarunt, & Benedictum reſtituerunt. Item Leonem Nonum Pontificem virum eximiæ Sanctimoniæ, atque prudentiæ, dum Romæ ageret, conſueuiſſe tertio quoque die ex Laterano ad Vaticanum noctu nudis pedibus, nec maiore quam trium Clericorum comitatu ſe conferre; de quo Sanctiſsimo Pontifice illud quoque perhibetur, repertum aliquando ante fores Palatij Lateranenſis ab eo hominem leproſum, ac iuſſum ad ſua Conclauia deferri, atque in proprio lectulo reclinari, qui cum ibi manè à Cubiculario minime inuentus eſſet, certa omnium perſuaſio fuit, Chriſtum Dominum leproſi ſpecie, eo tunc hoſpitio exceptum. Cum Benedictus Nonus, dictus Decimus Antipapa per vim Stephano Nono ſubrogaretur, Patricius Comes Tuſculanus, & Gerardus Comes

Ga-

Galeriæ, quibus tunc Populus Romanus Ducibus vtebatur, eiuſdem Pſeduopontificis affines nocte intempeſta concitato tumultu cum armatorum manu Patriarchium Lateranenſe, & Conſtantinianam Baſilicam occuparunt, & erogata ingenti pecuniæ vi Ioannem Pontificem conſtituerunt, Benedictum vt diximus appellatū atque in Pontificio Laterani ſolio collocarunt Cardinalibus quibuſdam præſtantioribus minimè conſultis, imò & ſpuriæ huic electioni omni repugnantibus ope. Dum Alexandri Secundi tempore cum totius Chriſtiani Orbis offenſione Schiſma inter ipſum, & Cadaloum Pſeudopontificem dictum Honorium ſecundum arderet, hic proditione Cincij Nobilis Romani Arcem S. Angeli Ciuitatis Leoninæ, & Pontis Miluii Cāpos occupauit. Alexander verò valido cōparato Præſidio ſe ſe Laterano continuit, ibique tutus ab inſidiis Cadaloi fuit. Item quo tempore Hadrianus Quartus Romæ ſe minimè ſaluum eſſe poſſe credebat ab iniuria populi, ac Senatus, quorum animum offendiſſe videbatur, quod ipſis inſciis, inque conſultis Friderico Ænobarbo Coronam Imperii contuliſſet, Vrbem Veterem ſe recepit, ibique aliquandiù eſt commoratus. De illius autem ad Vrbem reuerſione, Ciaconius ita ſcribit, deque Patriarchio Lateranenſi mentionem interſerit in hæc verba.

Appropinquante autem hyemis tempore ad amœnum, & Populoſum Viterbij Campum deſcendit, & inde ad Vrbem (inducijs cum Romanis factis) & Lateranenſe Conciſtorium cum gloria, & honore debito remeauit, qui hæc ſimilia, tamen adiungit. *Hadrianus Quartus de Ciuitate Leoniana cum magnificentia magna exiuit, & pertranſiens per mediam Vrbem vniuerſo ſibi Populo congratulante ad Lateranenſe Patriarchium cum iucunditate peruenit, ibique die ipſo, ſcilicet in Cœna Domini, & ſecunda tertia, & quarta feria ſolemniter Diuina Myſteria, atque in Lateranenſi Palatio ſecundum antiquam conſuetudinem Paſcha feſtiuè celebrauit, & ſinguli ad propria cum gaudio redierunt.*

De Alexandro Tertio hæc referuntur. cum Fridericus ferali illo contra Romanum Pontificem incenſus odio, in Diui Petri ſedem Paſchalem Antipapam inducere ſtatuiſſet, caſtra eum in pratis Neronianis poſuiſſe, ac mox irrupiſſe in Vaticani Suburbium illato igne in ædificia proxima Baſilicæ Sancti Petri,

quæ

quæ cum incendio ſenſim afflari cœpiſſet, metu perculſi qui cuſtodiæ præerant, deditionem fecerunt, Friderico Cæſare ſimulque Paſchali Pſeudopontifice intra Baſilicam admiſſis. Quod vbi cognouit Alexander, ratus videlicet in ædibus Lateranis haud quaquam ſe tutum, ad ſedes proximas Fregepanorum profugit, quorum inſignis ea tempeſtate Romæ potentia & nobilitas erat. Præterea poſt legem ab eodem Alexandro Tertio latam, de electione ſummorum Pontificum, Cardinales poſt celebratas eius exequias habuerunt Comitia in Laterano, & intra biduum elegerunt Vbaldum Allucingulum patria Lucenſem, qui Lucius Tertius eſt appellatus. Hic Pontifex adſtantibus Cardinalibus Guillelmum Scotiæ Regem à Rogerio Eboracenſi Archiepiſcopo Alexandri Tertii, & Sedis Apoſtolicæ Legato excommunicatum, ſupplicantibus illius Oratoribus Iocellino Epiſcopo Glaſcouienſi, & Arnoldo Meliroſenſi Abbate Ordinis Ciſtercienſis, ab anathemate in Lateranenſi Palatio abſoluit, Regnumquè vniuerſum eius Interdicto liberauit, ea tamen conditione, vt Ioannem Epiſcopum S. Andreæ canonicè electum ſuo fungi munere, atque in tranquillo deinceps agere permitteret. Innocentio Tertio Pontifice electo Petrus Vrbis Præfectus in Conſiſtorio Lateranenſis Palatii. Publicè acceſſit, ac iurauit, ſe illi, eiuſquè ſucceſſoribus, & Romanæ Eccleſiæ fidelem fore, & tum inueſtituram Præfecturæ, atque adeò mantum, quod vocant, accepit, quæ ornamenta collata Pontificis manu eum ligium hominem, vti appellabant, fecerunt, quin etiam poculo aureo, quod erat inſignis beneuolentiæ monumentum, à Pontifice donatus eſt. Gregorio Nono Romam è Viterbio redeunte, Ioannes Cincius Senator pecunia Friderici Secundi Hoſtis Eccleſiæ Romanæ corruptus occupato Capitolio ab ingreſſu eum Vrbis prohibere conatus eſt, verùm potentes aliquot Pontificis amici, ſimulque primores Ciuitatis Cincii temeritatem, atque audaciam fregerunt, eumquè cum ſuis copiis in fugam verterunt, Pontificem verò exceptum honorificè ad Lateranum deduxere. Iacobus Cardinalis Caietanus in libro ſuo de Iubilei anno milleſimo trecenteſimo, cui titulus eſt (Hiſtoria Centeſimi) hæc habet de Lateranenſi Patriarchio.

Diebus triginta continuis vtramque Baſilicam peregrinationis cauſſa ingreſſi ſumus, nec minus ſæpè eadem die Lateranum ad

Con-

Conſiſtorium matutina luce properantes &c.

Quod autem ad alteram præſentis tituli partem attinet, de rebus videlicet in Patriarchio geri antiquitus conſuetis, quia ſingula eius propoſiti curioſè perſequi longum, ac prope infinitum eſſet; contentus vno, aut altero materiæ capite ſequentibus duobus titulis explicando, in reliquis ſatis exiſtimo futurum generatim innuere peculiarẽ in ædiſicio Lateranenſi ſedem, quomodo Pontificum ipſorum, ita nobiliſſimarum quarumque actionum Eccleſiæ vniuerſæ, rituumque eius, ac ſollemnitatum fuiſſe, tanquam in auſpicatiſsimo, Deoque, ac ſuperis longe acceptiſsimo terrarum loco, in eaque felicitate per decem ipſa ſæcula poſt libertatem ab antiquis gentilium inſectationibus chriſtiano nomini quæſitam perſeueraſſe, donec conſequentium temporum iniquitas, præſidiique ad Aelianam arcem impoſiti opportunitas in Vaticanum penè omnia transferi coegit.

De Presbyterio, & quando, aut quo loco à Pontificibus conferri conſueuerit.

CAPVT III.

INTER cœteros antiquorum Pontificum ritus, in celebrandis feſtis quibuſque ſolemnioribus vſurpatos, minimè vulgarem fuiſſe, accepimus Præsbyterij diſtribuendi conſuetudinem, cuius quoniam nomen ſimul, ac vſus à promiſcua eruditorum cognitione remotus eſt, non incongruum futurum exiſtimaui hic de eo pauca ſubijcere. Pontifices Maximi donum, quod Presbyterium appellabant, & certà pecuniæ ſummà continebatur, ex veteri inſtituto præcipuis ſolemnibus diebus Clero, & Populo Romano in ſignum quoddam lætitiæ, & gratulationis erogare ſolebant; Lateranenſe vero Patriarchium locus erat, in quo eiuſmodi munus diſtribui mos erat, cuius rei mentio non ſemel apud Anaſtaſium Bibliothecarium facta reperitur, namq; in vita Theodori Papæ hæc habet

Pyrrhus, qui fuerat Patriarcha Conſtantinopolitanus, Romam ex Africa ad limina Apoſtolorum venit. Tunc Papa Theodorus fecit eum munera erogare Populo, & Cathedram ei ponere iuxta Altare, honorans eum tamquam ſacerdotem Regiæ Ciuitatis.

In vita Ioannis Quinti.

Hic moriens dimiſit omni Clero, Monaſterijs, Diaconis, & Manſionarijs benedictionem in auro, ſicut Prædeceſſor ſuus Benedictus Papa.

In Bonifacij Secundi, Bonifacij Quinti, Seuerini, & Ioannis Quarti geſtis multa habet, quæ ne longior ſim omittenda decreui.

In

In vita Gregorii Secundi.

Hic dimiſit omni Clero, Monaſterijs, Diaconis, & Manſionarijs ſolidos MMCLX.

Diſerta vero Præsbyterii mentio in Zacharia, vbi ait.

Hic valdè Clerum ſuum dilexit, ac Præsbyteria eis annua in duplo, & amplius tribuit omnibus.

In Agathonis, Domnionis, & Eugenii Secundi vitis plura ad hunc propoſitum habentur. De Eugenio autem ſic habet.

Rogam ſolitam Clero tribuit, & indigentibus eleemoſynam ſubminiſtrauit, vt etiam die tranſitus ſui pauperibus, vel Clero, ſeu familiæ Præsbyteria in integro erogare præcepit.

In Leone Tertio, & tandem in Paſchali Secundo monumentum extat huiuſmodi.

Hic rogam omni Clero ſuo Præsbyterio multipliciter ampliauit.

Dies autem ipſi quibus erogatio huiuſmodi fiebat, item perſonæ eius emolumenti participes, ordoquè, & modus ad cuius rationem diuidi Presbyterium mos erat, quia diligenter admodum in veteri Cencii Cardinalis Camerarij libro rituali recenſentur, & eſt res cognoſcendæ Eccleſiaſticæ antiquitatis inprimis idonea, eius ipſius verba hanc materiam tractantia, hic apponere in animo eſt, ſunt autem huiuſmodi.

ROMANVS ordo de Conſuetudinibus, & obſeruantijs Presbyterio videlicet Scholarum, & alijs Eccleſiæ Romanæ in præcipuis ſolemnitatibus.

In Natiuitate Domini &c. finitis laudibus legitur prius latina Epiſtola, & poſtmodum Græca ſuper pulpitum, ſic & legitur Euangelium Latinum, & Græcum. Expleta verò Miſſa D. Papa coronatur ad portam ipſius Eccleſiæ ab Archidiacono cum vno Diacono, reditque cum proceſſione ad Palatium. Tunc Iudices, & Aduocati veniunt ei obuiam ſub gradibus in porticu, ibique Prior, Cardinalis S. Laurentij foris murum cum Iudicibus, & Aduocatis faciunt ei laudes, deinde Iudices ducunt eum vſque ad locum illum, vbi datur Presbyterium. Tunc verò exuunt eum planeta, & appoſito manto ſuper ſcapulas ſedit in fonſtetorio, ſeu Cathedra, & legitur Presbyterium cunctis ordinibus Papa manu taliter.

QVOMODO datur Presbyterium.

Priori igitur Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ dat D. Papa dupli-

catum Preſbyterium ſcilicet quatuor Melequinos, & quatuor Sol. denariorum Papienſium, ſingulis ſcilicet. ſi forte Archiepiſcopus aliquis extraneus tunc præſens fuerit, pro voluntate D. N. Papæ datur ei Preſbyterium, ſed de ratione tantum debet habere quantum ſupradictus prior Epiſcoporum, quatuor ſcilicet melequinos, & totidem ſolidos. Si verò aliquis Epiſcopus extraneus fuerit vnum melequinum debet habere, & duodecim denarios papienſes. Priori Preſbyterorum Cardinalium dat D. Papa duos melequinos, & totidem ſolidos, pro prioratu Priori Preſbyterorum S. Laurentij foris murum, pro laude duos ſolidos. ſimiliter melequinos, & totidem ſolidos omnibus, & ſingulis alijs Preſbyteris Cardinalibus vnum melequinum, & duodecim denarios Papien. Priori autem Diaconorum Cardinalium quatuor Melequinos, & totidem ſolidos pro Prioratu, Preſbyterio, & laude Diaconorum & Subdiaconorum. omnibus alijs Diaconis, & ſingulis vnum Melequinum, & duodecim denarios Papienſes. Diacono Græco vnum Melequinum, & duodecim denarios Papienſes. ſi fortè aliquis Abbas mitratus præſens fuerit, ei vnus Melequinus, & duodecim denarij Papienſes. Primicerio autem datur vnus Melequinus, & duodecim denarij Papienſes, Priori Subdiaconorum vnus Melequinus, & omnibus alijs Subdiaconis. Similitèr ſi etiam centum, centum vel quinque, vel plus, aut minus duodecim Melequini. Subdiacono Græco vnus Melequinus; Vnicuique Scholæ Cantorum vnus Melequinus, vnicuique Scholæ Cruc., qui eſſe debent de Iure ad plus quatuor, & non plures. Prior Preſbyterorum Cappellanorum duo, & non plures vnus Melequinus. vnicuique Cappellanorum Domni Papæ vnus Melequinus. Præfecto Vrbis quadraginta ſolidi denariorum Papienſium, qui videlicet Præfectus ab Eccleſia ſanctæ Mariæ vſque ad Palatium indutus manto pretioſo, & calceatus Zanca vna aurea, vna Caliga, altera rubea, eadem die, & ſecunda, & etiam in diebus Paſchæ, & quando Papa eligitur, iuxta D. Papam collateraliter, nullo medio, equitando incedit. Senatorum vero qui tunc Vrbi præſunt medietas accedit pro Preſbyterio, & ad comedendum cum D. Papa, quorum vni D. Papa, vel duobus pro omnibus alijs Preſbyterium pro vnoquoque Senatore ſcilicet vnum Melequinum. Dat D. Papa vnicuique Iudicum Vrbis vnum Melequinum, & duodecim ſolidos denariorum Papienſium, excepto Priore qui debet habere vnum Mele-

Melequinum vltra pro Prioratu, & vnum Melequinum pro laude. Vnicuique Aduocatorum vnum Melequinum, & duos ſolidos denariorum Papienſium. Omnibus Scriniarijs quotquot ſunt ſex Melequinos, & ſex ſolidos denariorum Papienſium. Præfecto Naualium, qui dicitur de langarij duos Melequinos, & quatuor ſolidos denariorum Papien. Et ſciat ſecutura poſteritas, quod nulli alij D. Papa propria manu non ſuperius nominatis debet Presbyterium dare.

Presbyterio, vt ſuperius dictum eſt, dato, D. Papa ſic indutus, ducitur à Magiſtro Seneſcalco, & Magiſtro picerum ad menſam in Baſilica Leonis Papæ Tertij, ad menſam verò legit vnus de Diaconis Cardinalibus cum pluuiali. Circa vero finem menſæ Schola Cantorum debet Cantare ſequentiam &c.

Die Sancti Stephani. *Cumque ſic ad prædictam Eccleſiam S. Stephani deueniunt, depoſito Regno intrat Eccleſiam, factaque ordinatione vadit ad ſacrarium, & depoſita planeta alba, induit rubeam, & celebrat Miſſam ſicut heſterna die in omnibus; Miſſa vero finita reaſſumit planetam albam, & induit Regnum. Cætera verò fiunt, ſicut prima die excepto Presbyterio, quod ſic datur. Vnicuique namque Epiſcoporum Curiæ dat D. Papa duos Melequinos, & duos ſolidos Papienſes, vnicuique Presbyterorum Cardinalium vnum Melequinum, & duodecim denarios Papienſes, excepto Presbytero Sancti Laurentij, cui dantur duo pro laude, & Presbyterio. Vnicuique Diacono Cardinali vnus Melequinus, & duodecim denarij papienſes; excepto Priore, cui datur vnus amplius pro laude. Vnicuique Archiepiſcoporum duo. Vnicuique Epiſcoporum Forenſium vnus Melequinus, & duodecim denarij Papienſes. Omnibus alijs, ſicut altera die, eo excepto quod Subdiaconi omnes non habent niſi duodecim Melequinos cum Priore, & etiam quod Præfectus non habet niſi duodecim ſolidos denariorum Papienſium. Dato Presbyterio ducitur Domnus Papa ad menſam ſicut die prima.*

In cœna Domini. *Prior vero baſilicæ ſecundum conſuetudinem antiquã Marabottinũ vnum debet habere ſine denarijs Interim Primicerius cum Cantoribus, & alijs Ordinibus cantant Veſperum, quo finito, cantant, Dominus Ieſus poſtquam cœnauit. Sed dum iſta geruntur, Summus Pontifex Presbyterium ita largitur. Vnicuique Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ duos Marabottinos, & duos ſolidos dena-*

denariorum Papienſium, ſi forte Archiepiſcopus intereſſet, tantundem. Vnicuique Epiſcoporum Forenſium, & Presbyterorum Cardinalium, & Diaconorum Cardinalium vnum Marabottinum, & duodecim denarios Papienſes. Primicerius debet habere vnum Marabottinum ſine denarijs. Quiſque Cantorum duodecim denarios Papienſes. Et notandum, quod nec Schola Crucis, ſeu Clericus alius, vel Laicus eadem die habet Presbyterium. Manus etiam Prioratus nemini dat, In exitu autem Baſilicæ de accepto Presbyterio Ianitoribus, & Cubicularijs duos denarios Papienſes pro vnoquoque ſolido, exceptis Prioribus qui non dant aliquid, quiſque largitur.

Die Paſchæ Presbyterium dabatur à Pontifice in cubiculo ſuo, quòd à Camerario in polubro argenteo recipiebat, & ea ratione, qua in die Natalis Domini illud Cardinalibus, & reliquis Ordinibus diſtribuebat.

Secundo die Paſchæ Presbyterium dabatur Poſtquam Pontifex à Sancto Petro reuerſus fuiſſet, eadem ratione, qua in die Sancti Stephani.

In Letania maiori, in fæſto Sancti Marci. *Sciendum, præterea quod vnaquæque Eccleſia, quæ eadem die pergit proceſſionaliter apud S. Petrum, Presbyterium habet de 25. libris denariorum, quæ de Altare S. Petri proper hoc accipiuntur. Vniuerſi vero mitrati 40. ſolidos in Preſbiterio, qui ſimiliter de prædicto Altari habentur, & inter omnes æquali pro portionis libamine diuiduntur. Item Cardinales mitrati ſolummodo cum Primicerio, & ſchola ſua Cantorum, & Subdiacono, & Schola Crucis, & Accholythis decem ſolidos habent eadem die de prædicto Altari, qui taliter diuiduntur à Priori Diacono Cardinali, in cuius manu traduntur. Dat itaque in primis Presbyteris Cardinalibus viginti duos denarios. Deinde Diaconis Cardinalibus viginti duos denarios. poſtea Subdiaconis viginti duos denarios. Primicerio poſtmodum cum Schola viginti duos denarios. Scholæ vero Crucium viginti duos. Vltimo Accolythis decem denarios, ad hoc Domnus Papa habet quadraginta ſolidos eadem die, & de eodem loco. Et notandum quod in omni Statione apud S. Petrum habet D. Papa quadraginta ſolidos de Altari quando celebrat miſſam, prædicti etiam Cardinales Subdiaconi, Primicerius cum Schola Cantorum Schola Crucis, & Accolythi prædictos decem ſolidos ſic diuiſos in omni Statione, & ſi D. Papa non inter*

ter fuerit , & aliquis Cardinalis celebrauit ibi de eodem Altari debet habere. Si vero D. Papa extra Vrbem fuerit , & Vicarius, vel aliquis Cardinalis, ſeu aliquis extraneus Epiſcopus de mandato D. Papæ interfuerit, & ibi Diuina celebrauerit ſimiliter debent de eodem loco decem ſolidos dari , & ille , qui tunc, ſicut ſcripſi celebraret diuina præſcripta de mandato D. Papæ quadraginta ſolidos recipit de ipſo Altari, quos D. Papa reciperet, ſi tunc celebraret Diuina . Præſcripti vero quadraginta ſolidi qui Mitratis dantur etiam ſi D. Papa fuerit extra Vrbem de eodem loco ipſis ſi interfuerint exhibentur ; Si autem in Vrbe fuerit, & non perrexerit in proceſſione, ſeu celebratione, nihilominus habent Clerici tamen Vrbis ſemper habent ſupradictas viginti quinque libras, ſiue D. Papa ſit in Vrbe, ſiuè extra , ſeu cantauerit, aut non, quæ diſtribuuntur, vt inferius deſcribetur. Hoc ſiquidem eſt nullatenus prætermittendum, quod ſi forte ex quo toalea apponitur à Cappellanis ſuper Altare aliquid oblatum fuerit, propriè ipſorum Cappellanorum eſt , nullo alio cum ipſis participante, & ita durat donec ad Altare pro Miſſa cantanda D. Papa accedat . Quicquid verò, D. Papa poſtquam acceſſerit ad Altare, donec idem pronunciauerit, Ite Miſſa eſt, ſuper oblatum fuerit, ſic diuiditur. In primis dantur Mareſcalcis duodecim denarios, & notandum quod in omni Statione, in qua D. Papa celebrat Diuina apud S. Petrum tantumdem debent. In omnibus etiam alijs ſtationibus aliarum Eccleſiarum vbi D. Papa celebrat Diuina , de oblationibus Altaris, ſeu quæ fiunt poſt Euangelium D. Papæ prædictis Mareſcalcis dantur ſex denarij. Quod ſi forte contingeret oblationem aliquam non eſſe niſi illam, quæ debet eſſe mapular; Mareſcalci ipſi de eadem oblatione ſex denarios habent. Si verò oblatio non adfuerit Eleemoſynarius dat eis de eleemoſyna ſex denarios quotieſcumque D. Papa cantat, & quocumque loco cantat, quando non eſt ſtatio, debet eiſdem Mareſcalcis eleemoſynarius de eleemoſyna dare. Datis duodecim denarijs Mareſcalcis ſicut dictum eſt ſuperius , datur melior moneta Primicerio. Deinde de reſiduo datur ſexta pars Primicerio, & Scholæ Cantorum ; reliqua verò partis medietas datur Cardinali Diacono, & Subdiacono. Alia vero medietas ſolummodo Cappellanis. Miſſa vero de more cantata D. Papa reuertitur ad Palatium. Si vero Camerarius voluitur, diſtribuet viginti quinque libras Presbyterium ſupradictum. Si autem Priori Baſilicæ, & Re-

Ctori-

ctoribus Vrbis diſtribuendum committet illis, qui interfuerant ad ſcribendum adiunctis, de iſto Presbyterio datur. De iſto Presbyterio dantur in Primis S. Petro viginti ſolidos. S. Ioanni Lateranenſi ſex. S. Mariæ Maiori quinque ſolidos S. Lauretio foris murum quinque ſolidos, vnicuique Cardinalatuum tres ſolidos, illis exceptis, qui lectos ſupradictos in proceſſione parant, qui propter hoc duodecim denarios ampliùs habent. Vnicuique Diaconiæ duos ſolidos, excepta S. Maria Noua, quæ pro lecto vltra duodecim denarios habet, & excepta Eccleſia S. Theodori, quæ pro palatio debet habere duodecim prouen. Vltra, vnicuique Monaſterio extra vrbem tres ſolidos. Iſtis autem Monaſterijs dantur in Vrbe tres ſolidi, Monaſterio S. Cæſarei, Monaſterio S. Agathæ, Monaſterio Paniſpernæ, Monaſterio de Pallaria, Monaſterio S. Coſmæ Tranſtyberim. Monaſterio S. Sylueſtri in Capite. Monaſterio in Capitolio, Monaſterio S. Alexij; Monaſterio. S. Sabæ, Monaſterio Cluuis Cauci, Monaſterio S. Baſilij, Monaſterio S. Crucis, S. Mariæ in Monaſterio. Iſtis vero Monaſterijs, & Eccleſiis duo ſolidi, Monaſterio Iuliæ, Monaſterio S. Bibianæ, Monaſterio Campi Martij, Monaſterio D. Roſæ, Monaſterio Tempoli, Monaſterio S. Ioannis Portæ Latinæ, Monaſterio Maximæ, Monaſterio Biberaticæ Monaſterio S. Thomæ de formis, Monaſterio Muandi, Monaſterio S. Trinitatis, Monaſterio S. Ioannis de Inſula, Monaſterio S. Leonis Monaſterio S. Cæſarei Monachorum, Monaſterio S. Ciriaci. Iſtis Eccleſiis decem & octo denarij. S. Mariæ in Monticello, S. Thomæ de fraternitate, S. Martinæ, S. Triphonis, S. Mariæ Rotundæ, S. Apollinaris, S. Celſi. Iſtis Cappellis duodecim denarij, S. Vincentio, S. Michaeli, S. Mariæ in Saxia, lecto graduum, S. Mariæ Synodochia, S. Mariæ in Catenar. Saluatori Campi, S. Paulo Aureolæ S. Anaſtaſio arcolæ, S. Quirico, S Aberciro, S. Mariæ à flumine, S. Stephano de Pinea, S. Macuto, S. Mariæ de Canello; S. Laurentio Piſcinulæ S. Laurentio de Mondozar, S. Mariæ in Petrochia, S. Mariæ Secundicerei, S. Valentino extra Vrbem, Hoſpitali S. Blaſii de Mercato, S. Mariæ in tranſpedin. Omnes autem aliæ Eccleſiæ Vrbis ſingulariter debent habere octo denarios, Virgarij decem ſolidos prou. pro lecto habent. ScholæGuidonum decem ſolidos. Scriniarij nouem ſolidos. Scriptores duodecim denarios. Rectores Fraternitatis duodecim denarios.

Etiam pro initio Pontificatus nouus Pontifex ad Lateranum ſolemni

lemni pompa progrediens presbyterium erogare ſolitus erat quę conſuetudo deinceps vſque ad hæc noſtra tempora, quamuis mutato largitionis huius nomine perſeuerauit, ſeruaturq; adhuc Pontifice celebri cum equitatu, veluti in triumpho, ad Epiſcopatus ſui Lateranenſis poſſeſſionem adeundam procedente; tunc enim ſuis manibus ſingulis Cardinalibus numiſmata aureum alterum, alterum argenteum diſtribuit, multaque ſimilia numiſmata pariter Archiepiſcopis, Epiſcopis, Oratoribus Regum, Senatui Romano, Magiſtratibus, primarijs Præſulibus, qui ei pompæ interſunt, nec non Canonicis Lateranenſis Eccleſiæ diſtribuit. Hoc autem donum elargiri ſolet Pontifex in Aula, quæ prima occurrit nouum Sixti V. Lateranenſe Palatium adiuntibus ante quam populo benedictionem impertiat: Vt coniici non immerito poſſit, Præsbyterium olim etiam in prima veteris Patriarchij Aula diſtribui à ſummis Pontificibus conſueuiſſe.

De Concilijs in Lateranenſi Patriarchio celebratis.

CAPVT IV.

NIHIL frequentius, nihilquè ſolemnius veteri cum cæterarum omnium, tum præcipuè Romanæ Eccleſiæ more Synodos & concilia celebrandi; id enim publicum rei Chriſtianæ conſilium putabatur, cuius miniſterio, ne ſemper miraculis, & extraordinario Omnipotentis auxilio opus eſſet, in mentes Patrum promiſſa Diuinitus S. Spiritus illuſtratio deſcendebat, eaſq; ad opportuna de religione, cultuquè diuino, & animarum ſalute decernenda ratione, & conſilio dirigebat. diximus autem nonnulla hac de re in altero huius operis volumine, cum peculiarem de noſtra Baſilica tractatum haberemus, omniaq; œcumenica concilia apud Vrbem celebrata, item alia quædam inſigniora, quæ in ipſa Baſilica habita ſunt, illuc putauimus conijcienda; nunc aliqua ſubiiciemus de habitis in Patriarchio, cuius materiam hoc libro tractamus, nequè tamen exactam omnium ſeriem complecti in animo eſt, cum penè innumerabilia fuiſſe arbitremur, neque ſingulorum ſatis digna in memoria poſterorum veſtigia extare.

Prima Synodus in Laterano habita eſt à Milchiade Summo Pontifice in ædibus Fauſtæ Conſtantini Principis vxoris, vt ſupra diximus, qui remiſsis ad ſe Epiſcopis, qui pro Donatiſtarum controuerſiis Imperatorem adierant, Cœcilianum Charthaginenſem criminum, quibus arguebatur, inſontem pronunciauit: Damnauitque, cum ſequacibus ſuis Donatum, quod ſemel baptizatos iterũ baptizare non dubitaſſet, & nonnullos Epiſcopos hæ-

hæreticos per manus impoſitionem contra Canonicas regulas ad Eccleſiam recepiſſet. Appellaſſe quidem ab ea ſententia Maiorinus vnus ex damnatis Epiſcopis traditur; atquè Imperatoris Conſtatini cognitioni ſe iterum ſubieciſſe, exhorreſcente religioſiſſimo Principe ad hominis impij peruicaciam, vt etiam exclamaſſe dicatur *O rabida furoris audacia*; *ſicuti in cauſis gentilium fieri ſolet*, *appellationem interpoſuerunt*; miratus videlicet quicquam in terris ſublimius Epiſcoporum iudicio exiſtimari. Magnę ſane per ea tempora turbæ diſſenſioneſque ab hoc Donatiſtarum motu Eccleſiam Dei ſollicitam, & inquietam habuère, valeſcentibus aduerſus catholicos huiuſmodi factionis ſequacibus, cauſamquè ſuam diſciplinæ auſteritate, quam in ſpeciem præferebant, tuentibus, nec ab vlla re æquè vehementer, ac ab hęreticorum, & ſchiſmaticorum nomine abhorrentibus. & quia inſita iam inde ab ipſis noſtræ religionis initijs in animis fidelium perſuaſio maximè eius ætatis homines tenebat, neminem perfecta cum Deo charitate coniunctum, vereque catholicum dici poſſe, qui à Romana Eccleſia diſſentiret, omni conatu, omniquè induſtria vnitos eſſe cum ea ſe videri contendebant; cum autē ſocietas lucis, ac tenebrarum nulla ſit, Chriſtique doctrina cum operibus Belial nullo pacto conueniat, illuc etiam non multo poſtea deuentum eſt, vt certum apud vrbem ſuarum partium hominem conſtituerent, qui erga cœtum Donatiſtarum, per ea tempora in vrbe frequentiſſimum Epiſcopali poteſtate vteretur, cui communicantes cum Romano Pontifice egregiè ſibi conuenire, nec eſſe quamobrem catholici dici nequirent iactabant. Ne igitur in ſinceram, & ab eius labis inquinamentis intactam gregis dominici partem quicquā inde contagionis irreperet, ſalutari conſilio ſapiētiſſimus Antiſtes vel inſtituit, vel (vt alijs placet) pridē inſtitutū freqēntiore, & certiore in vſu eſſe voluit eū ritū, qui à Gręcis eulogiarū vocabulo celebris eſt, & apud Oriētales Eccleſias adhuc vſurpari conſuetus, vt videlicet panem fermentatum veluti ſymbolum communionis, ab Epiſcopo acceptum, benedictumque Presbyteri Parœciarum præſides plebi ſibi quiſque commiſſæ inter alia Chriſtianorum rituum ſolemnia diſtribuerent. Appellabatur autem fermentum, quia à pane azymo, atque adeò ab Euchariſtiæ myſterio diſtinguebatur; ſed & Sacramenti etiam nomen ferebat, non aliam tamen ob cauſam, quàm quòd Epiſcopali

benedictione ſacratus erat, quamobrem panes huiusmodi, benedictiones etiam, & Eulogiæ (vt iam diximus) recepto inde paſſim vocabulo dicebantur. Ex crebro autem huius cerimonię cultu futurum prouidebat Melchiades vt abſtinentibus ſe à talis benedictionis participatione Schiſmaticis, purior à mixtione impiorum, & à maculæ contractione remotior Eccleſiæ facies appareret. Nec alio pertinere veriſimile eſt ieiuniorum ab eodem Pontifice cultus diebus Dominicis, & feria quinta obſeruari prohibitus, quod ijs diebus ſacra quædã ieiunia paganis celebrare mos eſſet. Quæ quidem res omnes à Melchiade Pontifice ſapienter, & ex vetere chriſtianæ diſciplinæ regula geſtæ haud alienæ viſæ ſunt à noſtri operis inſtituto, in quo haud quaquam leuis & perſunctoria mentio fieri debuit eius viri, cuius virtutem, & ſanctimoniã præcipuum momentum primæ Conſtantinianæ in hanc noſtram Eccleſiam liberalitatis, imo totius Lateranenſis ædificij, rerumque, & rationum eius omnium originem, ac fundamentum fuiſſe haud dubium eſt; vtpotè cuius antiquiſſimus harum ædium vſus occaſione huius ipſius concilij, de quo loquimur, memoretur.

Alteram inſignem in Laterano Synodũ in Baſilica Iulia à Symacho Pontifice habitam accepimus. Cauſam præbuit Laurentius Præsbyter Cardinalis, qui ſuperſtite adhuc Anaſtaſio Secundo Summo Pontifice cum Cardinalibus, quiquè alij in creandis Pontificibus Maximis maiorem præ cœteris ea tempeſtate auctoritatem habebant, egiſſe dicitur, vt in futuris Pontificiis comitiis ſibi potiſſimum ſuffragarentur, cuius rei præſtandæ cum tempus mortuo poſtmodum Anaſtaſio adueniſſet, ingens eſt orta in Eccleſia Romana perturbatio per ſummam leuitatem, atquè arrogantiam Laurentii ſeſe, electo interim Symacho, Romanum nihilominus Pontificem ferentis; quo circa, diuiſa Ciuium ſtudia cum eſſent, in media Vrbe prælium ingens factum eſt, multiquè mortales vtrinquè deſiderati, æquatis autem partium viribus eò deuentum neceſſariò eſt, vt arbitrium renunciandi Pontificis Theodorico Gothorum Regi apud Rauennam tunc agenti permitteretur, qui eiecto Laurentio Symachum, cuius cauſã meliorẽ duxit, in adepto Romani Pontificis ſolio confirmauit. Conſtituto autem hac ratione rerum Chriſtianarum capite bellum in Eccleſia magis deſiiſſe, quam pax cœpiſſe videbatur

batur, irritatis ea contentione procerum ciuitatis animis, nec vnquam satis æquis oculis in tranquilla eius faſtigii poſſeſſione Symmachum Antiſtitem adſpicientibus iis, quos conſcientia excitati contra eum Schiſmatis arguebat; Igitur ad accuſandam eius vitam, carpendoſquè mores variis criminibus conuerſi ſunt, iudiciumquè eius rei referebant ad eundem Regem Theodoricum pacificandæ in proximo Shiſmate Eccleſiæ felici tum cura defunctum; qui tamen Arrianus licèt, & aduerſarum à Catholica cauſsa partium, ſuperiorem eam cognitionem ſua poteſtate, ſuaquè magnitudine eſt arbitratus. Habendæ igitur præſentis Synodi, quæ in Baſilica Patriarchii nomine Iulia eſt aduocata, occaſionem præbuit, eiuſquè eſſe arbitrij *in tanto negotio ſequenda præſcribere* diſertè affirmauit *neque aliud ad ſe præter reuerentiam de Eccleſiaſticis negocijs pertinere, committens etiam poteſtati Pontificum vt ſiue propoſitum vellent audire negotium, ſiuè nollent, quod magis putarent vtile, deliberarent dummodò venerandi prouiſione Concilij pax in Ciuitate Romana Chriſtianis omnibus redderetur*, (ipſa conciliariũ actorũ retuli verba.) Nec verò vinci ſe Patrum, eius Concilii pietas à Regia modeſtia paſſa eſt, quippe calumniis, impiorum, & pertinacium hominum, ne ad aures quidem admiſſis, auctoritatem ſanctiſſimi Pontificis ſuo quoque decreto ſtabiliendam cenſuerunt, quo perſeuerantes in incœpta aduerſus Symachum contumacia interdicto à communione fidelium, & cœteris Schiſmaticorum, ac rebellium pœnis coerciti ſunt. Hanc vnam, eamque in ordine tertiam, inter alias quinque celebratas à Symmacho apud vrbem Synodos habitam in Lateranenſi Patriarchio tradunt; cœteras in Vaticana Principis Apoſtolorum Baſilica coactas reperio. Verùm quia pariter omnes ab hoc Laurentiano Schiſmate originem, & cauſsam habuiſſe dicuntur, ne illorum quidem materiam intactam penitus hic relinquere in animo eſt.

In prima igitur, quæ ſeptuaginta duorum Patrum fuit; ſalutares aduerſus pernicioſum Pontificiorum Comitiorum, ambitum leges latæ ſunt, ſtatutumque omnibus priſtinis honoribus mulctandum videri, quicumque impoſterum ſuperſtite Pontifice, eoque inconſulto ſuffragia pro ſucceſſore ſubſcribere, polliceriuè, pecuniamuè in id offerre, aut iuramentum præſtare, aut de futura electione quidquam in priuatis coitionibus delibe-

rare

rare auderet. Sed Pontifice demum vita functo tractationi & Succeſſore ſubrogando locum eſſe, quem quidem non alium intelligi debere, quam quem comitiis ritè, & Canonicè habitis plura ſuffragia tuliſſe conſtiterit.

Secundæ Synodi acta non extant, ſed ad eam pertinere exiſtimantur ſequentia Bibliothecarii verba in eiusdem Symachi vita, *eodem tempore Beatus Symmachus congregauit Epiſcopos 115. & facta Synodo purgatur à crimine, & damnatur Petrus Altinas inuaſor Sedis Apoſtolicæ, & Laurentius Nucerinus, qui viuo Symmacho ſedem eius peruaſerunt.*

Quarta, quæ palmaris ex nomine Vaticanæ Porticus, in qua celebrata putatur, ſic appellatæ vocabulum accepit, Odoacris Heruli Italiæ Regis, & Occidentalis Imperii euerſoris contrarias Eccleſiaſticæ dignitati, ac libertati leges abrogauit, quibus inter cætera electiones Romanorum Pontificum ipſo inconſulto celebrari vetabantur.

Quinta obſtinato aduerſariorum Symmachi in ſua contumacia animo, & contumeliis, quibus eius auctoritatem, ac vitam inſectandi finem, nullum faciebant, occurſum eſt, decretaque pridem hac de re confirmauit, oratione, Ennodij Diaconi, qua Schiſmaticorum aduerſus Pontificem obiecta egregiè refutantur, fauentibus animis audita, ac inter Synodalia, & Pontificia acta connumerari iuſſa.

Sexta demum ſancitum ſub anathematis pœna eſt, ne quis bona Eccleſiis ablata retinere diutius auderet, niſi in hæretici loco, & à myſtico Chriſti corpore auulſi à fidelibus haberi vellet. Notabile autem illud accidit, quod Rex ipſe, quem diximus Theodoricus, cum multa in Gallia Ciſalpina, multa in Sicilia Eccleſiarum bona occupaſſet, audito eo decreto ſtatim per Caſſiodorum, cuius opera in ſcribendis Epiſtolis vtebatur, omnia reſtitui iuſſit, quamquam hæreticus ille Princeps, & ab vnitate Eccleſiæ remotus, vti diximus, erat; vt merito deploranda ſit, miſera eorum temporum conditio, quibus ne Catholici quidem vſurpationibus eiuſmodi parcunt, quæ res in cauſa ſæpenumero eſt bellorum, ac peſtilentiæ, cæterarumque calamitatum, & cladium, per quæ meritas ab impiis hominibus pœnas læſa diuina Iuſtitia exigere conſueuit; & Pontifices quidem plerumque diuini honoris zelo armantur, monitiſque & cohortationibus

bus, ad reſipiſcentiam errantes excitant, ſed plerique ſurdas à verbis ſalutis aures auertunt, & poſthabito omni iuſtitiæ, & æquitatis reſpectu malæ partis obſtinatè, ac tenaciter incubant non ante, quam cum anima, omnique ſpe de melioris poſt obitum conditione relicturi.

Notabilis etiam eſt Synodus habita apud Lateranum à Zacharia Pontifice in Baſilica Theodori, in eaque tertiò damnati ſunt criminis hæreſeos Albertus Gallus, & Clemens Scotus Pſeudo-epiſcopi. Item Adalbertus, qui Sacerdotium turpi luxuriæ & libidinis flagitio maculauit, & loco eccleſiarum, quas omnino relinquenda cenſebat, Cruces in campis ſtatuerat, ibiq; demũ Diuinũ Numens adorandum eſſe prædicabat. Idemque per vanitatem, & ambitionem vulgi ſimplicitate abutebatur, falſiſque & callide commentis miraculis opinionem ſibi ſanctitatis aucupabatur, quaſi eius notitiam ne ſecreta quidem cordis laterent, dignuſquè propterea eſſet, qui templis, & altaribus coleretur, particulaſque veſtium ſuarum, & crinium veluti reliquias diſtribuebat, quas Chriſtiani apud ſe venerationis cauſa geſtare deberent: epiſtolam quoque ſibi à Chriſto Domino noſtro tranſmiſſam de Cœlo ferebat, atque à Michaele Archangelo allatam, omnium Angelorũ officia nõ minus quã nomina ſibi nota iactabat. Sacros interea Canones, antiquas, Patrum traditiones, ſanctiones, Synodorum decreta reſpuebat: ſuam incontinentiam cum Sacerdotio coniungebat: Iudaiſmum inducebat, aſſeuerans à fratre defuncti fratris coniugem in matrimonio haberi iuſtè, ac ritè poſſe: Chriſtum denique reſurgentem ab inferis, aiebat, nullum ibi reliquiſſe defunctum, ſed vna omnes tam fideles in Cœlum duxiſſe, quam infedeles, aliaque dictu fœda, horribilia, deteſtanda: damnatique ſunt non ſolum participes tam impuri & pernitioſi dogmatis, verum etiam ſi qui eos aut recepiſſe tecto, auxilioue iuuiſſe, aut iuuiſſe conſilio deprehenſi ſunt.

Illa quoque memoratu digna eſt, quam à Nicolao Primo in Leoniana Lateranenſis Patriarchii Baſilica congregatam accepimus, in eaq; Ioannem Rauennatem Archiepiſcopum Pontificali exutum honore, propterea quod Apoſtolicam ſedem adire, ſequè à variis, quibus arguebatur, criminibus purgare obſtinate recuſauerat; verũ quia deprecantes pro ſe à Ludouico Imperatore Epiſtolas impetrauerat, à Pontifice a cauſa dicenda, inobediens licet

licèt, & contumax, reiectus non eſt, factaque ſibi poteſtate diluendorum in eo Præſulum conſeſſu criminum, quorum inſimulabatur, ſequè ea ratione, famamque ſuam tuendi; cum cauſſam probare non poſset, culpam ingenuè confeſsus eſt, ad cuius pœnitentiam à Pontifice, præſente concilio, altero quoque anno Sedem Apoſtolicam viſitare iuſsus eſt, monituſque præterea, ne Epicopos per Æmiliam, niſi qui à Clero, & populo eſsent canonicè renunciati, idque litteris ea ſuper re à Pontifice tranſmiſſis teſtatum eſset, conſecraret: neuè eosdem Epiſcopos, quoties velint, ad Apoſtolicam Sedem adire prohiberet: nullam pecuniam, quæ ſibi canonicè non deberetur, exigeret, nec vllius hominis bona quoquo modo parta, aut quouis iure poſseſsa pro imperio, & poteſtate occuparet; ſed, quod æquum cenſeret, iudicio perſequeretur. Prædia, quæ à iure S. Petri, ad S. Apolinarem per iniuriam auerterat, primo quoque tempore reſtituenda curaret. Quæ quidem decreta ſequuta eſt ſolemnis illa conciliatium approbationum formula. *Rectum iudicium Summi Præſulis, iuſta definitio Paſtoris vniuerſalis Eccleſiæ, ſalubris Inſtitutio Chriſti diſcipuli, omnibus placet, omnes autem eadem dicimus, eadem ſapimus, eadem iudicamus*; Item Ioannis ipſius affirmatio, & iuſiurandum, atque ſubſcriptio.

Habemus etiam à Ioanne XV. Synodum in Lateranenſi Palatio de referendo inter Sanctos Confeſſores, cœleſtiumque honoribus percolendo Vdalrico Auguſtano Epiſcopo conſultam.

Itē ab Alexandro Secundo in Lateranenſi (vt habet Gratianus) *Conſiſtorio* agitatum eſt de damnatione hæreticorum, quos inceſtuoſos vocabant; qui, ad relaxandam Eccleſiaſticam diſciplinam, nuptias contrahere inter certos cognationis gradus prohibentem, computationem huiuſmodi graduum ex legum ſecularium præſcripto potius, quàm ex Sacrorum canonum ratione fieri debere contendebant.

Sed quia Conciliorum huiuſmodi pleraque haud ita frequenti Epiſcoporum numero celebrata ſunt, horumq; ipſorum pars multò maxima ex vicinis, & ſuburbanis Eccleſiis conueniebant, Præsbyteroſquè, ac Diaconos Romanæ Eccleſiæ in iis conuentibus inter fuiſſe, eorumque ſubſcriptionem in decretis cōciliaribus adhibitam conſtat, non admodum ea diuerſa fuiſſe meritò crediderim à conuentibus Cardinalium, quos hodie Conſiſtoria appel-

lamus

lamus, triplici pariter eccleſiaſticorum honorum ordine conſtantia, quorum celebrandorum ad grauiores quaſque Eccleſiæ deliberationes mos, cum frequens hoc tempore, ac ſolitus planè ſit, haud quaquam intermiſſus antiquus;& laudabilis conciliorum habendorum vſus, poſthabitaûe vlla ex parte egregia, hæc Eccleſiæ gubernandæ ratio dici poteſt.

De Porticu Lateranenſi.

CAPVT V.

ANTE Palatium Lateranenſe, cuius exterior pars ſuffulta columnis ad vſque patrum noſtrorum memoriam permanſit, porticus fuit verſus ſeptemtrionem tabulis marmoreis, & varijs emblematibus, opere muſiuo exornata, ex qua porticu per ſcalas ad palatium aſcenſus erat. Initio hæc porticus verſus occidentem cum Bonifacij Octaui pulpito, & magna ſtructura, ſeu vetere aula forma quadrata aſpiciebatur, quam fuiſſe credunt antiquam aliquam Eccleſiam, vel vnam ex Baſilicis Patriarchii Lateranenſis. Et fortaſſe nihil à vero diſceſſerim, ſi eam fuiſſe dixerim Zachariæ Baſilicam, vbi Pontifices in reditu ad Lateranum ſupplicationibus peractis priuſquam aſcenderent palatium, conſuetis acclamationibus excipiebantur, quemadmodum exponam ſuo loco, quod quidem eò veriſimilius eſt, quod porticum ipſam idem Pontifex Zacharias, vti iam retuli,conſtruxit.in hac eadem porticu Adrianus Primus conſtitutis annuis redditibus centũ amplius inopes ſuſtẽtari mandauit, id quod ſuperius oſtendi, eratque ea eleemoſynarum diſtributio etiam in eadem porticu picturis expreſſa, hæc omnia habemus ante ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui etiam bona ab hoc San-

ctiſſimo Pontifice donata in ſubſidium egenorum, hæc fuiſſe ita narrat.

Hic Beatiſſimus Præſul fecit, atquè conſtituit nouiter domos cultas quatuor, vnam quidem, quæ vocatur Capracorum poſitam &c. ex qua primitus fundum ipſum Capracorum cum alijs pluribus fundis ei cohærentibus ex hæreditaria parentum ſuorum ſucceſſione teneri videbatur eius proprij olim exiſtentes, & alios plures fundos, ſeu caſales, & maſſas à diuerſis emere, & eidem domui cultæ addere viſus eſt, quam videlicet domum cultam Capracorum cum maſſis &c. per Apoſtolicum priuilegium &c. vt in vſum fratrum noſtrorum Chriſti pauperum perenniter permaneat &c. decernens ter Beatitudo, atque promulgans ſub validiſſimis obligationibus, & interdictionibus, vt omni die centum fratres noſtri pauperes Chriſti, etiam ſi plures aggregentur in Lateranenſe Patriarchium, & conſtituantur in ſala, quæ aſcendit in Patriarchium, vbi, & ipſi pauperes depicti ſunt, & quinquaginta panes penſantes per vnumquemque panem libras duas, ſimulque & decimatas vini duas penſantes per vnamquamque decimatam libras ſexaginta, & Caldaria plena de plumento erogentur omni die per manus vnius fideliſſimi paracellarij eiſdem pauperibus, accipiendo vnuſquiſque eorum portionem panis, atque portionem vini, ſcilicet cuppam capientem calices duos, nec non carnem de pulmento &c. ità videlicet eius almifica Beatitudo promulgauit vnà cum Sacerdotali Collegio, vt nullis alijs vtilitatibus expendantur niſi tantummodo in proprijs ſubſidijs, & quotidianis alimentis prædictorum fratrum noſtrorum Chriſti pauperum perenniter permaneant.

In hac Porticu etiam ſcalæ Sanctæ erant ſitæ, de quibus ſingillatim ſuo loco agendum erit.

De Baſilica Leoniana, quæ appellabatur Aula Concilij.

CAPVT VI.

DVÆ in hoc Sacro Patriarchio extructæ Baſilicæ à ſancto Leone Pontifice eius nominis tertio feruntur, Leonianæ ea de cauſa appellatæ; earum vna maior, minor altera vocabatur, illam Honuphrius Panuinius cenſuit ſuperſtitem vſque ad Sixti Quinti tempora fuiſſe, ſuoque tempore communi appellatione Aulam Concilij vocatam. Sed Alamannus in tractatu ſuo de Lateranenſibus parietinis hanc potiùs fuiſſe minorem Baſilicam arbitratur, quamuis neque ex huius auctoris ſcriptis, neque ex ijs, quæ referuntur ab Anaſtaſio ea fuiſſe minor Baſilica Leoniana videri poſſit, etenim hanc Sanctus Leo Tertius humili loco, ſeu ad Eccleſiæ, ac viæ publicæ planitiem conſtruxit, maior autem Baſilica in ſublimi erat poſita ambulacris Palatij, & ſuperioribus eius cubiculis æqualis, credibile tamen eſt, Sanctum Leonem Quartum, qui hanc Baſilicam inſtaurauit ſtructuram illius eleuaſſe, & ad eum ſitum, qui maioribus noſtris obſeruatus eſt accomodaſſe. Hæc itaque Baſilica maior perampla fuit, & magnifica, & in eius ſummitate aſpiciebatur apſis maior, decemque apſides minores ab vtroque latere pictæ opere vermiculato; erat præterea in medio eius fons ornatus lapidibus porphyreticis, pauimentum autem varia marmora conſternebant, circumque ſpectabantur pictæ Sanctorum hiſtoriæ, & præcipuè Apoſtolorum ad varias vniuerſi orbis nationes concionantium imagines, quibus admonerentur confluentes ad epulum in eam Aulam peregrini ſe Apoſtolos Euangelij præcones, ac magiſtros habuiſſe, ipſiſque acceptam Chriſti fidem, quam Eccleſia Apoſtolica Romana profitetur, referri debere; quo quidem ſpectare arbitror

Anaſtaſij verba, in quibus huius Baſilicæ mentionem ſic habet.

Item fecit in Palatio Lateranenſi Triclinium miræ magnitudinis decoratum cũ apſida de Muſiuo ſed & alias apſidas decem dextra, læuaque diuerſis hiſtorijs depictas, habentes Apoſtolos gentibus prædicantes cohærentes Baſilicæ Conſtantinianæ, in quo loco, & accubita collocauit, & in medio concham porphytericam aquam fundentem, nec non pauimentum ipſius marmoribus diuerſis ſtrauit.

In vertice huius Baſilicæ ſub apſide maiore marmorea Pontificum ſedes erat, & quia non peregrini dumtaxat hic veſci ſolebant, verum etiam ſtatis quibusdam anni ſolemnitatibus, vt Natalis Domini, ſplendida conuiuia celebrare mos erat, ſupra ſedem eamdem exarata erat hæc oratio.

Deus cuius dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur, erexit, & coapoſtolum Paulum tertio naufragantem de profundis pelagi liberauit: tua ſancta dextera protegat domum iſtam, & omnes conuiuantes, qui de donis Apoſtoli tui hic lætantur.

Antiquitus ab Eccleſia Patriarchali in hanc Baſilicam iter erat per ianuam, quæ patebat à ſiniſtra Eccleſiæ parte in minore naui, vbi eſt porta ſancta, aſcendebaturquè per gradus, ingredientibus verò in Baſilicam, ſeu aulam ad læuam occurrebat apſidula, in qua erat collocata petra illa, quæ in Eccleſia erat iuxta Diui Thomæ Oratorium quatuor marmoreis columnulis ſuffulta, quæ menſura ſtaturæ Chriſti Domini eſſe creditur.

Paulò vltra dimidium huius Aulæ, quæ miræ longitudinis, ac laxitatis erat, paries medius viſebatur, in eoque diſpoſitæ marmoreæ portæ tres, quas deportatas ex Hieroſolymitano Pontii Pilati Proconſulis Palatio, antiqua traditio teſtis eſt. Et quia per eas non ſemel Chriſtum Dominum tempore Paſſionis, commeaſſe veriſimile eſt, priſci fideles ab Eccleſia Lateranenſis egredientes, & ad hanc aulam, ſeù baſilicam aſcendentes per eas de induſtria pietatis cauſa tranſire ſoliti erant, ac deinde verſus læuam progredientes per vetus palatii ambulacrum ad ſacellum ibant Diui Silueſtri, & ãd Sancta Sanctorum. Hæ ipſæ portæ nunc gradibus Scalæ Sanctæ conſcenſis ad dexteram, læuamque ſpectantur, atque a Sixto V. in hanc formam ductæ ante ipſum ſacellum, quod nunc appellatur Sancta Sanctorũ. Baſilica autem hæc dicta eſt Aula Concilii, propter Concilia in ea haberi conſueta:

De

De Pulpito Bonifacij Octaui.

CAPVT VII.

IN Aulæ huius vltimo receſſu priuſquam ad Palatii ambulationem aſcenderetur, Bonifacius Octauus pulpitum, ſeu podium extruxit, quòd ſupra ipſam aream porrigebatur, pro conditione eorum temporum, ſatis elegans, namque pulcherrimis marmoribus compactum, & ſuffultum columnis ornatiſſimis teſſellata pauimenta, & concameratione laxiore conſpicuum decem grandioribus columnis ordinis corinthii ſuſtentabatur, ex quibus etiam duæ porphyreticæ fuere; pictura quoq; eximia decoratum erat Cimaboti per ea tempora celeberrimi artificis opera, vt potè qui multis à ſæculis eius artis reſtituendæ princeps in Itatia fuiſſe dicitur, quamuis non deſint, qui picturas eas potius Totti fuiſſe putent. In iis pictus cernebatur Pontifex ipſe Bonifacius, Populo Romano ex eo pulpito ſeu pegmate Apoſtolicam benedictionem more maiorum impertiens; Conſtantini quoque magni baptiſmus viſebatur, ac preterea ædificatio Lateranenſis Baſilicæ cum hoc Epigrammate *Dominus Bonifacius Papa Octauus fecit totum opus præſentis thalami. Anno Domini milleſimo trecenteſimo.*

Supereſt etiam hodieque picturæ huius nonnihil, & præcipuè Bonifacii Octaui, quam diximus effigies, eamque cum pariete, in quo erat expreſſa, in clauſtrum Baſilicæ Lateranenſis translatam nunc intuemur. Ante pulpitum erat campus Lateranenſis ſatis amplus pertingens vſque ad aquæ Claudiæ formas, in quo multa olim, & præclara quidem ædeficia fuerunt preſertim Cardinalis Cancellarii, & Cardinali Epiſcopi Albanenſis ædes. Erat quoque ibidem equeſtris imperatoris Marci Aurelii ſtatua, quam Paulus Tertius deinde in Area Capitolina, collocandam curauit, quamque antea Sixtus Quartus è ſordido loco erutam

tam ſitu nobiliore donauerat, delectuſque ſumma cum ratione, locus ad eam ſtatuendam a Sixto viſus eſt, ibi namque eum Imperatorem ex iis, quæ Iulius Capitolinus de eo tradit, natum accepimus.

De Oratorio S. Silueſtri.

CAPVT VIII.

IN ipſo prætcerea ambulacro ad læuam occurrebat S. Silueſtri Oratorium, quod celebre admodum fuit, & fundatorem Theodorum Pontificem habuit: à Cencio Camerario appellatur Templum; Sane plures in eo ceremonias à Summis Pontificibus obitas conſtat, præcipuè verò feria quinta maioris hebdomadæ Cœnam eius diei poſt pedum ablutionem, quæ fieri ſolebat in Sacello S. Laurentij, hic celebratam; In hoc eodem Oratorio acolythi parabant palmas, quas à Cardinali S. Laurentij benedictas, Oſtiarij ad Baſilicam Leonianam à Pontifice diſtribuendas efferebant. Ad hæc, occaſione ſolemniores quaſq; ſupplicationes celebrandi, reliquias acceptas ex Sacello, quod vocant Sancta Sanctorum, Pontifices deferebant in hoc Oratorium, ibique ea venerati, rurſus accipientes, ſupplicationum initium faciebant. Hoc autem Oratorium S. Silueſtri Theodorus Pontifex eius auctor multis ornauit donis, meminit vero eius Bibliothecarius per hæc verba *Zacharias Papa Sacris Imaginibus Oratorium Diui Silueſtri decorauit*.

Diuus etiam Leo Oratorium hoc ornauit, atque altare vacuum, quod in medio Oratorij extabat, multis reliquiis ab eo repletum Panuinius fuiſſe putat. Supra portam vetus tabernaculum columnæ duæ porphyreticæ ſuſtentabant, in quo diutiſſimè fuit antiquiſſima illa Imago Sacti Saluatoris, quæ olim à

Sa-

Sacrilego Iudæo percuſſa ſanguinem miſiſſe traditur. Ego verò potius crediderim eam Imaginem eſſe illam, quæ intra Sacellum Sancta Sanctorum aſſeruatur, & quæ in vultu Sacro Sancto vibicum notas ſub dextero oculo, & circa barbam, hodieque videtur præſeferre. Ex Anaſtaſio habemus Leonem Quartum obtuliſſe huic Oratorio veſtem de fundato, & vela itidem de fundato quatuor. Sixtus Quintus Pontifex iuxta Sacellum Sancta Sanctorum verſus Septentionem extruxit Oratorium S. Silueſtri, & in eo nunc Capitulum, & Canonici Miſſam Canonicalem, ipſo die feſto eiuſdem Sancti Silueſtri ſolemniter celebrant.

De Baſilica Zachariæ.

CAPVT IX.

A Pontifice ſuo fundatore nomen habuit Baſilica Zachariæ, cuius mentio frequens in libris antiquorum rituum, habetur, præcipuè dum deſcribuntur proceſſiones à Romanis Pontificibus fieri conſuetæ; etenim cum ab eis ad palatium remeabant, priuſquam adita illius conſcenderent, acclamationes, & publicas laudes in Baſilica Zachariæ excipere ſolebant. Ex his conijci poteſt, hanc fuiſſe illam Baſilicam, cuius veſtigia ad porticus initia diximus extare, & ſi alii in palatii parte interiore potius eam conditam fuiſſe cenſent: Ibi Pontifices ipſo die Cœnæ Domini cũ Cardinalibus conuiuiũ celebrabant, & qui erat iunior inter Cardinales Presbyteros codice ab vno ex acolythis accepto ſuper menſam, verſus eius aliquot prælegebat, cœna deinde peracta ingrediebatur Pontifex cellam ſuam, & pauperum pedes lauabat, extergebatquè, & oſculabatur ſingulis erogans

gans

gans eleemoſinam de manu Camerarii acceptam, duos ſcilicet marabottinos viritim diſtribuens, & his peractis calicem vino plenum accipiens manu eis propinabat, & mox in ſuum conclaue regrediebatur, quæ omnia plenius in rituali veteri traduntur: idem Pontifex Zacharias in Lateranenſi Patriarchio triclinium condidit, in eoque tabulas Prouinciarum Chriſtiani Orbis omnium eleganter pictas diſpoſuit, quo ſeque, & ſucceſſores admoneret, ne inter conuiuia quidem, & pocula Chriſti Vicarios abiicere, aut ſeponere memoriam, & ſollicitudinem Eccleſiarum, quæ ſunt toto Orbe diffuſæ, debere. Quæ res inſuper peregrinis, qui ibidem ſubinde veſcebantur ſolatio magno eſſe poterat, reputantibus ſe, ſuamquè patriam aſſiduè Summi Paſtoris menti, & oculis obuerſari.

De Scalis Sanctis.

CAPVT X.

SCALÆ quoque Sanctæ ad idem ambulacrum pertingentes vltra oratorium S. Silueſtri adſpiciebantur, quas quidem eas ipſas fuiſſe, quæ olim Chriſtum Dominum cum ſpinea corona, & cœtero ludibriorum, & cruciatuum inſtrumento ad Pilati prætorium excepere, vetuſtiſſima omnium traditio eſt. apud Anaſtaſium in vita Sergii Secundi mentio earum habetur, & Baronius dum narrat ab eodem Pontifice fuiſſe reſtitutam Baſilicam Lateranenſem, hæc ipſius Anaſtaſii verba refert.

Et aliud quidem opus ante fores huius venerandæ Baſilicæ valde optimum peregit, quia Sacra pridem, quæ latebant populis, Limina, ſummo ſtudio omnibus manifeſta conſtituit, cum pulcrè decoros ibidem arcus a fundamentis conſtrueret, quos etiam varijs picturis nitide decorauit.

Explicat vero Baronius Anaſtaſii textum, hæc adiiciens.

Cœterum per Sacra Limina intelligi eam, quam vocamus hodie Portam Sanctam, exiſtimamus, niſi potius auctor more ſuo impropriè loquutus, limina pro ſcalis vſurpauit, nam antiquitus nonniſi Apoſtolorum Petri & Pauli limina culta inueniuntur, etcæt. Scala vero Sancta ſcitur Lateranenſem Baſilicam fuiſſe illuſtratam.

Sixtus autem Quintus ex antiquo earum ſitu, qui erat ad portas noui Palatij Lateranenſis verſus ſeptentrionem, illuſtriorem in locum transferendas collocamdasque curauit, vbi nunc videmus ante Sacellum Sancta Sanctorum quinque arcus ex lapide tiburtino ad eius ornatum erectos, in quorũ medio Scalæ Sanctæ gradus diſpoſiti cernuntur; parietes verò vtrimque, & ſupernè concameratio Chriſti Domini paſſionem elegantibus picturis ex

preſſam referunt. Ad vtrumque latus ſcalæ perampla, & adſcenſui percommodæ ſunt, item ſacella duo, alterum S. Silueſtri, de quo proximè egimus, alterum S. Laurentij verſus meridiem, quo memoria antiqui nominis Sacelli ad Sancta Sanctorum renouatur. Idem Pontifex Præpoſitum, & Sacrarij Præfectum ſacellarios clericos, & oſtiarios in eo inſtituit, quibus etiam annuos prouentus aſſignauit ex redditibus Baſilicæ Lateranẽſis, pertinẽtibus ad Altare Diui Hilarii, vt ex illius deplomate videre eſt. Capitulũ verò tamquã in ſuæ mẽbrum Eccleſiæ plura Iura habet, & præcipuè exigendi ſingulis menſibus eleemoſinas, quæ pietatis cauſa eiſdem Scalis Sanctis à fidelibus erogantur. ac de his fuſius in capite de Sancta Sactorum dicemus. Scalæ huius gradus Pontificum quoquæ Summorum genibus conteri, atque conſcẽdi ſumma cum pietate, ac religione mos eſt; vſurpatumque id inter cęteros traditur Gregorio XIII. anno Iubilei, quiq; proximã Gregorio eã ſolemnitatẽ celebrauit, Clementi Octauo; quem quidem ſemel, atque iterum eadem hora id humilitatis, ac deuotionis officium peregiſſe memorant, reſiſtentem ad ſingulos gradus, & meditabundum, inque lacrymas, & oſcula identidem effuſum, quo tempore per ſolemnem abſolutionem Henricum Quartum Regem Galliarum in gratiam Eccleſiæ catholicæ reduxit. Neque ſequutus Clementinam celebrationem Vrbanus Octauus ſapientiſſimus, & religioſiſſimus Pontifex idem pietatis exemplum ſibi prætermittendum iudicauit, denique hoc poſtremo Iubilei tempore Innocentius quoque Decimus debita obſequii, cultuſque ſignificatione, venerabile hoc Dominicæ paſſionis monumentum eſt proſequutus. Nec minus ad memoriam poſteritatis inſigne fuit, quod nuper dum in fine huius operis verſaremur adſpeximus, cum Chriſtina Guſtaui Adolfi filia à depoſito vna cum auitis erroribus Sueciæ dominatu recens, regalia & antea talibus inſueta genua, terendis horum graduum marmoribus inflexit, eoque eximio chriſtianæ humilitatis officio (inter alia innumera, quorum ſpectaculo Populum Romanum affecit) obſequium ſuum erga Eccleſiam catholicam, cuius in gratiam redierat pietatiſque, & religionis, quam induerat magnitudinem egregiè teſtata eſt. Prope Scalam Sanctam, aliæ item Scalæ, quibus promiſcuè populus vteretur, olim quoque erant diſpoſitæ,

ibidem-

ICHNOGRAPHIA TRICLINII LEONIANI.



A. *Tribunal, ſiue Apſis Triclinij primaria, quæ vna integra ſupereſt, vt in ſequenti tabula proponitur.*

B. *Apſis dextera ſolo æquata.*

C. *Apſis ſiniſtra cuius parietinas exhibet ſecunda tabula.*

D. *Cubitorium, vbi Pontifici conuiuanti ſternebatur.*

E. *Ianua Triclinij, qua patebat aditus in ſacellum Sancti Laurentij, hodie Sancta ſanctorum.*

ibidẽq;columnæ illæ viſebantur,quas easdẽ eſſe cum iis,quæ moriente Domino cum petris aliis ſciſſæ ſunt, ex antiqua piorum traditione accepimus,ac nunc in Baſilica Lateranenſi cernuntur. Scalis iis conſcenſis ad læuam ſpectabantur valuæ illæ æneæ, quas, vt dixi, Cœleſtinus Tertius ſuderat, & per quas aditus ad Lateranenſe Patriarchium patebat, atque ad eiusdem Baſilicas, præſertim ad eam, quæ ab auctore ſuo Leone III. (vt mox dicemus) Leonianæ vocabulum accepit. Cuius quidem arce delineationem hic ſubijcimus, materiam in ſequenti Capitulo fuſius eſſecuturi.

De Triclinio ſeu Baſilica Leoniana, quæ appellabatur Baſilica Maior.

CAPVT XI.

BASILICA maior, ſeu Triclinium Leonianum, cuius hodie primaria Apſis tantummodo ſuperſtes eſt, conſtructum à Diuo Leone Tertio creditur prope cubicula Pontificia, vti colligi poteſt ex antiquo Rituum Cencij Camerarij codice, vbi ait.

Tranſiens Pontifex per ipſam Baſilicam Leonianam intrat cameram ſuam.

Leo deinde Quartus poſt annos ſexaginta hoc ipſum Triclinium inſtaurauit, & diuerſa fuerunt eius nomina, cum videlicet appellaretur Baſilica, Aula, Domus maior, Regia, Accubitus, quodque apud Anaſtaſium frequentiore, in vſu eſt, Triclinium maius, quod ab eo ſatis accuratè his verbis deſcribitur.

Fecit Leo in Patriarchio Lateranenſi Triclinium maius ſuper omnia Triclinia nominis ſui magniudine decoratum, ponens in eo fundamenta fortiſsima, & in circuitu laminis marmoreis ornauit, atque marmoribus in exemplis ſtrauit, & diuerſis columnis tam porphyreticis, quam albis, & ſculptis cum vaſis, & alijs ſimul poſitis decorauit. Cameram cum apſida de muſiuo, & alias duas apſidas diuerſas hiſtorias pingens marmorum incruſtatione pariter in circuitu decorauit.

Aula, & Baſilica, & Regia vocabatur, quia ibi ſummi Pontifices ſacras functiones præcipuas obire ſolebant primarijs totius anni celebritatibus; Accubitus verò, & Triclinium appellabatur, quia

quia locus erat ad cœnas publicas comparatus; Dicebatur etiam Triclinium maius ad diſcrimen minoris, & aliorum, quæ in eodem Palatio conſtructa erant, & quæ vulgo Panecteriæ vocabantur, erantque vſui peregrinorum attibuta, ex quo genere fuerunt triclinia Theodori, Zacchariæ, & aliorum. Quia autem hoc potiſſimum pro Imperatoribus, cœteriſque ſupremæ inter homines dignitatis viris Romanam Vrbem adeuntibus peculiari deſtinatione paratum fuerat, Diuus Leo ampliore, atque elegantiore forma decoratum firmis, ac validis fundamentis ſubſtruxit, quorum nunc veſtigia nonnulla in hortis Pœnitentiariorum viſuntur, ornauitque columnis partim è pario, partim è porphyretico marmore, lapidibuſque exemplatis, variaſque imagines referentibus inſigniuit; in apice apſidem, binaſque alias ab vtroque eius latere ex opere muſiuo, varijſque picturis illuſtratas extrui curauit. Quid picturę huiuſmodi referrent operoſiſſimæ omnino coniecturæ eſt propter collapſam, ac deletam ante aliquot ſæcula vniuerſam Triclinii molem; in vna tamen harum apſidum ad læuam proxima auorum noſtrorum ætate ſuperfuit conuiuium quodpiam, multique in eo diſcumbentes expreſsi viſebantur, ſed apſidis maioris picturæ adhuc extant, eaſque à Franciſco Cardinali Barberino Vrbani Octaui fratris filio, Principe non tam ſua dignitate, atque amplitudine, quam doctrina, & eruditione excellente, illuſtratas habemus. Eius mandato Nicolaus Alemannus Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos elegantem tractatum conſcripſit cum erudita myſteriorum eiuſdem picturæ explicatione, qua memoriæ pulcherrimi Ecleſiaſticæ dignitatis monumenti egregiè conſultum eſt. Etenim Leo Pontifex in iis tùm ſuæ redintegrationis, tùm translationis vtriuſque Imperii ab Occidente ad Orintem, rurſuſque ab Oriente ad Occidentem picturæ beneficio ſeriem vniuerſam amplexus eſt. Quo ex tractatu, item ex Baronio, Bellarmino, & aliis eiuſmodi notæ Scriptoribus expromere nonnulla ad illuſtrandam huius picturæ notitiam idonea, atque hic attexere conſtitui. Memorabilis imprimis eſt Paſchalis, & Campuli aduerſus hunc Pontificem alias à nobis notata crudelitas, non enim ſatis habuere nepharij homines aduerſus auctoritatem Summi religionis Antiſtitis coniurationem impuriſſimæ multitudinis conflare, niſi in caput etiam viri innocentiſſimi coniurarent, exemploquè immani, &

barbaris ipſis abominando fœdiſſimum facinus auſpicarentur, oculos Pontifici, & linguam eruendo, qua quidem à clade admirabili diuinæ erga ſe indulgentiæ munere immunis eſt præſtitus, recuperata breui perfecta eorum membrorum integritate, ita vt valens, & expeditus in Galliam ſe conferre, & Caroli Magni opes (quem ille deceſſorum ſuorum exemplo Patritium appellauerat, Eccleſiæque vindicem conſtituerat) implorare potuerit, earumque beneficio animos Populi Romani ſibi reconciliare, & commiſſi ſibi gregis curam, & regimen capeſſere. Redeunti ad Vrbem Leoni conſuetos Summo Pontifici honores, & cultus minimè defuiſſe conſtat, nè quid tamen de moribus eius incommodè in animis hominum ſuſpicionis reſideret, anno proximè conſequenti coram ipſo Carolo Magno, cum adeſſent Archiepiſcopi plurimi, Epiſcopi, Abbates, Clerus, & Populus Romanus vniuerſus, ambonem Baſilicæ *S.* Petri conſcendens, atque inter manus Sacrorum Euangeliorum codicem habens Iure iurando, ſe à criminibus, quorum fuerat inſimulatus purgauit. Quibus peractis publica omnium admurmuratione, & ſecundiſſimo plauſu legitimus Pontifex, & verus Chriſti Vicarius eſt acclamatus, recitatæquè ſunt Litaniæ in Romanorum Pontificum tum electione, tum reſtitutione recitari conſuetæ, in quibus ad ſingulas Sanctorum nominum inuocationem loco verborum *ora pro nobis* verſiculum *Tu illum adiuua* identidem repetere mos eſt. Huius autem rei præcipua mentio eſt his verbis apud Bibliothecarum in vita eiusdem Leonis *Fecit in eadem Eccleſia* (Scilicet Diui Petri) *congregari Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Abbates, omnem nobilitatem Francorum, atque Romanorum, & ſedentes pariter tam Magnus Rex, quam Beatiſſimus Pontifex fecerunt reſidere Sanctiſſimos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, ſtantibus reliquis ſacerdotibus, & optimatibus Francorum, & Romanorum, vt crimina, quæ aduerſus almum Pontificem dicta fuerant, examinarent. Qui vniuerſi, & cæteri vnanimiter audientes dixerunt. Nos ſedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum iudicare non audemus, nam ab ipſa nos omnes, & Vicario ſuo iudicamur, ipſe autem à nemine iudicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit, ſed ſicut ipſe ſummus Pontifeex cenſuerit, canonicè obediemus. Venerabilis verò Præſul inquit. Prædeceſſorum meorum Pontificum veſtigia ſequar, & de talibus falſis criminibus,*

quæ



A. Vultus imaginum ſuppleti ex alijs eorumdem temporum.

B. Hiſtoria renouata ad exemplum ab Antiquarijs olim exceptum cum defflueret.

C. Tabula nullis notata litteris exceptorum incuria.

D. Nomen Pontificis deſideratur.

E. Inſcriptas tabellæ acclamationes ſeruauit Angelus Maſſarellus.

F. Ædificij deſcriptio verbis Anaſtaſij Bibliothecarij.

G. Inſtaurati operis monumentum.

quæ ſuper me nequiter exarſerunt, me purifiare paratus ſum. Alia vero die in eadem Eccleſia Diui Petri Apoſtoli cum omnes adeſſent &c. in eorum præſentia amplectens Venerabilis Pontifex Sancta Chriſti quatuor Euangelia coram omnibus aſcendit ambonem, & ſub iureiurando alta voce dixit, quia de iſtis falſis criminibus, quæ ſuper me impoſuere Romani, qui iniquè me perſequuti ſunt, ſcientiam non habeo, nec talia egiſſe me cognoſco, & hoc peracto omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & cuncti clerici Litania facta, laudes dedere Deo.


Verbaquidem S.Leonis, quibus ſe in Baſilica Diui Petri purgauit Anaſtaſius non refert, habentur tamen in libro vetuſto ſacrorum rituum, quem ordinem Romanum appellamus, & ſunt huiuſmodi.

Nota res eſt, fratres Cariſſimi malos aduerſus me homines inſurrexiſſe, meque, ac vitam meam grauiſſimis criminibus infamaſſe. Cuius rei cognoſcendæ gratia Clementiſſimus, & Sereniſſimus Carolus, vna cum Sacerdotibus, & Principibus ſuis in hanc Vrbem ſe contulit. Quamobrem ego Leo Pontifex S.R. Eccleſiæ à nemine iudicatus, neque coactus, ſed mea voluntate impulſus purgo me præſentibus vobis coram Deo, & Angelis eius, qui conſcientiam nouit, & Diuo Petro Principe Apoſtolorum, in cuius conſpectu conſiſtimus, neque ſceleratas res, quas mihi obijciunt, perpetraſſe, neque perpetrari iuſſiſſe, Deum teſtans in cuius iudicium venturi ſumus, & in cuius conſpectu conſiſtimus. Et hoc facio non legibus vllis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem, aut decretum in Sancta Eccleſia ſucceſſoribus meis, & fratribus Coepiſcopis imponere cupiens, ſed vt certius iniquis vos ſuſpicionibus liberem &c.

Hoc eodem tempore idem S.Leo Carolum Magnum Imperii diademate inſigniuit, eumque vt potè clariſſimum omnis memoriæ Principem, ac de Italia, de Populo Romano, deque Sede Apoſtolica optime meritum, Imperatorem Occidentalem conſtituit. Cum verò tantæ rei monumentum in omnes conſequentes ætates extare cuperet, perfecit huius maioris Triclinii ornatum, & eius laxiorem apſidem picturis, quas hic ſubiicimus illuſtrauit.

In apſide media ſpecie redeuntis à mortuis Chriſtus adſpicitur, conuerſuſque ad Diſcipulos, & pacem eis impertiens; quod quidem codice Sacro, quem manu geſtat, inſcripto hac epygraphe ſigni-

ſignificatur . *Pax vobis* · Eo autem emblemate Diuum Leonem, innuere voluiſſe , credibile eſt falſis quidem ſe criminibus petitum,eorum tamen atrocitate nequaquam adeò commotum ; quin ſedatum aduerſus eos, qui ſe violauerant, & placidum animum gereret, exemploquè Chriſti Domini pacem eis nihilominus imprecaretur.Colligere hoc licet ex ipſa inſcriptione , quę arcum ambit in hæc verba . *Gloria inexelſis Deo , & in Terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Non enim ſolùm indicat Diui Leonis conſilium fuiſſe id agere , vt pro conſuetudine aliorum Romanorum Pontificum eligeret ſibi ſymbolum , quo in Principatu Eccleſiæ vteretur, ſed præterea pacem Caroli Magni ope , poſt quam ipſe in Gallias ad eum commeauerat conciliatam, ſigillatim exprimere voluiſſe.Inſcriptio alia , quæ ad pedes eiuſdem Sancti Leonis prælegitur in hæc verba , *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomi ne Patris , & Filij , & Spiritus Sancti* , quamuis miſſionem Apoſtolorum contineat , videri tamen etiam poſſet ad eiuſdem pacis enunciacionem pertinere, propter celebre illud Chriſti Domini ad Apoſtolos euangelium in omnes gentes prædicaturos præceptum *in quacumque domum intraueritis dicite, Pax huic domui* , In arcu medio Diui Leonis nomen nomini Chriſti eleganti inſertum nodo legitur cheracteribusque inuicem in hanc formam implicatis .



Eo

Eo autem ſymbolo quid aliud vir Sanctiſſimus innuere voluiſſe cenſendus eſt, quam operis illius à ſe perfecti præcipuum auctorem Chriſtum Dominum, cuius auxilio, & in cuius vnam gloriam extructum eſt, agnoſci debere? Ad dexteram verò arcus idẽ Chriſtus in throno ſedens adſpicitur Syluestro quidẽ Pontifici claues, Conſtantino, verò Imperatori vexillum porrigens, vtrique curuatis ante ſe genibus prouoluto. Ex parte Conſtantini; qui ad ſiniſtrum porrigentis latus eſt, legitur eius nomen characteribus in tres deineps ordines diſtributis adſcriptum vt eos effiges hic expreſſa repreſentat.

R.
CONSTA-
NTI-
NVS.

Sancti vero Syluestri ſpatium à charateribus nudum eſt; verum dubitari non debet temporis iniuria non ità pridem deletus, quandoquidem plerique ſuperioris æui non vulgares auctores antiquitatis ſtudioſi mentionem S. Syluestri nominis haud obſcuram fecerunt, & inter cæteros Angelus Maſſarellus à Septem peda Teleſinus Epiſcopus Patrum Concilii Tridenni à ſecretis, qui ſeptuaginta ab hinc annis has imagines cũ ſuis inſcriptionibus exarauit, quarum ductu, atq; exemplo refectæ deinde ſunt in Barberiniana reſtauratione, ante quam multis annis collapſæ penitus erant. Notabilis eſt Coronarum, ſeu luminum ad has effigies adpoſitorum diuerſitas; Pontificium ſiquidem caput rotunda, Imperatoris vero quatuor æqualibus angulis terminata tabella circumdat, quaſi illum haud dubium cœleſtis patriæ ciuem, & Sanctorum albo iam illatum ſignificet, hunc vero adhuc in terris pro æternis præmijs laudabili quidem agone, ſed nondum abſoluto certantem; quamquam ratio temporis, quo vterque horum S. Leonis ætatem aliquot ſæculis præceſſerat, huic explicationi non nihil aduerſari videtur, niſi fortè mentionis fidem, de qua proximè diximus in dubium reuocare velimus, imaginemque vna cum Conſtantino hic poſitam Petri potiùs quàm Syluestri putare, id quod etiam ſimilitudo vultus eius cum vultu Imaginis ex altera arcus parte poſitæ, quæ ſine controuerſia eius Apoſtoli eſt, magnoperè ſuadet; ita enim fiet, vt quo cultu Petrus Chriſtum Dominum, eodem in ſpeciem cæteri

mortales ipſum, quamlibet ſublimi poteſtate in terris præditi venerentur. Dixi autem in ſpeciem; nam re vera inter adorationem latriæ, quæ debetur Dei filio, ac Duliæ, quam Sanctis exhibemus immane quantùm diſcrepat, id quod celebris Theologorum omnium diſtinctio docet. Cæterum exploratum eſt quadratam huiuſmodi formam viris adhuc viuentibus haud vulgari pietate præditis conuenire, qui vt vulgo dicimus quadrati, quaſi ad agitationes tentationũ diabolicarum inconcuſſi ſunt, ac ne affectuum quidem hnmanorum ictibus magnopere commoti, ſed animum in ſuo ſemper habitu immobiliter manentem gerentes, id quod admodum eleganter quadratæ figuræ ratio repręſentat; corpora ſiquidem ea prædita quantumuis iactata, verſataque ad eamdem collocationis formam vſquequaque reuertuntur, quemadmodum appoſitè ad hunc propoſitum obſeruauit Diuus Gregorius in ea Ezechielis Prophetæ verba; *menſæ de lapidibus quadris.* ait enim *quos hoc loco lapides quadratos accipimus, niſi quoslibet Sanctos, quorum vita in proſperitate, & aduerſitate nouit fortiter ſtare? lapis enim quadrus æquè ſtat in quocumque latere fuerit verſus.* Ad læuam eiuſdem arcus extant adhuc imagines, atque inſcriptiones illæ ipſæ, quas ibi D. Leo adpoſuit incendiis, ac ruinis, quæ toties Lateranum afflixere ſuperſtites. His imaginibus exprimitur Diuus Petrus habitu Pontificali ſolemniore vna cum Pallio amictus, Diuum Leonem ex vno latere in genua ante ſe preuolutum excipiens, eique ſuper propria Pontificia inſignia aliud inſuper pallium porrigens, ex altero verò Carolum Magnum Imperatorem pariter in genua procumbentem, chlamyde Imperiali, atque Corona (ad regalis Coronæ diſtinctionem supernè clauſa) ornatum, eique vexillum tradens: ſingulis autem ſua nomina hac ſerie characterum adpoſita ſunt.

Diuo Petro	Diuo Leoni	Carolo
S C̄ S	SCISSĪMVS	D. N. CARVLO. R
PE	D N	E
TR	L E	G
VS	O	I
	P P	

Infra Icones ipſas, ſeu ad pedes earum hæc item ſubſcripta leguntur.

B. PE-

B. PETRE. DONA.
VITAM. LEONI. PP. ET. BICTORIAM.
CARVLO. REGI. DONA.

Quæ quidam Icones, & elogia, vt diximus, redintegrationẽ ſeu tranſlationẽ Imperij ſignificant. Iam vt à D. Petri Imagine ſumatur exordium, eius Pontificale indumentum indicat poteſtatem, qua in Eccleſiam vniuerſam, eius caput viſibile præditũ eſt; nec ea ſolum ligandi, atque ſoluendi ius, erga priuatas fidelium animas continet, verum etiam auferendi, ac transferendi terrena Imperia, vbi ita ad generis humani bonum, & Eccleſiæ ſalutem, ac tranquillitatẽ expedire conſtiterit; id quod Hadrianum Leonemque, & nonnullos alios Romanos Pontifices feciſſe traditur. Pallium, quod Sanctus Petrus tradit Diuo Leoni Pontificali habitu iam ornato, & Pallio iam induto eiuſdem Diui Leonis redintegrationem indicat, in qua nequaquam denuo electus eſt; & ſi enim decedere ex vrbe fuerat coactus, non ideo Pontificia poteſtate dici potuit exutus, nam tamquam verus Pontifex habitus ſemper, & veneratione præcipua cultus eſt. Carolus in genua procumbens, eoque corporis habitu vexillum accipiens documento eſt Imperatores, & Reges in Eccleſia Rom. & D. Petri ſucceſſoribus fundamentum ſuæ poteſtatis agnoſcere debere, & quia vexillum haud quidem Imperatoris inſigne, ſed Patricij, & Eccleſiæ aſſertoris eſt, hoc eum honore tunc fuiſſe præditum indicatur. neque ex imperatorio cultu quicquam præter paludamentum, & coronam à Pontifice ſibi tunc impoſitam gerit, ſed in ſuo ſpectatur vſitato, & vulgari habitu, in quo Eccleſiam ingrediens depræhenſus eſt, & quem in eius vita his verbis Aegirrhardus deſcribit.

Induebatur tunicaquæ limbo ſerico ambiebatur, & tibiaria cum faſciolis, crura, & pedes calceamentis conſtringebat.

Nec aliter Imago eius ibi ſpectatur, quippe habet tunicam, ſeu togam prætextam, quam appellant, vſque ad genua cum faſcijs circa crura more antiquo vſq; ad pedes, quę faſciæ crurales vocabantur; Vexillum autem, quamuis, vt ſupra dixi, ad Imperatorem non pertineat, nec eo ſignificetur propriè Imperii tranſlatio; à Carolo tamen poſt adeptum Imperium retentum conſtat, tametſi Patritii nomen depoſuerit, propterea quod defenſoris Ec-

cleſiæ titulum,& munus,quæ ſymbolo vexilli demonſtrantur,retinuerat;id quod in cauſa eſt,vt neq;cum Patricii indumento exprimatur; illud namque eſt talare,& ad inſtar eius,quo moderni Romani Senatores vtuntur, ſed habet paludamentum, & diadema Imperii vſitatum. Formula autem qua ſe Carolus defenſorem Eccleſiæ prounnciauit huiusmodi eſt.

In nomine Chriſti ſpondeo, atque polliceor ego Carolus Imperator coram Deo, & Sancto Petro Apoſtolo me Protectorem, ac defenſorem fore huius S.R.Eccleſiæ in omnibus vtilitatibus quatenus diuino fultus fuero auxilio, prout ſciero, poteroque &c.

Quæ quidem formula,& iuriſiurandi relligio in ſequentium quoque deinceps Cæſarum inaugurationibus, ſeu coronationibus obſeruari perſeuerauit. Cæterum eo Sacramento, paludamento, & corona translatio Imperii facta in eumdem Carolum haud obſcure ſignificatur. Id vero adhuc apertius coniici poteſt ex ipſis inſcriptionibus ſub iis Imaginibus exaratis, non ſolum enim ibi notantur acclamationes Populi Romani coronationis eius tempore vſurpatæ,ſpectantes videlicet, tùm ad Leonem Pontificem, tùm ad Carolum in hæc verba. *Beate Petre dona vitam Leoni, & Bictoriam Carulo Regi,* verum etiam in huius inſcriptione adiunguntur hæc duo verba *Domino noſtro,* quæ Populus Romanus vtique non admiſiſſet, niſi Carolum tamquam legitimum Imperatorem iam agnouiſſet, hac enim forma Leonem tãquam legitimum Pontificem ibi veneratur his verbis inſcriptioni eius appoſitis *Dominus noſter Leo Papa*: Nec aliquid facit quod ibi Carolus non Impetator,ſed Rex nominatur, nam in acclamationibus aliis verè appellatus eſt Imperator, cuiuſmodi ſunt illæ. *Carolo Magno Imperatori, Cæſari Auguſto piJſſimo, & pacifico à Deo Coronato vita, & victoria.*

Carolo Auguſto a Deo Coronato Magno, & Pacifico Imperatori vita, & victoria.

Quæ ſecunda acclamatio refertur ab Aeginhardo, qui hiſce omnibus interfuit;fortaſſe etiam Pontifex hoc modeſtiæ Caroli Magni dandum cenſuit, quippe quem ægrè nomen Imperatoris admiſiſſe ſciebat, vt ipſe Aeginhardus teſtatur in eius vita his verbis.

Romam veniens ibi totum hyemis tempus tranſegit, quo tempore Imperatoris, & Auguſti nomen accepit, quod primo tantum auerſatus eſt, vt affirmaret, ſe, eo die, quamuis præcipua ſolemnitas eſ-

ſet

ſet (erat autem dies natalium) Eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi Pontificis conſilium præſcire potuiſſet.

Quod cauſæ fuit cur poſt ſuſceptum etiam imperium aliquandiu Rex appellari maluerit; quamquam aduertere oportet etiam nomen Regis commune Imperatoribus fuiſſe, qui proptere a in hiſtoriis Reges frequenter appellantur. Tandem ad vberiorem notitiam vtriuſque Imperij translationis, quam in iis emblemmatibus,& Imaginibus Diuus Leo expreſſit,ſciendum eſt Imperium Romanum etiam ſuperiore memoria à pluribus adminiſtratum Principibus primum omnium inter Diocletianum, Maximianumque Auguſtos nulla inuicem cognationis neceſſitudine copulatos diuiſum, diſtinctumque fuiſſe, idque maximum prudentiſſimi cuiuſque iudicio momentum ſequuti breui inclyti illius in orientales, atque occidentales prouincias diſſidii fuit; nam priores; & ſi numero plures, coniunctis tamen naturæ vinculo animis,manentis nihilominus vnius imperii ſpeciem ægregiè referebant. Excepere Diocletianum,Maximianumque Conſtantinu, & Galerius, & quamuis deinde ad Conſtantinum res omnis Romana redierit,ſteteritque diutius; translata tamen ab eo Bizantium Vrbis Romæ dignitate, maiorem poſtea diſtracti iam Imperii faciem diuiſa inter eius liberos dominatio effecit, obſeruatusque ſequutis inde à Cæſaribus idem mos eſt, vt alteri Orientis Prouinciæ, & legiones,alteri occidentis parerent, donec poſt extinctam Conſtantini liberorum ſtirpem, ac Iulianum vltore Cœlo ſublatum per Iouianum,Valentinianum, Theodoſium, eiuſque filium Honorium, alioſque complures afflictæ à varijs barbarorum incurſionibus occidentis res ad Auguſtulum peruenere, qui vltimus Cæſarum perpetua ab Imperatore Auguſtto ſucceſſione res Romanas in Vrbe,atq; adeo in Occidente vniuerſo adminiſtrantium, fuit, Vandalis autem Africa, & Gothis Italia Beliſarii,& Narſetis ductu pulſis,vtrumque rurſus Imperium ſub Iuſtiniano Principe in vnum coaluit circa annum quingenteſimum quinquageſimum ſextum, & quia rerum potiri Græci,ſedemque in Oriente habere perſeuerarunt,Italiæ cura Exarchis eſt demandata, qui cum eius defenſioni aduerſus incurſiones Longobardorum breui conſequutas impares eſſent,nunquam poſtea ab excidijs Vrbium,populationibus agrorum,cæteriſq;grauiſſimis,quas gens humana perpeti poteſt calamitatibus;nobiliſſima hæc terrarum omnium regio vacauit

cauit;acceſſit ipſorũ Imperatorũ impietas,& ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ, ac etiam à fidei veritate defectio, atque in erroribus, peſtiferarumque opinionum, quibus adhæſerant, defenſione contumacia, nec inde abhorrens vita, & mores,& Reipublicæ ratio adminiſtrandæ;quæ omnia ſatis iuſtam cauſam Italiæ eos, & cæteri Occidentis cura ſubmouendi, locumque melioribus faciendi Romanis Pontificibus præbuere. Et quamuis Conſtantinus Irenes filius, Catholicus, & à moribus maiorum ſuorum abborrens admodum eſſet, attamen quia Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & ampliſſima patrimonia Eccleſiæ Romanæ ab anteceſſoribus adepta reſtituere, quantumuis monitus ab Hadriano Pontifice detrectauit,indignus Imperio habitus eſt, vt probè idem Hadrianus notat in fine Epiſtolæ, quam ad Carolum Magnum pro defenſione Secundi Niceni Concilij dedit. Quapropter Leoni Tertio Imperium occdentis in Carolum Magnum transferre non ſine manifeſto Diuinæ prouidentiæ nutu viſum eſt, neque enim vllo pacto decebat vt prolapſo in deterius Orientis Imperio, & poſterioribus principibus quà ſchiſmatũ,quà hæreſum prauitate ab Eccleſia Romana diuiſis,appellarentur Imperatores Occidentis, qui veriore vocabulo euerſores appellari deberent, ac populis dominarentur, à quorum relligione defecerant. Eamdem ob cauſam multo minus titulos, aut iura Romani Imperii, ne orientalis quidem ad Turcas Orientalium Prouinciarũ ſequutos inde vſurpatores cum ipſarum Prouinciarum poſſeſſione tranſijſſe dicendum eſt, vtpotè hoſtes perpetuos eius, per quem reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, quæ omnia luculenter in ſuo tractatu de Translatione Imperii Bellarminus, & in Eccleſiaſticis annalibus Baronius perſequuntur. Quod autem ad rem noſtram pertinet, primam Imperii translationem Diuus Leo imaginibus à dextera parte arcus ipſius apſidis expreſsis ſignificauit,alteram vero, nempe quam ipſe Carolo Magno ad Imperium vocato peregerat à ſiniſtra, figurauit,ambas mirè ſibi inuicem cougruentis, nam quemadmodum Diuus Silueſter, profugus cum fuiſſet, à Conſtantino, ita Diuus Leo à Carolo Magno in Vrbem eſt reuocatus; Immo ſicut Conſtantinus poſt baptiſmum vindex Eccleſiæ, de qua optimè meruerat audiuit, ita Carolus Magnus patrocinatus Chriſti Vicario ab eodem creatus Imperator, & defenſor Eccleſiæ eſt conſtitutus: vt planè diuina prouidentia ſuſpiciendam hoc loco ſe ſe de more,

atque

atque admirabilem præbuerit, imagines huiuſmodi hiſtoriæ tanti momẽti, ac ponderis integras inter immanes ruinas per tot ſęculorum ſpatia ſeruando. Nec vlla delebit obliuio eximiam Cardinalis Franciſci Barberini magnificentiam, quæ memoriæ tantæ rei conſultum eſſe ſolertiſsimè voluit, non ſolum enim conſeruauit diligenter imagines, quæ ad ea vſque tempora peruenerant, ſed nouis inſuper inſcriptionibus rei propoſito conuenientibus rem geſtam illuſtrauit in hæc verba.

Ad dexteram

LEO PAPA TERTIVS.

Fecit in Patriarchio Lateranenſi Triclinium maius ſuper omnia Triclinia nominis ſui magnitudine decoratum, ponens in eo fundamenta firmiſsima, & in circuitu laminis marmoreis ornauit, & diuerſis columnis tam porphyreticis, quamque albis, & ſculptis cum vaſis, & liliis ſimul poſitis decorauit cameram cum apſide de muſiuo, & alias duas apſidas diuerſas hiſtorias pingens, marmorum incuſtatione pariter in circuitu decorauit; ex Anaſt. Bibliothecario.

Ad ſiniſtram

Franciſcus S. Agathæ Diaconus Cardinalis Barberinus Triclinij à Leone Tertio Romano Pontifice conſtricti à Leone Quarto ſucceſſore ſexageſimo poſt anno reparati, noſtra tandem ætate penè diruti, partem hanc illuſtriorem, in qua vtraque Imperij Romani translatio, redditaque Vrbi pax publica continetur, parietibus hinc inde ſuffulſit, cameræ muſiuum reſtaurauit, labanſque olim dexterum apſidis emblema antiquariorum diligentia coloribus exceptum, penitus deinde collapsũ ad priſcum exemplum ſumma fide ex muſiuo reſtituit Anno Iubilei M.DCXXV.

Debetur præterea peculiaris huic Triclinio veneratio ob munia complura, & ſacras, ac pias ceremonias, quas in eo Summi Pontifices obire ſolebant, præcipuè ipſo die Natalis Domini, quo nempè ritu ſolemni vna cum Cardinalibus in eo cœnare conſueuerant, ſed quia frigoribus nimis obnoxium hyberno tempore videbatur, propterea quod ad ſeptentriones verſum erat, Gregorius Quartus humiliore loco aliud Triclinium parauit, quo Sergius huius nominis

minis ſecundùs etiam vſus eſt, ſeu vt perhibent alii Triclinium Diui Leonis, quod Aula Concilii appellabatur, ea occaſione frequentauit; poſtea tamen primum à S. Leone Quarto reparatum, Pontifices alii in eos vſus denùo adhibere perrexerunt. Die Paſchatis eamdem publicam cœnam ibidem celebrare Summis Pontificibus moris erat, quæ quia inter deſcriptas in antiquis ritualibus functiones, inſignis eſt, operæ pretium duximus aliquid de ea hoc loco attexere; vtar autem verbis memoráti ſæpè ritualis à Cencio Camerario conſcripti, quæ eiuſmodi ſunt.

Finita vero miſſa coronatur, reditque cum proceſſione ad Palatium, ſicut ſupra dictum eſt, in ſupra dicto feſto S. Stephani, & acceptis laudibus à Cardinali S. Laurentij, ducitur à Primicerio, & Secundicerio Iudicibus cum mitra in Baſilica magna Leonina, quæ dicitur Caſa maior, vbi ſunt præparata vndecim ſcamna circa menſam Pōtificis, pro quinq; Preſbiteris vel totidēq; Diaconis, & Primicerio, & lectus ipſius Pontificis ibidem ſolemniter præparatus in figura vndecim Apoſtolorum recumbentium circa menſam Chriſti. Tranſiens Pontifex per ipſam Baſilicam intrat Cameram, vbi recepto Preſbyterio à Camerario in ſcipho argenteo, & dato ſicut in Natiuitate Domini, ſurgit, & ducitur à Magiſtrato Seneſcalco, & Pincerna ad locum, quì dicitur Cubitorium, ibique à Iuniore Preſbytero Cardinali Agnus aſſus benedicitur, & exinde redit ad præparatum lectum menſæ, & accipiens idem Pontifex parum de ipſo Agno porrigit Priori Baſilicario ſedenti in ſubſellio ante lectum ipſius, dicens, quod facis, fac citius, ſicut ille accepit ad damnationem tu accipe ad remiſſionem, reliquum vero Agni diſtribuit diſcumbentibus, & alijs circumſtantibus. In medio vero conuiuij ſurgit vnus de Diaconis Cardinalibus ex mandato Archidiaconi, & legit ad menſam; finito autem conuiuio, Cantores proſam Canunt, quæ ſit conueniens Paſchæ de mandato Pontificis. Poſtea vero deſcendit in Eccleſiam Lateranenſem ad veſperas, & ſicut continetur in Antiphonario celebratis tribus veſperis in Baſilica Saluatoris, & ad fontes, atque ad Sanctam Crucem reuertitur ad porticum S. Venantij, ibique ſedet cum Epiſcopis Cardinalibus, cæteriſque ordinibus, & aliis tam laicis, quam clericis in terra ſuper tapeta reſidentibus. Deinde propinatur ſibi clarettum, & vinum, & omnibus circumſtantibus ab Archidiacono, & alijs Pincernis. Interim verò Primicerius cum Cantoribus ſurgit, & canit proſam græcam huiuſmodi. Paſcha hieron. himin. ſymeron. anadedictæ. &c.

Ha-

Hactenus Camerarius.

Aliis etiam diebus proxime conſequentibus hoc idem conuiuium ibidem, prætermiſſa tamen Agni Paſchalis cæremonia celebrabatur,& cæteris quoque ſolemnioribus diebus Pontifex ibi cum Clero cœnabat, quod & innuere videbatur oratio, quæ exarata in zophoro erat maioris apſidis,vti ſuperius retulimus. Preterea in eodem Triclinio, vti iam dixi, cæremoniæ ſacræ cum plures aliæ peragebantur, tum imprimis diſtributio palmarum,quæ poſt benedictionem in Baſilica S. Silueſtri acceptam illuc deferebantur à Pontifice diſtribuendæ. In hoc etiam Triclinio Nicolaus Primus coram pluribus Epiſcopis, Proceribus, & Optimatibus ſententiam tulit damnationis contra Ioannem Archiepiſcopum Rauennatem, ibique idem Ioannes oratione,declaratione, & palinodia charactere ſuo deſcripta, depoſitiſque ſandaliis, & codice Euangeliorum ſuper reliquias Sanctiſſimę Crucis Domini noſtri,ea denuo recepit, & alta voce coram Synodo iuramentum conſuetum pronuciauit, ac poſtridie reuerſus iniunctam ſibi pœnitentiam recepit. Aliam etiam Synodum idem Pontifex Nicolaus hic habuit pro examinanda cauſa Rotundi Epiſcopi Sueſſinenſis, licet aliis probabilius videatur hæc duo concilia in ea aula fuiſſe celebrata,cui ad vſque noſtram ætatem peculiare Aulæ concilii vocabulum manſit. Poſtremò Pontifices dum ipſo coronationis,atque aditę poſſeſſionis die magnifice cum ſacro purpuratorum Senatu, cum Regibus,& Principibus,ſi quos forte adeſſe cōtigerit,epulari ſolebant, hoc potiſſimum Triclinium obeundæ ei celebritati deligebant id quod ſcriptor vitæ Innocentii tertii confirmat, dum enarrata eius coronatione, & poſſeſſione ſic adiungit.

Facta laude ante Lateranenſe Palatium poſt quam aſcendit domum maiorem, quæ Leoniana *vocatur, ſolemne conuiuium celebrauit.*

Immò Pius Secundus,quo die coronatus cum inſigni pompa ad Lateranum venit (cum orta fortè ſuper equo,cui Pontifex inſederat contentione, ipſe maximum vitæ periculum adiſſe dicitur) regio conuiuio ſacris peractis Cardinales, Principum oratores, proceresque, & optimates vrbis in hoc Triclinio excepit; quin etiam ad publica alia negotia pertractanda, quaſi eſſet Conſiſtorii Aula,deſtinatum erat,Sixtus autem Quintus numiſmata quorumdam Chriſtianorum Imperatorum in vetuſtis huius Aulæ parietibus dirutis reperta haud vulgaribus indulgentiarum priuilegijs inſigniuit

ſigniuit

ſigniuit, eademque liberalitate Vrbanus Octauus eſt vſus erga fideles partem, quæ nunc extat Triclinij religiosè viſentes, vt innuit inſcriptio, quæ ſequitur.

Indulgenza quotidiana di cento anni è cento quarantene Vrbano VIII. Pont. Max.

De Oratorio Sancti Nicolai, & de Veſtiario.

CAPVT XII.

BASILICÆ Leonianæ maiori ſuccedebat Oratorium S. Nicolai Epiſcopi à Calixto Secundo erectum, quod adhuc ſupereſt in ædibus patrum pœnitentiariorum. in huius apſide Calixtus Pontifex icones aliquot prædeceſſorum ſuorum effingendas curauit; nempè S. Leonis; & S. Gregorii Magni, Alexandri Secundi, Gregorii Octaui, Victoris Tertii, Vrbani, Paſchalis, Gelaſii Secundi, vna cum nominibus ſuo cuiq; adſcriptis. Imaginem verò propriam ad Chriſti Domini pedes adiungere placuit. Hoc Oratorium peculiari Pontificum Maximorum vſui ædificatum à Calixto accepimus, adiectis propè duobus cubiculis variarum hiſtoriarum elegantes admodum picturas continentibus, vt ſupra retulimus, quibus cubiculis erat ſubiectum Veſtiarium, in quo videlicet ſeruabantur ſacra Pontificum indumenta, & cætera ad Sacra peragenda ſuppellex. Immò in hoc Veſtiario virorum nobilium liberos enutriri conſueuiſſe Anaſtaſius eſt auctor, dum Leonem Tertium Azupi, viri primarii filium in Lateranenſi Veſtiario nutriri iuſſum tradit, quem honorem eidem antea Pontifici contigiſſe memorat.

Hic à pauca ætate(verba ſunt eiuſdem Anaſtaſii) *in Veſtiario Pa-*

triarchij

triarchij enutrius, & educatus, omnemque Eccleſiaſticam diſciplinam ſpiritualiter eruditus tam in Pſalterio, quamque in ſacris diuinis ſcripturis pollens Subdiaconus factus eſt.

De Oratorio S. Cæſarei.

CAPVT XIII.

PROPE Veſtiarium, de quo ſupra diſſeruimus erat Oratorium S. Cæſarei, vt coniecturam facere licet ex eo, quod Anaſtaſius in vita Stephani Tertii ſcribit Conſtantinum Pontificem ex Eccleſia S. Venantii propè fontem Lateranenſem perexiſſe ad Palatium, & cum Veſtiarium aſcendiſſet ibi Oratorium S. Cęſarei ingreſſum eſſe; eſtq; de eo frequentiſſima apud ſcriptores mentio. Ante S. Gregori Magni tempora extructum putatur, in eoq; affigi ſolebant imagines Imperatorum, quę ad Vrbem inter principatus eorũ initia mittebantur; ſic iuſſu eiuſd S. Gregorii expoſitas in eo conſtat imagines Phocæ Imperatoris, & Leonthiæ Auguſtæ vt habetur in libro eius regiſtri per hæc verba,

Tunc iuſſit ipſam Iconam Dominus Beatiſſimus, & Apoſtolicus Gregorius Papa reponi in Oratorio S. Cæſarei Martyris intra Palatium.

Huius Oratorii meminit etiam Anaſtaſius in Sergio, vbi tradit cum clerus, populus, & exercitus Romanus in duas factiones ante huius Pontificis electionem diſceſſiſſet, aliis Theodorum Præsbyterum S.R.E. petentibus, alijs Paſchali Archidiacono ſuffragantibus, Theodorum cum ſuis ſequacibus interiorem partem Epiſcopii Lateranenſis, exteriorem verò Paſchalem ab Oratorio S. Syluestri vſque ad Oratorium domus Iuliæ, quæ campo imminet, occupaſſe. Feruente autem certamine, cum pars vtraque ſe inuicem loco pelleret, nec certus admodum euentus pugnæ fore vi-

re videretur, Primores Iudicum cleri, & populi ſaniore vſos conſilio ad Palatium acceſſiſſe, de ſeditione ſedanda deliberaturos, damnatiſque nimis incenſis vtriuſque partium ſtudiis non ſine Dei nutu Pontificem deſignaſſe Sergium S.R.E. Præsbyterum, eumque humeris ex media turba ſublatum in Oratorium Beati Cæſarei, quod erat intra Palatium, ac deinde in Lateranenſe Epiſcopium cum fauſtis acclamationibus induxiſſe, foribus perfractis, ac iis, qui eum locum inſederant fugatis. In hoc eodem Oratorio Cardinales tres, & quadraginta Lucio Secundo vita functo, ad noui Pontificis electionem congregati communi omniũ ſuffragatione quodam diuini feruoris impetu elegerunt extra Cardinalium Senatum Petrum Bernardum Abbatem S. Anaſtaſii ad aquas ſaluias, qui Eugenius Tertius eſt appellatus, & in Laterani Apoſtolica ſede collocatus. Habemus etiam ex Panuinio Leonem Decimum in Cardinalitium titulum hoc Sancti Cæſarei Oratorium erexiſſe, quando habita numeroſa illa vnius, & triginta Cardinalium creatione, cum veteres tituli ſatis non eſſent, nouos inducere oportuit; quam tamen Panuinii ſententiam redarguere videtur alia Sancti Cæſarei Eccleſia, quam in via Appia poſitam & diaconię titulo inſignem hodie quoque videmus.

De Baſilica Iulia.

CAPVT XIV.

INTER Baſilicas Sacella, & Oratoria, quæ in hoc Patriarchio venerationem obtinuerunt inſignis,& omnino celebriseſt Baſilica, cui Iuliæ vocabulum fuit. Huius peculiarem locum, ſicuti certò deſignare difficile eſt, ita pro comperto illud habetur iuxta Diui Syluestri Oratorium ad extremam partem Palatii, vel vt aliis placet, vbi Bonifacii Octaui pegma viſebatur poſitum fuiſſe; nec deſunt,qui in fine porticus, vbi rudera vetuſti ædificii viſuntur propè locum, in quo Sixtus Quartus ſtatuam æneam equeſtrem Marci Aurelii poſuerat,ſitum hoc ædificium arbitrentur. In hac Baſilica inſignem Romanam Synodum à Symmacho celebratam conſtat, de qua ſuperius loquuti ſumus: in eadem fieri mos erat acclamationes Imperatorum imaginibus, cum primum ad vrbem inferentur, quemadmodum de Phoca Imperatore,& Leonthia Auguſta memoriæ proditum eſt, quin & ipſa precationis formula traditur in hæc verba *exaudi Chriſte Phocæ Auguſto,& Leonthiæ Auguſtæ vita* Et ſi Baronius aliter cenſet, qui pro Baſilica Iulia Lateranenſem Eccleſiam intelligere videtur, verum colligitur apertè ex Anaſtaſio in vita Sergii Baſilicam Iuliam nec extra Patriarchium ſitam, & aliam omnino ab Eccleſia Lateranenſi fuiſſe, nam dum de Schiſmate inter Paſchalem, & Theodorum, de quo ſuperius dixi, loquitur, Theodorum (ait) eiuſque ſuffragatores Paſchalem præueniſſe, & interiorem Patriarchii partem, inter portas æreas Scalæ Sanctæ propinqua, ſitam, occupaſſe: Paſchalem verò in parte exteriore, quæ eſt ab Oratorio S. Silueſtri vſq; ad Baſilicam domus Iuliæ,imminentem campo Lateranenſi,reſtituiſſe. Cum igitur hæc Baſilica haud longè abeſſet ab Orato-

Oratorio S. Silueſtri, hoc eſt in fine, & certè in aliqua parte ambulationis eius, quæ inde ad concilii Aulam ducebat, & cum præterea immineret campo Lateranenſi, credere vtique oportet nequaquam eam Saluatoris Baſilicam fuiſſe, ſed Sacellum potius, & Palatii Baſilicam; quamquam idem quoque Baronius ex Anaſtaſio Bonifacii, & Eulalii ſchiſma deſcribens, Baſilicam hanc diſtinguit ab Eccleſia, dum Bonifacium in Baſilica Iulia, Eulalium in Baſilica Conſtantiniana creatos docet. Quis huius Baſilicæ fuerit fundator haud ſatis liquet, dicerem appellatam eam fuiſſe à Sancto Iulio Pontifice, niſi vulgò Baſilica Iuliæ Imperatricis appellaretur. In codice antiquo rituali, in quo de Romani Imperatoris coronatione agitur, huius Baſilicæ frequens admodum eſt mentio, habeturque Conſtantem Imperatorem ad Vrbem delatū progreſſum die Sabbati ad Lateranum in Baſilica Iulia accubuiſſe. eandem Baſilicam Iuliam Anaſtaſius conſecratam à Cœleſtino primo, auctamque eſſe donariis memorat, nempè patena argentea librarum quindecim, argenteis vaſis duobus librarum octo, argenteis ampullis totidem librarū decem, duobus argenteis candelabris, quorum ſingula pondo erant triginta, cum cantharis ceroſtatis æneis quatuordecim ponderis ſingulis libr. triginta, & coronis decem, ſeu argenteis lampadibus, quæ erant librarū decē; & quamuis Anaſtaſius non dicat in Palatio ne, an alibi hæc Baſilica fuerit extructa, credibile tamen eſt de hac ipſum, quę ab omnibus Baſilica Iulia nominabatur, loquutum. Nequaquam autem eſt omittendum id, quod maximè ad huius ædificii memoriam pertinere videtur, nempè Vitige Gothorum Rege ductu Belliſarii, quem in Italiam Princeps Iuſtinianus miſerat, ſuperato, cum Ioannes Magiſter militum cognomento Sanguinarius, Regem eſſet inſequutus, & captiuum ad Vigilium Pontificem adduxiſſet, in Baſilica Iulia Belliſarium iureiurando pollicitum eum ſe ſaluum, & incolumem Conſtantinopolim ad Iuſtinianum adducturum.

De Oratorio S.Sebaſtiani, ſeu de Baſilica Theodori Papæ.

CAPVT XV.

ORATORIVM hoc Theodorus Pontifex in Palatio Lateranenſi Sancto Chriſti Martyri Sebaſtiano conſtruxit, non longe à Diui Laurentii Sacello, & à Baſilica Iulia verſus Lateranicam: idem eſt cum Baſilica Theodori, de qua frequens admodum mentio apud Anaſtaſium habetur, qui inter cætera in vita Sergii Primi Papæ ad hunc propoſitum hæc habet.

Deinde Zachariam immanem ſuum protoſpatarium cum iuſſione direxit, vt prædictum Pontificem ſimiliter in regiam deportaret vrbem; Sed miſericordia Dei præueniente, Beatoque Petro Apoſtolo, & Apoſtolorum Principe ſuffragante, ſuamque Eccleſiam immutilatam ſeruante, excitatum eſt cor Rauennatis militiæ, Ducatus etiam Pentapolitani, & circumquaque partium non permittere Pontificem Sedis Apoſtolicæ in regiam aſcendere vrbem. Cumque ex omni parte multitudo militiæ conueniret, Zacharias Spatarius perterritus, & trepidans ne à turba militiæ occideretur, portas quidem ciuitatis claudi, & teneri Pontificem poſtulabat, Ipſe verò in cubiculo Pontificis tremebundus refugit deprecans lacrimabiliter, vt ſui Pontifex miſereretur, nec permitteret quemquam eius animæ infeſtari. Exercitus autem Rauennatis ingreſſus per portam B.Petri Apoſtoli cũ armis, & turba in Lateranenſe Epiſcopium venit, Pontificem videre æſtuans, quem fama vulgante, per noctem ſublatum, & in nauigium miſſum fuiſſe cognouerant. Dumque fores Patriarchij tam inferiores, quam ſuperiores eſſent clauſæ, has in terram, niſi velocius aperirentur mittere minarentur; Præ nimia timoris anguſtia, & vitæ deſperatione Zacharias Spatarius ſub lectum Pontificis ingreſſus ſe ſe abſcondit, ita vt mente excideret, & perderet ſenſum, quem

Beatiſſi-

Beatiſſimus Papa confortauit, dicens vt nullo modo timeret. Egreſſus vero idem Beatiſſimus Pontifex foris Baſilicam Domni Theodori Papæ apertis ianuis in ſedem, quæ vulgo appellatur ſub Apoſtolis, generalitatem militiæ, & populi, qui pro eo occurrebant honorificè ſuſcepit, datoque apto & ſuaui reſponſo, eorum corda liniuit: Quamquam illi zelo ducti pro amore, & reuerentia tam Eccleſiæ Dei quamque Sanctiſſimi Pontificis, iam à Patriarchij cuſtodia receſſerunt, quouſque denominatum Spatarium cum iniuriis, & contumelijs à Ciuitate Romana foris depellerunt; nam, & is, qui illum miſerat ipſo etiam tempore eſt Domino retribuente regno priuatus ſicque Eccleſia Dei imperturbata cum ſuo Præſule Chriſto fauente ſeruata eſt.

Et quia concio à Sergio Pontifice habita eſt in ſede Apoſtolis ipſis collocata conſidente, veriſimile eſt Apoſtolorum Capita eo tempore aſſeruari in hac Baſilica conſueuiſſe; niſi quis malit aſfirmare potius eam Baſilicam fuiſſe, quam S. Laurentio dicatam Sancta Sanctorum nunc appellamus, ſed in re tam vetuſta, ac obſcura, & in qua ſoli coniecturæ, ac deuinationi propemodum locus eſt, nihil eſt, quod auſim compertum, exploratumque profferre. In hac eadem Baſilida Stephanus Quartus Pauli cubicularii cognomento Affiartæ, qui fœdus cum deſiderio Longobardorum Rege inierat, eique ſe coniunxerat, temeritatem acerba oratione perſtrinxit, quod is in caput Chriſtophori Primicerij, & Sergii Secundicerij virorum de iuribus Romanæ Eccleſiæ contra Deſiderii impietatem optime meritorum nepharias inſidias comparauerat, de quibus hæc Anaſtaſius.

Nuntiatique more ſolito impetum faciens vniuerſa multitudo Populi, qui cum eis aduenerat (cum Paulo videlicet, & eius ſequacibus) *ingreſſi ſunt cum armis in Baſilicam Domini Theodori Papæ, vbi Stephanus prænominatus ſedebat Pontifex; quos & fortiter increpauit cur præſumpſiſſent armati in idem Sanctum Patriarchium ingredi, pariterque loquentes recedere eos iuſſit.*

Cæterum ante hanc Baſilicam Triclinium item erat, vt ex Anaſtaſio coniicitur, quod à Zacharia Pontifice marmoreis tabulis, opere muſiuo, pictura, & metallis exornatum fuiſſe traditur.

De

De Oratorio S. Gregorij.

CAPVT XVI.

VESTIBVLVM quod erat ſitum ante ſacellum Sancta Sanctorum in veteri codice rituali Baſilica, ſeu Oratorium S. Gregorii appellatur; ibi, vt noſtra etiam ætate vidimus, altaria erant duo, alterum quidem in eius ſpatii medio, alterum parieti propinquum; admodum videtur hoc Oratorium à S. Gregorio exſtructum fuiſſe, eaque gemina altaria ab eo dedicata.

De Baſilica Vigilij Papæ.

CAPVT XVII.

IN quanam potiſſimum parte Lateranenſis Palatii hæc Baſilica condita fuerit minime compertum habetur, illud certe conſtat, Vigilium Pontificem eius auctorem fuiſse, qui primus huic Patriarchio ædificia à fundamentis excitata adiicere inſtituit. Hadrianus Primus ſcribens ad Carolum Magnum huius Baſilicæ meminit his verbis:

Sanctiſſimus Vigilius Papa in Lateranenſi Patriarchio Baſilicam faciens pulcherrimis eam decorauit picturis tam in hiſtorijs quam in ſacris imaginibus.

Anaſtaſius etiam Bibliothecarius de ea ſic loquitur in Vitaliano.

Sabbato Imperator Conſtans Lateranas venit, & lætus ibidem pranſus in Baſilica Vigilij Papæ.

Has porrò Baſilicas, vt coniicère licet ex iis, quæ hactenus narrauimus, magnas Aulas fuiſſe oportet, cuiuſmodi eſt hodie in Palatio Vaticano Aula Conſtantini, ſeu Aula, quam Regiam nominamus.

De

De alijs Baſilicis, & Oratorijs Lateranenſis Palatij.

CAPVT XVIII.

ALIA item in hoc Patriarchio Pontificum Romanorum pietate excitata Oratoria, & Baſilicas conditas, haud dubium eſt, de quibus tamen cum nihil certi, quantum ad locum, in quo ſitæ fuerint, attinet, affirmare poſſimus indiſtinctam mentionem illarum, de quibus ſcriptores alii meminerunt facere conſtituimus. Anaſtaſius Bibliothecarius in Gregorii Secundi vita narrat Pontificem in Lateranenſi Patriarchio Oratorium Diuo Petro Apoſtolorum Principi extruxiſſe, & opere muſiuo, picturiſquè, ac metallis ornaſſe, Altare ibi argenteum ſtatuiſſe, Iconas item argenteas duodecim Apoſtolorum, quæ vniuerſæ centum & viginti, pondo fuiſſent. Hoc idem Oratorium appellari conſueuiſſe Oſanna ſcribit idem Bibliothecarius, ſiuè alluſio ea fuerit ad Diuum Petrũ in mari periclitantem, eaq; voce (quæ latinè ſonat, *ſalua nos*) vicinam Chriſti Domini opem implorantem, ſiuè quia ibidem ramalia olim oliuarum, & palmarum ſacerdotali mox benedictione conſacranda, ac diſtribuenda parabantur, quo die eam vocem in ſupplicatione publica frequentius iterari mos eſt. Oratorium etiam Sanctæ Crucis in Lateranenſi Patriarchio fuiſſe perhibetur, de quo tamen monumentum aliud non extat, quam quod ſupereſt in Inſtrumento donationis Comitiſſæ Mathildis in hæc verba.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Anno ſub in Incarnatione Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1079. XV. Kal. Decembris Indictione Secunda, tempore Diui Gregorij Septimi Papæ in Lateranen-

ſi Palatio in Capella S. Crucis, in præſentia Cencij Freiapane, Cencij Gratiani, Francolini, & Alberti de Petro Leone, & Bencicaſa fratris eius, Vberti de Taſcio, & aliorum plurium; Ego Mathildis Dei gratia Comitiſſa &c.

Præterea in libro quinto Ioannis Auentini Scriptoris Germani, cuius libri Inſcriptio eſt hiſtoria Boiorum, refertur Diploma, ſeu Bulla Alexandri Secundi Papæ ad Bohemos ſcripta, in cuius fine mentio eſt Oratorii S. Georgii dum dicitur.

Datum per manum Petri Præpoſiti S. Georgij, in Patriarchio Lateranenſi, menſe Maio Indictione quarta.

Anaſtaſius in Nicolai Primi vita de Oratorio alio Deiparæ Virginis, ita meminit.

In Patriarchio Lateranenſi domum pulcherrimam, nimisque decoram fieri iuſſit, & Oratorium Sanctæ Dei Genetricis, illic conſtruens veſtes, & competentes ornatus &c. ipſe Beatiſſimus Pontifex obtulit.

Idem Anaſtaſius in Leone Tertio in hæc verba de Oratorio Sancti Michaelis Archangeli habet.

Hic verò Sanctiſſimus Præſul fecit in Patriarchio Lateranenſi Oratorium à fundamentis in honorem Beati Archangeli inſigni opere firmiſſimè conſtruens, quod etiam ex muſiuo ſeù diuerſis picturis, ac pulcherrimis marmorum metallis diuerſis coloribus ornauit vndiq;

Huius Oratorij reliquias à Sixto V. cum cæteris veteris Patriarchij ruderibus in ædificij noui molitione deiectas conſtat, extatque recens memoria inſcriptionis ad eius frontem olim poſitæ, quam inter cætera eiuſdem ruinæ marmora à Pœnitentiarijs Baſilicæ lapicidæ cuidam quadraginta ab hinc amplius annis venditam accepi, cuius exemplum mutilum illud quidem, nec minus ac hominum negligentia, quam temporis iniuria male mulctatum huiuſmodi eſt.

. . . . ITA
PETRI AD HONOREM ARCHANGELORVM LEO
TERTIVS PAPA FIERI IVSSIT.

LEO

Cuius Inſcriptionis Lacunæ ab Vgonio in hunc modum expletæ ſunt.

HOC

HOC ORATORIVM A FVNDAMENTIS CVRANTE N. LEVITA PETRI AD HONOREM ARCHANGELORVM LEO TERTIVS PAPA FIERI IVSSIT.

LEO

Item in hoc Palatio locus erat, quod Vicedominium nuncupabatur, in quo videlicet Romanorum Pontificum Vicedomini, Vicarios, quos nos appellamus commorabantur. De eo Anaſtaſius ita ſcribit in Stephani Tertij Papæ vita.

Vix mortuus erat Paulus Papa cum Toto Dux Nepeſinus, Conſtantinus Paſſinus, & Paſchalis fratres eius in Vrbem irrumpentes Conſtantinum laicum fratrem ſuum contra Canones Papam elegerunt, & in Lateranenſe Patriarchium introduxerunt, & aſcendentes cum eo in Vicedominio, ibidem eum clericum à Gregorio Epiſcopo ordinari fecerunt.

Vicedomini vero idem Anaſtaſius in Vigilii Papæ vita, ſic meminit vt alibi etiam diximus.

Remiſit Romam ex Sicilia Ampliatum Preſbyterum & Vicedominum ſuum, & Valentinum Epiſcopum S. Ruffinæ ad cuſtodiendum Lateranum, & gubernandum clerum.

Quemadmodum etiam in vita Stephani Tertii Theodorus Epiſcopus Conſtantini Papæ Vicedominus his verbis nominatur.

Conſtantinus Papa cum fratre Paſſino, & Theodoro Epiſcopo, & Vicedomino ſuo fugit è Patriarchio in Baſilicam S. Saluatoris, & deſcendens ad fontem in Eccleſia S. Venantij aliquantulum reſedit, & deinde quidam peruerſi homines comprehendentes Theodorum Epiſcopum, & Vicedominum Conſtantini Papæ, ei oculos eruerunt, & lingua præciſa eum in Monaſterium Cliuiſcauri relegarunt, & paulo infra *Chriſtophorus Vicedominus Valdipertum Presbyterum compræhendentes eum in carcere recluſit.*

Hic autem Conſtantinus Nepeſini Ducis frater inuaſor, Pontificii ſolii fuiſſe traditur, ſed eius impietatis fructum minimè diuturnum cœpiſſe, etenim Duce Nepeſino armis Longobardorum obtruncato, adepto per ſcelus imperio, pulſus fuga ſibi conſuluit, electionemq; ſuã à Synodo, in Lateranenſi Patriarchio celebratam abrogari, atque irritari paſſus eſt, quemadmodum à nobis

alias

alias dictum eſt: Plura item Cellaria extitiſſe in Patriarchio Lateranenſi, indicant hæc Anaſtaſii verba in Papæ Stephani Tertii vita

Chriſtophorus Vicedominus comprahendens Valdipertum Presbyterum, eum in teterrima cuſtodia recluſit, quæ vocatur ferrata, in Cellario Maiore Patriarchij, & haud ità multo poſt eum ex illa cuſtodia educens in medio Campi Lateranenſis lingua eius abſciſſa, oculos ei effodi iuſſit, & in Xenodochio Valerij, recluſit, vbi etiam vitam finiuit.

Et quia Anaſtaſius Cellarii maioris mentionem facit; haud dubium eſt minora quoque Cellaria in Patriarchio fuiſſe, nam apud eumdem Scriptorem infra hæc leguntur.

Sergius Secundicerius cæcatus in Monaſterium Cliui ſcauri deportatur, & poſtmodum in Cellarium Lateranenſe deductus illic vſque ad obitum Papæ Stephani vixit.

Ego equidem Cellaria hæc genus quodpiam carceris fuiſſe ſuſpicor recepto in Principum, & Magiſtratuum domiciliis more cuſtodias huiuſmodi inter cætera dominationis inſtrumenta habendi, eorumque mentio apud eundem Anaſtaſium in vita Hadriani frequens eſt. Habemus apud eundem in vita Gregorii Quarti conditum ab eo Triclinium miræ magnitudinis in Patriarchio Lateranenſi fuiſſe cum apſide è muſiuo, media inter alias duas, quos ab vtroque latere poſitas, & variis hiſtoriis pictas habebat eique locum infra Paracellarium aſſignat.

DE

De Oratorio S. Laurentij, quod nunc appellatur Sancta Sanctorum.

CAPVT XIX.

A Quonam potiſſimum conditum fuerit inſigne hoc & Chriſtiano Orbi notiſſimum ædificium ignotum penitus eſt, ea Scriptorum qui hactenus de Eccleſia Lateranenſi meminerunt incuria fuit; illud vero non ambigitur omnium antiquiſſimum, & pretioſiſſimo inſignium quarumque reliquiarum Theſauro præ cæteris Oratoriis locupletiſſimum præcipuo per omnes ætates honore, ac religione percultum. Ianua verò Palatii, de qua ſupra egimus, & veſtibulum illud ſacelli, immo ſacellum ipſum, quod per Scalam Sanctam aditur, Sancta hodie Sanctorum vocatur, olim vero dicatum Diuo Laurentio fuiſſe conſtat, cuius Imago ſpectabatur ſupra Ianuam expreſſa opere texellato. Apud Bibliothecarium in vita Stephani Tertii apertè huius Oratorii mentio ſic habetur. *Alia verò die Conſtantinus Subdiaconus, & Diaconus à Gregorio Epiſcopo in Oratorio Sancti Laurentij intra Patriarchium Lateranenſe conſecratus eſt.*

Idem Bibliothecarius in enarrando ſchiſmate inter Anaſtaſium pſeudopontificem, & Benedictum Tertium ab Apoſtolico ſolio deturbatum, dolorem populi, eiuſdemq; deprecationes ad Deum, & cleri luctum deſcribens, expreſsam Oratorii ad Sancta Sanctorum in hæc verba mentionem facit.

Mox vniuerſa Vrbs vlulat, ampliuſque repleta eſt fletibus, & graui murmure quaſſata iacebat. Illico quidem omnes Epiſcopi, cleruſque, ac Dei populus Sancta Sanctorum ingreſſi tundentes pectora ſua profuſis lacrimis, inter veſtibulum, & altare proſtrati iace-

iacebant. Conſtat prætereà inſtauratum ab Honorio Tertio, deinde à Nicolao item Tertio marmoreis parietibus ad latera ſubſtructum, cum antea lateritium eſſet, ac ruinoſum, itemque ſuperiorem teſtudinis eius partem picturis exornatam. Poſitæ ibi ab eo fuiſſe dicuntur nonnullæ reliquiæ Præputium videlicet Chriſti Domini, Capilli Deiparæ Virginis, Capita SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & S. Agnetis, erantque ſingulæ intra proprias thecas decenter admodum collocatæ. Deinde ab ipſomet Pontifice translatæ dicuntur in Lateranenſem Baſilicam ab ipſo inſtauratam, manſitque cultus eius, & veneratio ibidem à piis, & religioſis viris habita, donec Oratorium eſt abſolutum, tum vero affluente populo vniuerſo & vna clero, Epiſcopiſque, & & Cardinalibus, idem Pontifex propriis manibus omnes argenteas reliquiarum thecas condidit ſub altari eiusdem Oratorii, quod etiam altare pridie nonas Iunii conſecrauit. Hoc ſacellum quadrata forma conſtructum à Chriſti fidelibus Scalam Sanctam aſcendentibus per feneſtram clatris ferreis concluſam ſpectatur, eiuſdem verò aditus ad meridiem patet, ad dexteram autem, Oratorium item S. Laurentii à Sixto V conditum, & conſecratum occurrit; ibique Sancti huius Sacelli Ianua ſita eſt, ſupra quam olim Imago eiusdem S.Laurentii opere muſiuo expreſſa cernebatur valuæ æneæ ſacellum claudunt, itemque ſtatutis quibusdam anni ſolemnitatibus ad morem pietati Chriſti fidelium gerendum aperiuntur, quemadmodum infra dicetur. Aediculæ ſpatium anguſtum admodum eſt picturarum, & operis vermiculati ornamentis imprimis elegans: concameratio vniuerſa plumbeis laminis tegitur: pauimento texellato conſternitur, habetque in girum ſedilia lapidea, ac parietes tabulis marmoreis inſignitos. Vnicum eſt huius Oratorii altare, ſub quo diu condita Capita Sanctorum Apoſtolorum iacuere lignum Sanctiſſimæ Crucis, & inſignes aliæ reliquiæ, vti mox magis diſtinctè dicam. Super hoc Altari eſt Imago Sancti Saluatoris dicta græce ἀχειροποίητος hoc eſt non manu facta; quaſi cœleſtis potius quam humani artificii opus ſit Tabernaculo aureis, argenteiſque ornamentis, ac gemmis referto, cortiniſque auro intextis obuelato includitur, cuius Tabernaculi claues penes Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Lateranenſis aſſeruantur. Altare, ſupra quod hoc Sacroſanctum Tabernaculum ſitum eſt

columnas

columnas duas habet ex lapide porphyretico, ſupra quas aureis characteribus hæc Epigraphe ſcripta legitur.

Non eſt in toto Sanctior Orbe locus.

ornatque ianuam expreſſa coloribus imago Deiparæ Virginis; miraculis plurimis inſignis. Hæc ſacra ædicula priſcis temporibus Cappella Romanorum Pontificum vocabatur, compluresque ſacri, & venerabiles ritus in ea peragi ſolitos memoriæ proditum eſt; id quod à nobis infra paulò accuratius tradetur. Conſequutis deinde temporibus diù quinque Canonicis, & Priori eius adminiſtrandæ incubuit cura, donec Martinus Quintus eam Baſilicæ noſtræ, vna cum Prioratu, & Canonicatibus adiunxit, Capitulũ verò aſſentiente Pontifice cuſtodiẽdæ eius munus nobiliſſimorum Romanorum ciuium ſodalitio commiſit, quod etiam regimini Xenodochii Lateranenſis ſumma cum pietate nunc præeſt. Locus hic Sancta Sanctorum vocabulo inſignis eſt ob plurimas, pretioſiſſimaſque ſacras Reliquias in eo ſeruari ſolitas, quarum nonnullæ hodiè quoquè ſeruantur, pleriſque aliò translatis, et inter cæteras notabili ligni Sanctiſſimæ Crucis parte, de qua apud Bedam cognomento venerabilem in libro de temporum ratione huiuſmodi mentio reperitur.

Papa Sergius in Sacrario Beati Petri Apoſtoli capſam argenteam, quæ in angulo obſcuriſſimo diutiſſime iacuerat, & in ea Crucem diuerſis, ac pretioſis lapidibus ornatam Deo adiuuante reperit, de qua tractis quatuor petalis, quibus gemmæ incluſæ erant miræ magnitudinis, portionem ligni Salutiferi Dominicæ Crucis interius repoſitam, inſpexit, quæ ex tempore illo annis omnibus in Baſilica S. Saluatoris, quæ appellatur Coſtantiniana, die exaltationis eius ab omni oſculabatur, atque adorabatur Populo.

Item apud Anaſtaſium Bibliothecarium.

Sergius Papa ex Sacrario B. Petri Apoſtoli thecam argenteam loco obſcuriſſimo iacentem, & temporis iniuria adeo deſœdatam, vt argentea nec ne eſſet, cognoſci vix poſſet, inuenit ſygillo, quo obſignata erat fracto, & ea aperta puluinar ex oloſerico, quod Stauracin vocant ſupra poſitum inuenit. Quo ablato Crucem auream diuerſis gemmis, & lapillis pretioſſimis ornatam vidit, ex qua fibulis, quæ margaritis ornatæ erant, detractis, magnam Sanctiſsimi ligni Dominicæ Crucis partem inuenit, quæ in Baſilica primum Sancti Saluatoris, quæ Conſtantiniana vocatur, deinde in hoc Oratorio repoſita, ſingulis annis

Anniuerſario exaltationis S.Crucis à cunctis fidelibus adoratur, & oſculatur.

Hanc autem quam dixi Sanctiſsimæ Crucis portionem in direptione Vrbis ſub Clemente Septimo à militibus aliquot Sacrilegis cum theca argentea ablatam Pontifex non ſine ope diuina recuperauit, aureaq; & Criſtallina Cruce incluſam in Vaticano imposterum palatio ſeruari iuſſit, eſtque vti ego exiſtimo pars illius ipſius, quam nuper Vrbanus Octauus Baſilicæ Principis Apoſtolorum dono dedit. Olim in hoc Sacello, vti colligimus ex ijs, quæ ſcribit Ioannes Diaconus Lateranenſis, altaria erant omnino tria, in quorum primo Leo Quartus, ſiue vt placet aliis Tertius arcam cupreſſinam maiorem, & capſulas tres ſacrarum Reliquiarum condidit, in quarum vna (quemadmodum loquitur idem Ioannes) eſt *crux aurea adornata gemmis, & lapidibus pretioſis, ideſt Iacynthinis, ſmaragdinis, & praſinis, & in media Cruce eſt præputium D. N. I. Chriſti, & deſuper eſt munitum thalamo, & ſingulis annis eadem vnctio renouatur, quando D. Papa cum Cardinalibus facit proceſſionem Sanctæ Crucis ab Eccleſia S. Laurentij in Baſilicam Lateranenſem.* Sed Præputium Chriſti Domini ſumma nunc cum veneratione ſeruatur, & colitur in Oppido, cui nomen Calcata, ad tertium & vigeſimum circiter ab Vrbe lapidem diſtante, quo illud in Barboniana Vrbis direptione vnus ex ſacrilega illa turba detulerat. In pauimento cuiusdam cellæ vinariæ vbi forte fugiens delituerat, ſacrum Theſaurum nephario interuerſori defodere placuit, quod & vulgatum certo ſibi apud homines ſacrilegij indicio, & proiectum maiori apud Deum piaculo futurum cernebat. Breui tamen, exſtimulante pauidum æternæ damnationis animum conſcientia, rem Sacerdoti aperuit vna cum cæterorum ſcelerum enunciatione, quam in S. Spiritus Noſocomio morienti edere contigit, & quamquam certa ſimul depræhendendi furti veſtigia demonſtraſſet, nonniſi poſt triginta demum annos ſub Pauli Quarti Pontificatu receptum eſt, priſtinoque, ac debito tantæ dignitati cultui, ac venerationi reſtitutum. Rei autem cognitu omnino digniſſimæ ſeriem paulo accuratiorem à Syluestro Petra ſancta Soc. Ieſu Presbytero audire non pigeat, qui in ſua prima metaphorarum centuria hæc habet.

Anno milleſſimo quinquagenteſimo vigeſimo ſeptimo in ea, quæ

tum

tum fuit Romanæ Vrbis direptione, miles quidam ſacrilegus ſcriniolum Sanctarũ Reliquiarum ſurripuerat ex Sacello iuxta Baſilicam Lateranenſem, cui veneratio indidit Sacrum hoc nomen, Sancta Sanctorum. Captus in via dum fugeret, vigeſimo circiter ab Vrbe lapide, in pago Calcata familiæ Anguillariæ defodit Theſaurum Sacrum. Euaſit deinde, & Romæ obijt in Xenodochio S. Spritus, ac tum Sacerdoti moriturus furtum reuelauit. Re poſtmodum ritè comperta, Clemens Septimus iuſſit ſtatim loca pagi omnia explorari, nec vſquam inuentum ſcriniolum fuit. Poſt annos triginta fortè Sacerdos, & Curio pagi ſcrobem ibi eruens, vbi miles, velut in carcere fuerat, reperit arculam ex chalybe longitudine vnius ſemipalmi, & altitudine decem digitorum, detulitque eam ad Magdalenam Stroziam, Flaminij Anguillariæ Coniugem, quæ tunc Stabij in pago proximo ad vnum milliare morabatur. Promitur, aperitur, extrahuntur Sacræ Reliquiæ obuolutæ ſericis velis perantiquis, Nomina vero membranulæ inſcripta, notulaſq; eorum ætas fere aboleuerat; Primo eximitur particula Carnis Beati Valentini Martyris magnitudine vnius nucis inglandis, tam recens, ac ſi deciſa ex reliquo corpore tùm fuiſſet. Mox profertur pars maxillæ cum dente S. Marthæ Virginis: poſt eam extrahitur panniculus byſſinus, cui inſcriptum erat nomen Ieſus. Magdalena conatur eum ſoluere ſemel, iterum, ſed momento manus ei obrigeſcunt. Stupet euentum, procumbit in preces, & veneratur vt liceat euoluere. Ideò experitur tertio, ſed digiti, ac ſi eſſent ærei torpeſcunt denuo. Tum Sacerdos, qui aderat, ſuadet, Claricis filiæ innocentulæ potius admoueat puras & virgineas manus, neque conſilium ſucceſſu caruit, ſoluit ea inuolucrum, & poſuit in argenteo polubro Sanctiſſimum Ieſu Præputium, quod inſtar rubri ciceris denſum, & criſpum erat. Interim fragrantia cæleſtis conclaue, & vniuerſam domum peruaſit, quæ & biduo manſit. Expoſitæ ad hæc plures aliæ particulæ, & procuratæ decentius, incluſæ æquè rurſus ad pagi Calcatæ Sacram ædiculam, ſumma fide, & ſilentio relatæ fuerunt: Diù tamen maieſtas diuini pignoris non latuit, quia biennio poſt ipſis Kalendis Iannuarij cum mulieres aliquot piè è Parthenio ſodalitio S. Vrſulæ, atque alij complures, ex Maſſani propinquo municipio inſtructi, accẽſis facibus eò veniſſent, & Parochus Sanctas Reliquias è ſcriniolo propoſuiſſet adorandas, nebula, & caligo repente Eccleſiam repleuit, & ſpatio circiter horarum quatuor, quotquot aderant, nihil niſi ſtellas, & ignes, & faces

euntes, redeuntesque per nebulam, pauidi ſimul, & venerabundi preſpectarunt. Magdalena Strozia de his certiorem fecit ſtatim Paulum Quartum Pontificem, qui Canonicos binos Baſilicæ Lateranenſis illuc miſit, & narrationi eius omnia congruerunt. Sed accidit præterea, vt dum ex Canonicis vnus pertentat, dura, an mollis caro Diuini Præputij eſſet eam diuiſerit incautus, tonitruaq; ſtatim, & fulgura, & turbines cunctis incuſſere ſpeciem, atque opinionem vltimi terroris. Iam in eo pago intra Eccleſiam Sanctorum Cornelij & Cypriani hæ Sanctiſſimæ Reliquiæ ſunt in honore præcipuo, easque olim fuiſſe in ſacello antedicto ad Sancta Sanctorum conſtat ex per-ueteri codice Baſilicæ Lateranenſis hactenus Petra ſancta.

In hoc etiam Oratorio capita Principum Apoſtolorum Petri & Pauli diù repoſita iacuere, immo ab Innocentio Tertio in armario æneo ſub altari S. Saluatoris condita traduntur, cuius etiam inſcriptionem extare teſtatur Panuinius in his, quæ de rebus Lateranenſibus memoriæ prodidit, ea tamen inſcriptio nunc deſideratur. Cum autem Vrbanus Quintus ibi ea ſatis pro dignitate attineri minimè iudicaret, in Baſilicam vt dixi Conſtantinianam translata marmoreo loculamento in id aptè admodum magnificèquè perfecto incluſit, & ſuper Aram maximam in parte totius Eccleſiæ auguſtiſſima collocauit. Quis tamen ea primus in eo Oratorio condiderit compertum non habeo; illud haud dubium eſt nouem amplius ſeculorum ſpatio vetuſtiorem eſſe, vtpotè Sergij Primi Pontificatu, (qui anno ſalutis ſexcenteſimo octuageſimo ſeptimo Eccleſiæ præſuit,) antiquiorem. In eius enim vita apud Bibliothecarium primam mentionem harum reliquiarum pridem in Theodori Baſilicam repoſitarum reperio *Sergius Papa*, ait ille, *egreſſus foris Baſilicam, quæ dicitur Theodori Papæ apertis Ianuis ſedens in ſede ſub Apoſtolis* (ego Apoſtolorum Capita fuiſſe non dubito) *quo ſe auguſtiorem, & iratæ plebi formidabiliorem oſtenderet generalitatem militiæ, & populi qui pro eo tuendo cucurrerant honorifice ſuſcepit, & blandis ſermonibus cunctorum corda leniuit*

Non defuere tamen græculi quidam, qui vſitato gentis ingenio fabulam impudentiſſimam proferre ſunt auſi vt pro capite Apoſtoli Pauli reliquiam alia fortaſſe de cauſa venerabilem, & vt plerique affirmant Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi deſumptam è corpore, Iſabellæ Francorum Reginæ muneri offer-

rent

rent facilem ſeu fraudis, ſiue erroris occaſionem nominis ſimilitudine præbente. Placere inde ſibi Reginam, nec ſecus ac par erat in tam præclari pignoris poſſeſſione diuitem ſe felicemque putare cœpiſſe memorant, donec grauibus & accuratis Clementis Quarti Romani Pontificis adhortationibus adducta eſt, vt locupletiorem de oſſibus ac cineribus Apoſtolorum teſtem Romanæ Eccleſiæ conſenſum, & certam fidelium omnium perſuaſionem, quam leuium homunculorum commenta, & ſomnia exiſtimaret.

Scias filia, aiebat in Epiſtola Pontifex *Apoſtolorum capita Romæ indubitanter haberi, qua fel. rec. Gregorius Papa Nonus Prædeceſſor noſter, de Sanctis Sanctorum ſuis manibus extrahens Romano Populo patenter exhibuit, & in locum ſuum reſtituit cum debita reuerentia, præſentibus, & viſentibus vniuerſis; Quod ſi forſan caput Diui Pauli Apoſtoli apud te eſſe putas, depone conſcientiam, ne falleris, neuè imponas ſcandalum matri tuæ Romanæ Eccleſiæ, quæ deceptionem huiuſmodi non poſſet æquanimiter tolerare.*

Id autem quod Epiſtola de oſtenſis Pop. Rom. à Gregorio Pontifice Sacris Capitibus hic habetur huiusmodi fuiſſe traditur. Quo tempore Fridericus Imperator eius nominis Secundus hæreditario aduerſus Eccleſiam Romanam odio diſſidebat proprijſque irarum cauſis nihilo leuioribus accendebatur, propterea quod ob ſyriacam expeditionem neglectam, magnamque cruce ſignatorum multitudinem medio in maris curſu deſtitutam diris ac execrationibus Eccleſiaſticis (quibus caput ipſe ſuum pollicendo ei rei, operam opesque, ſuas ſponte deuouerat) à Gregorio Nono Pontifice petitus erat, cum poſt reconciliatã primo cum Eccleſia gratiam eandem rurſus iram Summi Pontificis erga ſe, ac deuotiones excitauit; impotens animi immaniſſimus Princeps, & vlciſcendæ contumeliæ, quam culpæ corrigendæ intentior primo in Ciuitates Italiæ, quas Eccleſiæ partium ſtudioſas cognouerat omni cladis genere ſæuire cœpit, deinde Vrbem in ipſam; extrema Populo Romano, extrema Pontifici minatus cum exercitu perrexit; cui tempeſtati cum nihil humanarũ virium ſatis firmũ, ſatisque validum quod oponeret haberet, ad extraordinariam Sanctorum vrbis tutelarium opem in re trepida ſe conferre Gregorius, atque ab ea omnem ſalutis propè iam conclamatæ rationem expectare conſtituit. Itaque Clero, & populo aduocatis Sacratiſſi-

cratiſſima Apoſtolorum Petri, & Pauli capita protulit, & præmiſſa Cruce cui ligni ſalutiferi, quam ſupra retulimus, portio in eſt, à Laterano cum iis in Vaticanum proceſſit: ibi verò ambonem vna cum ſacris illis pignoribus aſcendens miſerabilem, & commouendis ad zelum,& pietatem animis idoneam orationem exorſus eſt, in qua periculum, ab eo Imperatoris conatu Eccleſiæ,ac fidelibus imminens luculenter oſtendit, inde vberes totius populi lacrimas vberioribus, quas ipſe inter orandum fundebat eliciens, decretum promulgauit, quo præmiis æternæ ſalutis omnes Chriſti fideles ad ſumenda aduerſus Fridericum hoſtem Eccleſiæ pia, & religioſa arma inuitabantur, Cruciſque vſitatum in ſacris expeditionibus inſigne ei militiæ tribuebatur, cui ſanè militiæ innumeram omnis generis multitudinem nomen dediſſe traditur, & Friderico infeſta iam ad muros ſigna inferenti obuiam proceſſiſſe,obfirmato què in Eccleſiæ defenſionem animo perfeciſſe,vt intra populationem agrorum, paucorumque præterea cædem omnis illa Imperatoriæ indignationis procella ſtetiſſet; haud quaquam auſis ad vrbis mœnia ſuccedere Cæſarianis, omiſſo namque Latio minitabundi, fremenresque in Campaniam tranſiere. Quo facto populus vberrimum omnium ſuæ erga ſanctiſſimos Chriſti Apoſtolos pietatis fructum, & obſequii cepit; nec enim (niſi immanibus illis incœptis præſens opis diuinę beneficium obſtitiſſet), minori cladi Romanæ Ciuitati futurus erat irati Friderici in eam ingreſsus, quam quæ olim ab Annibale in feſta ad Anienem Caſtra habente timebatur, & quam ei poſt aliquot deinde ſecula ſacrilega Borbonii, & Germanorum arma intulere. habetur præterea tum ipſorum ſacrorum Capitum, tum eorum in ſacello S. Laurentii depoſitionis diſerta mentio in veteri rituali codice, (cuius verba paulo inferius recenſebimus cum de cœremoniis hoc loco obiri ſolitis loquemur) ſcripto ante annos quadringentos, vbi cœrimoniæ diei Paraſceue, ſeu ſexte feriæ maioris hebdomadæ explicantur:

Porrò reliquiæ ſingillatim enumerantur, atque extare perhibentur in Oratorio ad Sancta Sanctorum à Ioanne Diacono in libro, quem de Baſilica Conſtantiniana Alexandro Tertio Pontifici ſcripſit.

Reliquiarum verò, quæ hodiequè in hoc eodem Oratorio ſuperſunt

perſunt habetur index muro Sancti Sacelli prope Ianuam affixus, cuius ſeriem hic infra ſubiicio.

Prima omnium in Tabernaculo pro Altari cernendam ſe præbet Imago Saluatoris Chriſti Domini tertium, ac trigeſimum annum agentis, quam vetuſta fidelium pietas Euangeliſtæ Diui Lucæ manu recente adhuc conuerſationis eius inter homines memoria, poſt aſcenſionem in cœlum expreſſam, dum accenſis hic Virginis Matris, & Apoſtolorum ſtudijs obſequitur; eandemque mox Angelico quoque artificio perfectam, à Tito Veſpaſiano Iudeæ domitore in Vrbem delatam, & haud vulgaribus inſignitam à Deo miraculis perſuaſum habet. In feneſtris ſupernè imminentibus, ac præcipuè in ea, quæ Imagini B. Syluestri Pontificis adhæret magna vis oſſium Sanctorum Martyrum cum cæterorum tum præcipue SS. Innocentium aſſeruatur.

In ea vero, quæ Imagini Conſtantini Imperatoris coniuncta eſt, inter cæteras SS. Martyrum reliquias nullo inſignitas nomine extat res admiratione præcipua digna, in humano capite nares, & oculi adhuc ſuperſtites. Cæterum, ſi coniecturis in re propter temporum antiquitatem obſcuriſsima locus eſt, in ea mente ſum, vt exiſtimē reliquias, quæ in hoc indice nomine carent, illas eaſdem eſſe, quas Stephanum Sextum ſolemni pompa comitante Populo Romano vniuerſo, nudis pedibus ab vno ex Cœmeteriis viæ ſalariæ extraxiſſe memorant, eique cœrimoniæ diem ad XVI. Kal. Februarii aſſignatum, ipſumquemet Pontificem humeros venerablili ei ferculo ſubmiſiſſe, primoribus ex Clero inter hymnorum, & pſalmorum concentus, & accenſarum facum ſplendorem ſequentibus. Cur verò abſque nomine ſint, cauſam exponere libet. Martyrio coronatos iam inde à primis Eccleſiæ temporibus extra Vrbem via ſalaria nobiles duo Chriſti milites Chryſanthum, ac Dariam celebris inter veteres Chriſtianos fama tenebat, quæ promiſcuam paſſim omnis generis fidelium multitudinem ad locum eorum certaminis euocabat; venerabundam, & ſpiritualium inexpletam donorum, quibus ibi cœleſtis indulgentia ſe ſe munificam mira, & prodigioſa patrando oſtendebat; quoquè id impunè illis difficili eo perſecutionum tempore eſſet; Specum ſub terra defoderant in quo procul à gentilium oculis ſacrorum pignorum cultui, ac diuinis laudibus vacarent, qui quidem Conuentus ſolito celebrior ad (vt fit) anniuerſarium

diem

diem SS. Martyrum natalem erat, quo die accidit aliquando, vt indicium eius rei ad Numerianum Principem deferretur; is autem implacabili odio, quo in Chriſti fideles ferebatur memorabili eorum cæde obſequendum ſibi ſtatuens, obſtrui egreſſum foueæ, tectumque ſupernè aperiri iuſſit, miſeramque, & Innocentem turbam lapidibus obrui, confectoſque, vt erant, Chriſti ſeruos ea ruina ſeppelliendos curauit. Manſitque diù confuſa ſaxorum informium ad modum maceriæ ſtrues pretioſiſſimi Theſauri depoſito incubans; donec Pontifex Stephanus diuino admonitu delatus Sacra Martyrum Chriſti oſſa ſuauiſſimo circumfuſum populum odore replentia, propriis manibus legit aſportauitque, & in variis Vrbis Eccleſiis, ſed partem multo maximam in Lateranenſi Patriarchio collocauit; quia verò præter SS. Mariani, ac Diodori nomina nullius eius agonis conſortium notitia ad poſteros manauit, ac ne ſi manaſſet quidem, quæ cuiusque corporis reliquiæ eſſent dignoſci poterat, probabile eſt ſine titulo eas inter alia Sanctorum oſſa repoſita huius autem meæ ſententiæ Ioannem Seueranam Scriptorem antiquitatis Eccleſiaſticæ haud indiligentem, in libro quem de Septem Vrbis Eccleſiis edidit auctorem habeo; Sed ad ſeriem tabulæ harum reliquiarum reuertamur. Habetur etiam de veſtimentis S. Petri Apoſtoli, S. Stephani Protomartyris cum maculis Sanguinis, qui è ſacratiſſimo eius Corpore Lapidantium ictibus expreſſus eſt. Item Sancti Laurentii cum nonnullis carbonibus, quibus combuſtus eſt. Quædam veſtimenta Sacra Beati Stephani, & B.Laurentij, quibus vſos fama eſt in conſecratione dictæ Cappellæ, quicunque ij fuerunt, qui cæleſti miniſterio id munus obiere. In inferiore parte Tabernaculi Saluatoris Tabernaculum eſt plenum reliquiarum locorum terræ Sanctæ veſtigijs humanæ redemptioni nobilium, videlicet priſcæ Vrbis Hieruſalem, ac Bethleem. De Præſepe Domini, de montibus Thabor, Oliueti atque Caluarii, de loco, qui dicitur lithoſtrotos, de Sepulcroglorioſæ Virginis Mariæ, Lanceæ, quæ latus Chriſti in Cruce pendentis aperuit. In arca verò ærea ſubtus altare poſita multis illa quidem ferreis, craticulatis, & clauibus occluſa, ac diligenter cuſtodita, infraſcriptæ reliquiæ aſſeruantur, videlicet Domini Noſtri Ieſu Chriſti vmbilicus, & pars Præputii in quadam cruce aurea eleganter elaborata, Sandalia eiuſdem Saluatoris.

Item

Item plures capſulæ plenæ reliquiarum plurimorum Sanctorum Martyrum, Confeſſorumque, & Virginum. In medio cuiuſdam Crucis aureæ magni ponderis aſſeruatur de ligno veræ Dominicæ Crucis. Item in alia capſula argentea habetur Crux ex auro puriſsimo, cum ſeptem miſteriis Ieſu Chriſti, quæ olim quot annis à Pontifice balſamo inungi, & populo oſtendi in die exaltationis S.Crucis ſolebat. Item in alia capſula argentea alia Crux eſt, cum ligno item veræ Dominicæ Crucis, quam Heraclius Imperator de Perſide retulit cum corpore Sancti Anaſtaſii, quod ſub prędicto altari ſepultum eſt, & ibidem vnus panis de Cœna Domini cum duodecim granis lentis: Item pars ſpongiæ, quam aceti, & fellis plenam Iudæi Domino noſtro Ieſu Chriſto in Cruce poſito porrexerunt: Item pars Arundinis, qua Caput Domini à Pilati Militibus percuſſum in Euangelio legimus: Item pars Arboris Sycomori, ſupra quam Zacchæus, vt videret Chriſtum, aſcendit: Item Sancti Bartholomæi mentum, & Sancti Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ maxilla: de Capillis Sancti Ioannis Euangeliſtæ, & vnus Dens Præcurſoris, vaſculo chriſtallino incluſus. In capſula eburnea multæ reliquiæ diuerſorum Sanctorũ conduntur, ſeptem videlicet fratrum, Proceſsi, & Martiniani Abdon, & Sennen, Felicis, & Adaucti, Hyrenæi, & Abundii, Pigmenis, & Saturnini: de Reliquiis SS. Damaſi, & Felicis Romanorum Pontificum: de veſtimentis Beati Ioannis Euangeliſtæ: Bracchium S. Cœſarei Martyris, cum pluribus reliquiis Sanctorum, videlicet S. Stephani Papæ & Martyris: Humerus S.Dioniſii Areopagitæ: de reliquiis S.Sebaſtiani Martyris, & Tiburtii, & Sylii, Cromatii, Nerei & Achillæi, & Aquilæ & Priſcillæ, Marci, & Marcellini, Primi, & Feliciani, & Pontiani Papæ, & Martyris, Hieronymi Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris: item ſculptura pueri hamo piſcantis: Caput integrum S.Praxedis cum cute, oculis, naribus, lingua, labiis, & palpebris, quod ſine magno admirationis, ac deuotionis ſenſu ſpectari non poteſt: Caput Beatæ Barbaræ Virginis, & Martyris: Item Beatę Agnetis, & magna pars eiuſdem veſtimentorum, ac S. Euphemiæ: de reliquiis S. Eulaliæ Virginis, & Martyris: S.Anaſtaſiæ, Agapiæ, Schoniæ, Hyrenes, Piſtis, & Elpis, ſiue græcè inflecti malis, Piſteos, Elpidos, & Brigidæ Virginis. Plures particulæ ſpongiæ, qua Sancta Praxedes effuſum Sanctorum Marty-

rum ſanguinem colligebat in propriis puteis ſepeliendum: Item ampulla ſanguine, & adipe Sanctorum Martyrum plena: Item in alia arca de reliquiis Sanctorum Cyriaci, Sabæ Abbatis, Nicolai Epiſcopi: Item aliud vas æreum cum multis reliquijs ſine nomine: Item in alia capſula ex hebano ſunt multæ reliquiæ, ac ſpongiæ, & fragmenta veſtimentorum, quæ creduntur fuiſſe Beati Petri Apoſtoli, & Laurentij, & Vincentij cum carbonibus nonnullis, adipe & ſanguine adſperſis: Reliquiæ mille, & vltra: Varia oſſa, & carbones, ſpongiæ, cineres, & ampullæ ſanguinis plenæ: pixides multæ plumbeæ varijs inſcriptionibus annotatæ, ſed quæ percipi nequaquam poſſunt. Item multorum oſſa Sanctorum, cineres, atquè lapides, cum quibuſdam ligni fragmentis, hæc omnia pluribus pannis ligantur. Item duæ tabulæ, pictam Apoſtolorum Petri, & Pauli capitum effigiem veræ, & naturali ſimillimam continentes: Item multi panniculi Sanctorum ſanguine tincti, creduntur que eſſe illi, quibus Beatus Hyppolitus vidit Angelos vulnera Beati Laurentij Martyrium obeuntis tangentes, ibidemque culter ferreus, & coeno ex parte conſumptus. Item in alia capſula lignea, ab antiquis Pontificibus facta, ſunt tres cereæ Agni Dei effigies, præterea reliquiæ ſine nomine. Item in tribus pannis albis plurima Sanctorum oſſa ligantur, interque ea Brachium cum pluribus oſſibus diuerſorum Sanctorum ſine nomine. Item in quodam panno bombycino rubei coloris crux eſt ex carne, & adipe cum balſamo admixto compoſita, & ad quatuor partes paruo ſygillo ſignata, credo ne pars eius aliqua detrahi poſſit. Item quam plures ſacculi, & capſulæ multarum reliquiarum plenę, & Sanctorum fragmenta veſtimentorum, & quamplures ſpongiæ, & oſſicula & cineres multa veneratione, & admiratione digna ſine nomine. Item in dicta Capella parieti affixa habetur tabula, ſuper quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſediſſe dicitur, cum ad pedes diſcipulorum in die Cœnæ abluendos acceſſit. Plurima huius generis ſingillatim enumerare breuitatis cauſa omittimus, quæ ſi ſacra, & digna veneratione non fuiſſent, à Summis Eccleſiæ Patribus inter Sanctiſſima, & religioſiſſima quæque, & cultui fideliū propoſita, collocata minime fuiſſent. Qua propter locus hic verè totus Sanctus eſt, quem tot inſignium noſtræ religionis

gionis monuměta decorant, vt iurè meritoq; inclytũ Sãcta Sãctorũ ab antiquis Patribus ſibi vocabulũ, & plenariã omniũ peccatorum remiſſionem ritè ſe colentibus adeptus eſſe videatur; intranti ſiquidem hanc Capellam plenariæ indulgentiæ beneficium in forma Eccleſiæ conſueta eſt attributum, & quia nulli fœminæ pedem in ea ponere fas eſt, accedentes eius ſexus fideles ad feneſtram ferream idem diuinæ clementiæ munus accipiunt, ac ſi Capellam intraſſent.

Hęc ferè ſunt, quę in tabulę ante oratorii S Laurentii fores adfixę indice, ſacratiſſimorum pignorum nomina continentur; quæ quia in duo genera diuiduntur, relliquiarum videlicet, atque imaginum, omiſſa de priore diſputatione, de hoc altero in gratiam celeberrimæ Saluatoris Lateranenſis Iconis pauca dicere nequaquam alienum à meo propoſito futurum exiſtimo, præſertim cum poſteriora huius ipſius tabulæ verba hanc ipſam materiam pertractent, quamquam nonnulla eadem de re varijs in locis huius operis tetigiſſe me memini.

Occaſione Sanctarum Imaginum plura, eaquè grauiſſima in Eccleſia Dei Concilia habita ſunt ob pernicioſos, & peſtiferos errores, quibus ea relligionis Chriſtianæ pars fœdari repente à nepharijs, & impuris fidei deſertoribus eſt cœpta. Originem earum turbarum, motuumque á Leonis Imperatoris cognomento Iſaurici impietate, leuitateque profectam accepimus; is namque iudæi cuiuſdam inſtinctu immotam ea tempeſtate tranquillitatem Eccleſiæ inuidentis, receptum apud Chriſtianos colendi Sacras Imagines vſum pro abſurdo, & à lege diuina abhorrente ſuſpectum habere, damnare deinde apertius, mox opinionis fautores ſtudioſè conquirere; tandem, quaſi pietatis fines ſemel egreſſo non grauiter impium eſſe nefas eſſet, omni genere immanitatis in Chriſti, Sanctorumque effigies, per omnes Orientis Prouincias fidelium cultui propoſitas ſæuire aggreſſus eſt, ne quid vſquam extaret, quod ad recolendam rerũ à Chriſto Domino, & Sanctis eius geſtarum memoriam ad oculos fidelium accedere poſſet. Multis ille quidem Gregorii Secundi Romani Pontificis adhortationibus, monitiſque ab inceptis tam nephariis dimoueri, ac deterreri fruſtra tentatus eſt; nam adeò nihil à ſuſcepta ſententia ſibi remittendum putauit, vt potius omnem in-

duſtriam, ſtudiumque eo contulerit, vt vniuerſa Dei Eccleſia, & imprimis ipſe Romanus Pontifex ea ſe tabe inſici pateretur, quo quidem ſceleris, & impudentiæ monſtro iram Eccleſiæ Romanæ aduerſum ſe, fulmenque anathematis excitauit, cuius ſeueritatem Gregorius Tertius Secundi ſucceſſor, peculiari in id coacta apud Vrbem Synodo, confirmauit, nec in eadem coſtantia perſeuerare ſequuti Gregorium deinceps Romani Pontifices dubitauere; ſed præcipuè Hadrianus eius nominis primus, cuius auctoritate habitus eſt ea de re oecumenicus vniuerſalis Eccleſiæ conuentus apud Nycæam, vrbem dirimendis fidei controuerſiis iam inde à Conſtantini tempore, & Arii damnatione memorabilem, cui ſeptimæ ſynodo nomen eſt. Huius decreto ſtabilita in perpetuum eſt ſalutaris de ſacris Imaginibus venerandis doctrina; earumque relligio multo quàm antea frequentior, ac celebrior in fidelium pectoribus, & in vſu templorum, atque altarium eſſe cœpit, reuocatæque ea occaſione inſigniores rerum hac in materia antiquitus geſtarum memoriæ ſunt, cuiuſmodi fuit id, quod legimus in Suida, & Nicephoro de muliere infantem in vlnis gerente ab Auguſto Sybillæ, ſeu verius Sybillinorum carminum, admonitu notata, deque Ara Primogenito Deo dicata apud Capitolium in ea collis parte, quam nunc occupat inſigne B. Virginis templum, quod in Aracæli vocamus. Ac fuiſſe etiam conſentaneum eſt pleraque eorum, quæ de hac ipſa, cuius mentionem facimus, imagine Saluatoris, traduntur, cuius vetuſtiſſimus, & conſtantiſſimus in Eccleſia Romana cultus, & veneratio plurimum ad ſtabilienda catholicorum, contra orientales errores, & iconomachorum blaſphemias, dogmata valuiſſe, haud dubium eſt, namque ſummam ſemper eius apud Vrbem relligionem fuiſſe conſtat, ſummam in animis omnium fidelium reuerentiam, eaque tamquam certiſſimo diuinæ miſericordiæ propitiatorio clerus, & Populus Romanus difficilioribus quibuſque temporibus vtebatur, ſolemni inſtituta ſupplicatione, qua proſequentibus omnibus ciuitatis ordinibus circumferri ſolebat; quemadmodum factum legimus tempore Pauli Secundi oppugnata à Turcis poſt euerſum recens Conſtantinopolitanum Imperium Chalcide (quàm Negropontum hodie appellamus) qui Pontifex non hanc modo Saluatoris effigiem, ſed præterea imaginem S. Mariæ de Populo, caput S. Io: Baptiſtæ, ac alias quaſ-

dam

dam ſacras relliquias inſigniores, circa Lateranum celebri cum pompa perlatas diuinæ miſericordiæ conciliatrices eſſe voluit. Ex huiuſmodi ſupplicationibus celebris Romanorum Pontificum conſuetudo, ad hæc vſquè tempora perducta, originem habuit culcitras pretioſas Lateranenſi Eccleſiæ, eiuſque, exemplo Vaticanæ etiam, & Exquilinæ, quaſi teſſeram quampiam venerationis & obſequii indicem, conferendi, quò enim ſupplicationum, quas diximus, pompa illuſtrior, atque ad pietatem, ac deuotionem in ciuium pectoribus excitandã accomodatior eſſet, ornari tabernaculũ eius pannis ſerico, auroq; contextis mos erat, quideinde exoleſcente etiam circumferendę imaginis conſuetudine ſeruari in hodiernum vſque diem, vt diximus, perſeuerat. Extat præterea inſigne Pontificiæ liberalitatis erga hanc effigiem monumentum caſula Sacerdotalis, & pluuiale auro, gemmiſque perfectum à Nicolao Quarto cum honore verborum Pontificij diplomatis, quod adhuc ſuperſtes eſt, dono datum, & roſæ præterea duæ à Pontificibus Romanis benedici ſolitæ, egregium Pii Quinti, & Pauli item Quinti, ſummorum Pontificum munus. Cæterum ſupplicationes, quorum ſermonem inſtituimus cum ad alias ciuitatis Eccleſias, tum præcipuè ad S. Mariam Maiorem ordinabantur, haud leui fidelium perſuaſione eam eſſe propitiandæ cœleſtis pacis, ac miſericordiæ Chriſti Domini efficaciſſimam rationem, vt homines tunc maximè in preces effunderentur cum inſigni exquilinæ Virginis imagine propè Saluatoris imaginem poſita Sanctiſſimæ Dei Genitricis validiſſima apud filium gratia & ampliſſima auctoritas votis, ac poſtulatis eorum accedere videretur; cuius rei documentum vetuſtiſſimum eſt id, quod de Stephano Tertio Summo Pontifice traditum legimus, cum imminentibus Aiſtulphi Longobardi copijs populum in Lateranenſem Eccleſiam aduocatum, deq; communi periculo edoctum inuidia erga ſæuiſſimum tyrannum, odioque iuſtiſſimo repleuit; mox commotam vniuerſam turbam luculenta oratione, crebris ſuſpirijs, lacrimiſquè referta, ad Eſquilias eduxit, agmen ipſe ducens, nudus pedes, & humeros pretioſſima huius imaginis ſarcina grauatus, præ ſe violatas ab Aiſtulpho fœderis tabulas vexillo crucis appenſas agens. Nec irritæ preces fuere, quibus in Liberiana B. Mariæ Baſilica vniuerſus cum ſuo Sacerdote populus in cinere, & reliquo pœnitentiæ habitu Chriſto Domino, ac Virgini

Deipa-

Deiparæ ſupplicauit;nam ab ea oratione,quaſi nouo quodam, ac cœlitus immiſſo præſidio confirmatus Sanctiſsimus Pontifex ad florentes ea tempeſtate Pipini, & francorum opes ſe contulit, quarum auxilio fracta Aiſtulphi contumacia,in priſtinum ſtatum dignitatis, ac ſecuritatis Romanam Eccleſiam,repoſuit. Solemnior autem cæteris huius pompæ ducendæ dies in feſto Aſſumptionis B Mariæ Virginis erat, de cuius cæremoniæ origine, & progreſſu, ritibuſque in ea obſeruari conſuetis, quia e Sacello Sancti Laurentii, de quo nunc loquimur,educebatur paulo curatiùs dicere libet: imò verò Benedictum Beati Petri Canonicum grauiſsimæ antiquitatis auctorem hac de re loquentem inducere, his namque in libro,qui inſcribitur *de Ordine Eccleſiaſtico totius anni Apoſtolica dignitate & totius curiæ Romanæ ad Guidonem de Caſtello tunc Cardinalem Sancti Marci, poſtmodum Cœleſtinum Secundum.* interque alia pretioſa eius generis monumenta in Valicellana S.Philippi Nerii bibliotheca manuſcriptus aſſeruatur, hæc habet.

In vigilia S. Mariæ D. Papa cum Cardinalibus diſcalceatis pedibus facit ſeptem genua, & aperit imaginem & oſculatur pedes Domini, & deponit . . . cantando Te Deum Laudamus, *Idem conſtituit Leo Quartus Papa. In Aſſumptione S. Mariæ D. Papa cum tota curia facit veſperum, & Vigilias nouem lectionum in Eccleſia S. Mariæ Maioris. Cum fuerint finitæ reuertitur Lateranum. Cardinales, & Diacones accipiunt Imaginem Ieſu Chriſti, & abſtrahunt de Baſilica S. Laurentij cum omni populo portantes eam per campum Lateranum iuxta Baſilicam S. Gregorij, Crucem Stationalem portat regionarius poſt eam. Poſtquam proceſſio curiæ ordinatè procedens cantando prout primitus cum Schola reſponſoriū de eadem feſtiuitate. Præfectus cum duodecim viris accipit à curia duodecim faculas, hoſtiarij vero alias duodecim portantes accenſas antè imaginem;dum imago tranſit per campum,cubicularij ſtant in culmine S. Gregorij tenentes duas faculas accenſas, qua imagine tranſacta extinguunt faculas, cumque imago venerit ad S. Mariam Nouam, deponunt eam ante Eccleſiam, & lauant pedes eius de baſilico;interim Scholæ faciunt matutinum in Eccleſia, trium ſcilicet lectionum, populi vero laudantes, & benedicentes Dominum tollunt eam inde, & portant ad S.Hadrianum, & ibi lauant pedes. Exeuntes autem de Eccleſia redeunt per viam,qua venerunt, & portant eam per arcum*

eum Latonæ; quia antiquo tempore magna perſecutio erat ibi diaboli; deinde tranſeunt iuxta domum Orſai propè Baſiliſcum, qui tum tempus ibi latitabat in cauerna, cuius fœtore, & ſibilo homines indè tranſeuntes infirmabantur, & moriebantur. Id circo Sergius Papa conſtituit hanc proceſſionem. In hac tanta feſtiuitate tam tunc per laudes tantorum populorum, & interceſſionem Sanctiſſimæ Virginis Mariæ apud Deum Pop. Romanus ab his perſecutionibus liberaretur. Aſcendens ad S. Mariam D. Pontifex præparatam cantat miſſam, benedicit populum fatigatum, omnes recedunt.

Hactenus ille. Cæterum hic deferendæ ſolemni cum pompa Saluatoris imaginis ritus vſque ad auorum noſtrorum memoriam perſeueraſſe traditur, donec Pio V Summo Pontifici, inter alia plurima ſapienter, integrèque in Eccleſia conſtituta, eius conſuetudinem impoſterum inhibere viſum eſt, quod haud quaquam tantundem ſpiritualis emolumenti ab eius obſeruatione ad fidelium animos peruenire exiſtimaret, quantum corruptelarũ in nocturnis frequentis populi circa eam diſcurſibus proficiſci animaduertit, poſt reſtinctum ſcilicet antiquum illum pietatis, ac deuotionis feruorem; quamuis delectatam antea magnopere ea profitendæ pietatis ratione diuinam clementiam haud dubium haberet, re non vulgaribus miraculorum teſtimoniis confirmata, & inter cætera prodigioſa ceræ in alendis luminibus, quæ ad ſupplicationes proſequendas adhibebantur, perſeuerantia; animaduerſum enim haud ſemel eſt facum huiuſmodi flammas per totam noctem accenſas non ſolum minimè conſumpto, verum etiam aucto plurimum alimento manè repertas. Nec verò minore cultu, honoreque dignæ ſunt habitæ duæ haud abſimilis vetuſtatis, & auctoritatis Virginis Dei Genitricis Imagines, (antiquus huius Oratorii, de quo nunc loquimur, theſaurus,) quarum impræſens vna tantum eſt reliqua, nam alteram à Gregorio Nono hinc ablatam, & ſolemni cum ſupplicatione ad Capellam in aditu portæ Flaminiæ poſitam, tranſtulit, idque eo conſilio religioſiſsimus Pontifex feciſſe traditur, vt immundis à ſpiritibus eo diuini pignoris remedio locus ille liberaretur: quippe verſari illic aſsiduè ingentem ſpetrorum immanium turbam, quietemque fidelium ibi degentium infeſtam habere haud dubia hominum eius temporis perſuaſio fuit, pleriſque etiam Neronis Romanorum Principum impuriſsimi, ſæuiſsimique cineres ibi ſepultos

pultos immanium ſcelerum, quæ viuens eſt auſus, pœnas dare credentibus; quaſi diuinæ iuſtitiæ haud quaquam ſatis animaduerſum videretur in damnatam tyranni ad ęternos cruciatus animam, memoriamque poſterorum execrationibus abiectam, niſi in oſſa, mutoſque, & exangues cineres debitorum ſuppliciorum ſeueritas porrigeretur. Verum quia hæc auctore, pręter promiſcuum hominum ſermonem, nullo idoneo niti videntur, neq; affirmare, neque refellere in animo eſt, cum pręſertim nulla in præſens idolorum huiuſmodi veſtigia maneant, conciliata vt exiſtimare par eſt, huius imaginis patrocinio ei loco cœleſtium pace, ſedeque huius generis pœnarum aliam in partem translata. Cæterum poſt longum annorum ſpatium Sixtus eius nominis Quartus Rom. Pontifex tēplū, quod hodie S. Marię de Populo appellamus, ibi ædificandū curauit, quod inter cæteras Vrbis Eccleſias elegantia, cultuque, & ornamentis pulcherrimum exiſtimatur, viſendumquè ſe meritò Romam adeuntibus præbet cum reliqua ſua magnificentia, tum præcipuè Sacello pulcherrimo, quod templum intrantibus è ſiniſtro latere occurit ad miraculum omnis elegantiæ, omniſque artificii à veteribus Chiſiis extructum, & non ita pridem ab Alexandro Septimo Summo Pontifice dum adhuc Cardinalem ageret deterſis vetuſtatis iniuriis priſtino ſplendori reſtitutum. Qua quidem liberalitate delectatus humaniſſimus Princeps ad auferedum toti Eccleſiæ veterem ſqualorem, ac ſitum poſt adeptum Pontificatum eſt excitatus, eademquè occaſione perficiendi pulcherrimi Portæ Flaminiæ ædificii quod Pius Quartus auctore, Bonarota architecto omnis ætatis nobiliſſimo inchoauerat, conſilium cœpit, reſque per commodè in aduentum Suecicæ Reginæ ad eiurandas hæreſes, reconciliandamque Eccleſiæ gratiam in Vrbem properantis, cecidiſſe viſa eſt, quaſi magnificentiſſimæ illi pompæ, qua deducta nuper ad Summi Pontificis conſpectū eſt, pro arcu triumphali extructum id ædificium eſſet: id quod etiam epigramma in fronte aſcriptum declarat; eſt autem huiuſmodi.

FELICI FAVSTOQVE INGRESSVI.

Hactenus in gratiam imaginis Deiparæ ab Oratorio S. Laurentij ad Portam Flaminiam tranſlatæ dixiſſe ſufficiat. nunc ad propoſiti

ſiti noſtri ſeriem redeamus. Et id quod in ſuperioribus oratorijs enarrandis fecimus, aliqua de ritibus, & cæremoniis hoc loco antiquitus obiri ſolitis dicamus.

Inſignis autem inter cæteras, abluendorum pedum ſolemnitas erat, feria V. in cœna Domini peragi hoc in oratorio conſueta, cuius ratio, cum pleraque in ſe notatu digna contineat, non incommodè hic tradi poſſe videtur, quemadmodum in vetere codice, deſcripta eſt Cencii Camerarii, ſæpè ſuperius à nobis laudati, cuius verba huiuſmodi ſunt.

Miſſa tandem finita, Pontifex indutus cum cæteris ad Palatium in Baſilicam S. Laurentij reuertitur, ibique exſpoliat ſe vſque ad dalmaticam, & appoſita clamyde rubea ipſi ad collum ſedit; Cubicularij ergo parant aquam calidam pro abluendis pedibus Subdiaconorum, & ponunt peluim coram eo, & Diaconus Cardinalis, qui ſeruit ei ponit tobaleam, quam Camerarius dat pro ipſo ſeruitio ſuper genua D. Papæ. Duodecim autem Subdiaconi cum Priore remanent extra Baſilicam diſcalceati, & Schola Oſtiariorum, & mappulariorũ accipiunt Priorem Baſilicæ, & alios vndecim ſubdiconos in vlnis ſuis; ſicque per ordinem portant eos vnum poſt alium ante D. Papam. Pontifex autem, D. Papa videlicet, lauat pedes eorum, & tergit cum linteo, & poſtmodum oſculatur, & dat vniquiq; duos ſolidos papienſes.

Nonnulla quoque myſteriorum diei Paraſceues in hac Baſilica peragi ſolita, item diei Paſcatis eadem de cauſa verbis eiuſdem Camerarij hic apponam.

Sexta vero hora D. Papa cum omnibus Cardinalibus intrat Baſilicam S. Laurentij, & facta oratione ibi accedit ad atare, & aperto altari extrahit inde capita Apoſtolorum Petri, & Pauli, & duas Cruces, quæ omnia poſt quam D. Papa cum Cardinalibus oſculatus fuerit reponit ibidem, excepta vna Cruce, & iterum ſigillato altari vnus Presbyterorum Cardinalium crucem accipit, & ſic vadit vſque ad Eccleſiam Lateranenſem ſine cantu aliquo, & pſalmis, factaque ibi oratione, aſcendit Cathedram poſt altare. Tunc D. Papa induit quadrageſimalia indumenta, & excalciat, Epiſcopi vero induunt pluuiale, Presbyteri autem Cardinales, & Diaconi, atque Subdiaconi induunt planetam, & deinde iuniore Presbytero Cardinali, accepto corpore Chriſti in capſella ante pectus ſuum heſterna die reſeruato, & alio cũ prædicta Cruce præcedente, omnes diſ-

calciati cum D.Papa, & Primicerio ſine cantu pſallendo pſalterium, pergunt ad Santam Crucem, Epiſcopus verò hebdomadarius remanet ad faciendum officium in Baſilica Lateranenſi. Pontifex autem cum ad Eccleſiam venerit, & Eccleſiam ipſam ſine cantu intrauerit, & diutius coram crucibus orauerit, intrat cum omnibus alijs clauſtrum, & vadit ad Secretarium, & exuta planeta cum pallio, mappularij habentes aquam calidam paratam abluunt pedes ipſius, & eo ſedente in ſede Miniſtri calciant eum, non ſandalia, ſed quotidiana calceamenta, & induunt planetam, & pallium, & ſic ad Altare cum proceſſione accedit, præeunte eum cruce, & Euangelio ſine luminaribus, & incenſo cum ſilentio. Sed notandum, quod D.Papa cum proceſſione non debet ire ad altare ante crucem more ſolito, ſed per viam, quæ eſt in capite Chori iuxta gradus altaris. Vnus autem de Miniſtris apponit vnam Syndonem tantum ſuper altare nudatum, & oſculato Altari D. Papa aſcendit ſedem, & ſtatim Subdiaconi aſcentes pulpitum nudum, & ibi ſine faculis, & incenſo incipit paſſionem hoc modo. Paſſio Domini Noſtri. &c. Cum venerit Diaconus ad locum vbi dicitur. Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph. &c. accolythi repreſentant ex more turribulum cum incenſo, & portatur ad Euangelium; finitoque Euangelio ſubdiaconus repreſentat Domino Papæ Euangelium ad oſculandum. Quo facto D. Papa dicit orationes. Cum autem ad orationem Iudæorum deuenerit, non dicitur flectamus genua, quia ipſi hac die Dominum irridendo genua flectebant, Eccleſia illorum horreſcens facinus, genua pro ipſis non flectit in oratione. finitis orationibus Pontifex procedit ad altare, & adorat Crucem cum alijs, ſicut in ordine continetur. Sciendum tamen quod ſecundum antiquam conſuetudinem quicquid ſuper Crucem offertur, Scholæ Crucis debet eſſe. Oſculata verò cruce à Clero, & Populo, D. Papa reuertitur ad Altare, & facta confeſſione ſine capitulo, & ſine incenſu, & ſine oſculo Euangelij, communicat de corpore Chriſti, quod Cardinales adduxerant. Et notandum quod hodie pax Domini non dicitur, Agnus Dei non cantatur, neque pacis oſculum datur, neque poſt communio nem cantitur. ſciendum verò quod accolythi repræſentant incenſum ad Calicem, Pontifex etiam non communicat ad Sedem, ſed ante Altare ob humilitatem reuerentiæ Dei, & Paſſionis Chriſti. Expletoque officio exuit ſe cum alijs ordinibus, & Cantat ibi Veſperas diei Iouis recitando, & deinde riuertitur ad Palatium, & intrans Baſili-

ſilicam S. Laurentij, Crucem, quam acceperat ab altari reponit, & tunc ad cameram ſuam accedit. Et notandum quod D.Papa eadem die nulli de familia vinum dat ad potandum, nec coctum ad comedendum; dat vero eis tantummodo panem, & aquam, & herbas de conſuetudine. Hac die Eccleſia S. Crucis non dat faculas.

In die Paſchæ mane primo primũ indutus albo pluuiali Romanus Pontifex cum Diaconis Cardinalibus indutis, cum Subdiaconis, cæteriſque minoribus ordinibus dalmaticis, & mitris, & tunicis indumentis, & capellis ſuis vadit ad Baſilicam S.Laurentij, Presbyteri Cardinales induunt ſe planetis, Epiſcopi pluuialia in loco, qui dicitur Baſilica S. Gregorij, vbi poſt orationem induitur vſque ad Dalmaticam, & exurgens ingreditur ad orandum Saluatorem, aperit Imaginem, oſculatur pedes Saluatoris dicens alta voce tribus vicibus. Surrexit Dominus de Sepulchro, & omnes ei reſpondent, qui pro nobis pependit in ligno Alleluia. Tunc accolythi ponunt Crucem Cappellæ ſuper Altari, & D. Papa adorat eam poſt oſculationem Saluatoris cum alijs omnibus; deinde redit ad Sedem, & dat pacem Cardinali redeunti ab oſculo pedum eius Imaginis dicens. Surrexit Dominus verè; & ille reſpondit, & apparuit Simoni. Archidiaconus quoque Cardinalis oſculatis pedibus Saluatoris accedit ad pacem Summi Pontificis, & ponit ſe in filo. Cæteri vero Diaconi Cardinales ſimiliter faciunt. Deindè Primicerius cum Cantoribus eodem modo ad pacem vadit, & in filo ſe dirigit. Prior quoque Baſilicæ cum diaconis ſimiliter poſtmodum ſubdiaconi regionarij cum accolythis, & cappellanis, & alijs palatinis ordinibus eodem modo pacem faciunt. Interim autem ſchola canit Crucifixũ in carne&c; & ego ſum Alpha, & Omega. Cõpleta pace Pontifex induit planetam albam, pallium, & mitram ſolemnem; deſcendenſque de Palatio vſque ad exitum porticelli, vbi albus palafredus cum nacco ſcarlatti, & argenteo fræno ſolemniter præparatus eſt à Magiſtro Mareſcalco, & ab Adextratoribus, imponitur ei regnum ab Archidiacono, & ità coronatus palafredum aſcendit, & equitando incedit præcedentibus in ordine ſuo Bandularijs, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Cardinalibus Presbyteris, Abbatibus, Subdiaconis, Diaconis Cardinalibus, & ſubſequentibus Præfecto, alijſque nobilibus Romanorum vſque ad S. Mariam Maiorem, ſicut etiam ſuperius in feſto S.Stephani enarratur. Cum autem per Me-

rulanam tranſierit, ſcrinarius in loco antiquitus conſtituto ei obuiat & alta voce dicit. Iube Domne benedicere. Pontifex benedicit eum & Scrinarius dicit, in Eccleſia B.Mariæ in hac nocte baptizati ſunt tot pueri maſculi, & tot fœminæ; Pontifex reſpondet, Deo gratias. Tunc autem Sriniarius ſuſcipit à Camerario pro vnum Marabottinum nunciati one 1. Marab.

Præter delationem Sacræ Saluatoris Imaginis, de qua proximè loquuti ſumus, aliç prætereà ex hac eadem Cappella ſupplicationes educebantur, cuiuſmodi eſt ea, quæ ad diem feſtum exaltationis Dominicæ Crucis ad Baſilicam Sanctæ Crucis in Hieruſalem, vel, vt Camerario placet, ad Conſtantinianam terminabatur, circumferriquè in ea mos erat crucem Domini, quam diximus a Sergio Papa de Vaticano huc antiquitus translatam, & Sacras Apoſtolorum Petri, & Pauli reliquias, quas ego ipſa eorum capita fuiſſe puto. Sed Camerarium ipſum de hac re loquentem audire non pigeat.

In exaltatione S. Crucis menſe ſeptembris S. D. Papa cum Cardinalibus intrat Baſilicam S. Laurentij in mane, vbi trahens reliquias Apoſtolorum Petri, & Pauli, & lignum S.Crucis, & oſculans porrigit eas Cardin. deferendas ad Eccleſiam S. Laurentij, & D.Papa cantat Te Deum laudamus cum Cardinalibus in Baſilica; & Cappellanis Primicerius cum ſchola extra Baſilicam S.Sylueſtri ſtant cantando antiphonas de laudibus cum pſalmis, & Benedictus, & D. Papa dicit Orationem, vbi antè Portam tabula quadam ab hoſtiarijs poſita, & mappis, ſiue tobaleis honorabiliter ſicut conuenit cooperta deponunt reliquias ipſas, & adoratis ipſis primitus à Papa, & Cardinalib adorantur poſtmodum ab omni populo in eodem loco, & interim prima die à Papa, & Cardinalibus ibidem cantatur. Et poſtquam adorauerit D.Papa, & Cardinales ibidem parati, ſicut ſupra dictum eſt in alijs proceſſionibus minoribus, Cardinalibus reliquias ipſis portantibus, aſcendunt per gradus ſcalæ, & ſic per viam communem pergunt proceſſionaliter vſque ad Ecceleſiam S. Ioannis Lateranenſis. Notandum quod Canonici Lateranenſes veniunt obuiam D.Papæ vſque ad gradus Scalæ cum Cruce. Primicerio cum Schola Cantorum cantante, & reliquijs à portatoribus ſuper altari poſitis, D. Papa pergit ad ſecretarium & cantat Tertiam, & indutus pergit ad altare, & celebrat diuina, & poſt celebrationem cum reliquijs reuertitur ad Baſilicam per Palatium. Et notandum quod D. Papa, &

Cardi-

Cardinales in omnibus alijs proceſsionibus ab iſta pedibus diſcalciatis incedunt. Sciendum etiam quod proceſsio tantum fit in hac die, & non in inuentione eiuſdem S. Crucis, quæ eſt in Menſe maij.

Hactenus de cæremoniis olim in Baſilica S. Laurentii celebrari conſuetis, quæ profectò amplitudinem earum, dignitatemque, & ſacerdotum, ac miniſtrorum eas exercentium copiam reputantibus haud quaquam congruere hodiernis huius ædificii anguſtiis videntur; Quamobrem facile ego aſſentior coniecturæ Panuinii, laxiores eius terminos olim fuiſſe ſuſpicanti, & à Nicolao Tertio, cuius operam in eo renouando verſatam eſſe comperimus, ſpatio, quod hodie videmus, terminatam. Vndè etiam profectum reor, vt pleraque horum, quæ diximus ſequutis poſtea temporibus vel alio translata ſint, vel ab vſu etiam omnino receſſerint. Memoratu verò imprimis dignus eſt hodiernus aperiendæ, & fidelium oculis exponendæ Saluatoris Imaginis ritus per dies feſtos Natiuitatis, Paſſionisque, & Reſurrectionis Domini, & B. Virginis Aſſumptionis. Manè ſiquidem poſt peractum Miſſæ ſacrificium canonici Lateranenſes compoſito ad ſolemnem ſupplicationem agmine à Conſtantiniana Baſilica procedunt, iungentibus ad portam ſeſe Romanis Patriciis ſæcularium huius Oratorii reddituum adminiſtratoribus, quos Guardianos appellant, ſeque ad oratorium conferunt, antiphonam interea *Alma Redemptoris*, aut *Salue Regina* aut aliam pro temporis opportunitate ab Eccleſia vſurpatam canentes; agmen claudit Canonicus Presbyter ſacrificii munere eo die perfunctus, qui ad aram ipſius oratorii accedens in genua procumbit latera tegentibus duobus Presbyteris beneficiatis, Vicario autem Archipresbyteri vna cum vetuſtiſſimo canonicorum inter duos, quos diximus, Guardianos ponè ſed proximè ſequente, & poſt eos reliquo capitulo in duos ordines per ſtalla diſtributo, deinde conſurgens accepta a canonico camerario venerabilis depoſiti claue, accedit ad tabernaculum, & clara voce huiuſmodi Antiphonam pronunciat.

Saluator Mundi ſalua nos omnes huius aulæ ſeruulos, & Præcurſoris Chriſti inclyti, diſcipulique dilecti deuota memoria vota noſtra perducat in Patriam.

Sequitur Cantorum Chorus.

℣ *Saluos fac Seruos tuos.*

℟ *Deus*

℟ *Deus meus ſperantes in te.*

Inter quorum modulationem ipſe Sacerdos thecam imaginis reſerat, deinde recitat collectam ab antiquiſſimo tempore in Eccleſia Lateranenſi quotidie ſolitam recitari, eſt autem huiuſmodi.

Oremus. Omnipotens Sempiterne Deus, qui hanc Sacratiſſimam Conſtantinianam Baſilicam in tuo, & vtriuſque Ioannis nomine dedicatam cunctarum Vrbis, & Orbis Eccleſiarum decoraſti primatu: concede nobis famulis tuis vt amborum meritis; & precibus à noſtris reatibus expiati ad te Saluatorem noſtrum peruenire valeamus.

Abſoluta collecta eodem ordine, quo ventum eſt ad Eccleſiam Lateranenſem, ſacerdos celebrans, & Canonici eum deducentes ſe referunt, pſalmum centeſimum trigeſimum primum inter incedendum canentes, cuius initium *Memento Domine Dauid.* ſera autem, & vectis tabernaculi ſic reſerati à Magiſtro cæremoniarum ad ſacrarium Lateranenſe defertur, ibique vſque ad diem obſerationis, eodem rurſus ritu adminiſtrandæ, cuſtoditur, Dies autẽ huiuſmodi ſunt, poſt Natiuitatem quidem Chriſti Dñi Dominica proxima feſto S. Antonii; in Paſchate Sabbatum in Albis (ad quem vſque diem à Sabbato antè Dominicam Palmarum expoſitam Populo Saluatoris Imaginem apparere mos eſt:) In Aſſumptione denique B. Virginis dies ab eiuſdem feſto octauus. Non ab ſimilis eſt acceſſus, qui ad hoc oratorium die feſto S. Laurentii fieri ſolet, niſi quod tunc intrantes eius oſtium Canonici pronunciant antiphonam, *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*, cui adiiciunt eundem, quem ſupra Pſalmum, *Memento Domine Dauid*, interpoſita ad ſingulos eius verſiculos eadem antiphona, eiusquè eleganti elogio ad ipſum B. Leuitam titularem relato, propterea quod eius liberalitas in pauperes, & recta theſaurorum Eccleſiæ diſpenſatio in animis fidelium celebris eſt.

Infinitus autem propemodum eſt ſacrarum indulgentiarum cumulus huic Sanctuario à priſcis, recentioribusq; Romanis Pontificibus attributus, vt meritò & modus earum, & ratio æſtimari, explicariuè non poſsit; relligio verò tanta eſt, vt ipſi Romani, Pontifices à ſacrificando in eo per inſitam quamdam reuerentiam abſtineant, omnesquè cæteri inferioris ordinis ſacerdotes, ab acceſſu celebrandi cauſa ad eius aras anathematis denunciatione ſubmoueantur.

CA-

De nouo Lateranenſi Palatio

CAP. XX.

ID quod in primo huius operis volumine fecimus, cum de Lateranenſi Baſilica ſermo à nobis eſt habitus, vt poſt abſolutum de antiqua eius hiſtoria tractatum, aliqua de nouo eiuſdem ædificio diceremus, idem breuiter in hac de Patriarchio tractatione faciendum ſtatuimus; nam quomodo in humanis corporibus plerumque vſu venit, vt annis accedentibus, atque ætate ingraueſcente à membris, & artubus deſtitui paulatim incipiant, & ad opes Medicorum identidem reſpicere; mox impares ingruenti ſenectuti vires proijciant, & curationem ipſam aſpernata fatiſcant penitus, totoque pondere collabantur. Ità prorſus antiqua hæc Lateranenſis ædificii moles poſt fatigatam in ſui reparatione diuturnam Romanorum Pontificum liberalitatem, ac magnificentiam, immenſaſque opes Eccleſiæ eam in rem exhauſtas, cum vitia plurimis ab incendiis, ruiniſque, & quod caput eſt, ab ipſa vetuſtate contracta amplius ferre non poſſet, dilabique, omnis eius iunctura, ac diſcindi vbiq;, putreſcente ipſa quoq; materia, videretur, iniecit curam Sixto V Pontifici ei rei ſolido, ac manſuro remedio conſulendi; cumque natura etiam factus quodamodo ad exornandam magnificis ędificiis Vrbem eſſet (id quod plurima, eaque pulcherrima eius liberalitatis monumenta declarant) ſatis luculentam obſequendi ingenio ſuo materiem ſe nactum exiſtimauit, ſi deiecto vetere Patriarchii ædificio vniuerſo, nouum ipſe à fundamentis elegantiore ſtructura excitaret; quod quidem opus maiorene animo cogitauerit, aggreſſuſque ſit, an ſtudio flagrantiore, curaque, & conſilio præſentiore perfecerit, abſolueritque incertum eſt; nequaquam enim rei magnitudine deterritus, poſt amota deiectæ antiquæ molis omnia rudera, ab orientali extremitate eius porticus, quam podium benedictionum appellant

lant, deſignari curauit ædificium quatuor facierum ad angulos rectos ſe ſe reſpicentium, quarum vna ad ſeptemtriones eſt verſa, & venientibus à Baſilica Sanctæ Mariæ Maioris occurrit, trecentos,& triginta palmos in longitudinem patens; altera ad ſolem occidentem, imminetque campo Lateranenſi, (ad cuius medium obeliſcus eiuſdem Pontificis opera erectus adſpicitur,) ſeptem dumtaxat palmis quam prima porrectior; reliquæ verò hiſce duobus (id quod accidere in figuris rectorum angulorum neceſſe eſt) æquales, earumque vna tantum in aperto eſt, ſcalamque Sanctam,& cæteras ibi poſitas antiqui ædificii reliquias reſpicit, altera verò Lateranenſi Baſilicæ cohæret, totamque eius longitudinem vſque ad finem porticus exterioris comprehendit. Molem omnem in altitudinem centum,& triginta ſeptem palmorum eſſe voluit, feneſtriſque & coronice, item porticibus, atriiſque,& cubiculis, & aulis adeò eleganter, & magnificè exornauit, vt nihil omnino rudis illius, & inconditæ antiquitatis,ad cuius rationem vetus ædificatio vniuerſa conſtructa fuerat, retinere videretur. Admirabile autem imprimis fuit, quod totum elegantiſſimi,maximique omnium, qui eius tempore in Vrbe viſebantur,operis vniuerſam laudem ſuam eſſe voluerit, vt ſingulare ædificii vno velut impetu, & vno ab auctore incœpti, perfectique exemplum fuiſſe, ſumma cum celebratione ab eius ætatis hominibus prædicaretur; verum nequaquam eadem celebratione ac plauſu ab ſequuta poſteritate excepta res eſt,poſt quã ob grauitatem cæli (cui poſt deſtitutam ab habitatoribus agri Laterani, ac Cælii Montis vniuerſi regionem, is locus obnoxius maximè eſt) nullo prorſus vſui eſſe cernitur; neque tamen irrita fuiſſe dicenda eſt inſignis liberaliſſimi Pontificis magnificentia, qui non tam ad vtilitatem, commodumque in efficiendo eo opere reſpexiſſe videtur, quam ad decorem quemdam, & congruentiam,ne accepti diuinitus de conſtituendo eo loci Pontificio Throno conſilii Eccleſiam pœnituiſſe quodam modo videretur,ſi nulla ibi,aut tantæ maieſtati minus reſpondens Pontificum Romanorum habitatio ſuperſtes eſſet.

Hæc habui, quæ de Eccleſia, & Patriarchio Lateranenſi ſtudioſè primum ſuſcepta,remiſſius deindè,negligentiuſque tractata,& nullo prorſus exactioris limę auxilio ad exitum vtcumque perducta poſteritati tradenda putaui; ſatis amplum operæ,laboriſque

riſque

ICHNOGRAPHIA ANTIQVI AEDIFICII BASILICAE ET PATRIARCHII LATERANENSIS



ORTHOGRAPHIA PATRIARCHII LATERANENSIS.





riſque mei fructum, ac pretium cepiſſe, ratus ſi ii, quorum in manus hæc ſcripta peruenient me publicæ vtilitatis (quæ in omni rerum geſtarum memoria magnopere ſita eſſe ſapientiſſimo cuique ſemper eſt viſa) cupidum exiſtimabunt.

INDEX
RERVM NOTABILIVM

Quæ in hoc opere continentur.

Numerorum primus librum, ſecundus caput, tertius paginam deſignat.

A

AAronis pedum ſacerdotale, 1. 14. 63
Adalberti ſacerdotis inſignis impietas, 4, 4. 321
Adminiculator qui, & eius officium, 2. 8. 139. & 3. 18. 278
Aduocatorum conſiſtorialium collegium idem eſt ac antiquitùs ordo Defenſorum regionariorum, 3. 18. 277
Aduocatus pauperum ex aduocatis conſiſtorialibus, 3. 18. 278
Agnes Imperatrix obijt prope Lateranum, & ibidem ſepulta, 2. 13. 199.

Agno-

INDEX.

Agnorum Dei cereorum hiſtoria, & eorumdem benedicendorum mos, 2. 8. 140. & *ſeqq.*

Vnus eorum inuentus in ſepulcro Mariæ Stiliconis vxoris, Honorij Imp. ſororis, 2. 8. 145.

Hi dono dabantur Principibus Viris. ibid.

Agonizantium clericorum animæ Deo commendandæ officium à ſummis Pontificibus exercitum, 3. 18. 275.

Albienſium hæreſes quæ, 2. 11. 173.

Alexander II. Canonicorum Lateranenſium licentiam caſtigat, 2. 1. 91.

Alexander VI. ad aram maximam accedens à ſenſibus alienatus eſt, 2. 13. 192.

Alexandri VII. in comitijs de eligendo Pontifice, nulla pontificatus affectatio. 4. 2. 302.

Eiuſdem prudentiſſimum de nobilitandis cappellis Pontificijs conſilium, 2. 7. 134. & *ſeqq. Idem Flaminiam portam reſtaurat*, 4. 19. 378.

Reginam Sueciæ magnificentiſſimè in Vrbem venientem recipit ibid.

Altare *Canonicorum mobile eſt ſub Apſide, vbi Pontifex ſedere ſolet* 1. 13. 54.

Ligneum quo vſus eſt S. Petrus in Laterano collocatum à S. Silueſtro, 1. 4. 22

SS. Annunciatæ à quibus extructum, 1. 14. 60

Conceptionis olim in Oratorio S. Ioannis Euangeliſtæ, 13. 12. 239

S. Ioannis Euangeliſtæ vbi, 1. 10. 49. *Ornatum à Clemente VIII. ibid. In hoc Chriſma conſeruabatur*, ibid. *eius conſecrationis memoria*, ibid.

S. Mariæ Magdalenæ, ſub quo eiuſdem corpus iacet vbi olim, & quò nunc translatum, 1. 11. 50. *Super eo plurimæ relliquiæ erant & quæ*, 1. 11. 52.

Natiuitatis vbi, 1. 13. 55

SS. Sacramenti à Clemente VIII. extructum deſcribitur, 1. 13. 59. *à Philippo Colamna magnificenter paratum, in quo hyeme Canonici ſacra omnia peragunt*, 1. 13. 58

Familiæ Inghiramiorum, 1. 14. 61

Ab Hilario Mauro fundatum, ibid.

Familiæ Mellinorum, 1. 15. 65

INDEX

Iulij Sanctorij Cardinalis ſanctæ Seuerinæ, 1.14.61

Altaria *quæ olim ante incendium in Eccleſia Lateranenſe erant, quænam*, 1.12.53. *Quænam poſt incendium*, 1.13.54. & *ſeqq.*

Quot olim in minore naui verſus meridiem fuere, 1.14.60

Minoris nauis ad Septemtrionem quæ olim erant, & quæ nunc, 1.15.65. & *ſeqq.*

Ambones ſeu pulpita quot in Eccleſin Lateranenſi; vbi ſita; & cui rei inſeruiebant, 1.7.38

Anaſtaſii Bibliothecarij mendum. 4.1.284

Anaſtaſii Papæ IV litteræ de ratione inſeruiendi Eccleſiæ Lateranenſi, 1.3.13

S. Angelus Carmelita, 2.13.201

Animæ Clericorum Agonizantium. Vide Agonizantium.

Apſis maior Eccleſiæ Lateranenſis marmoreis, & æneis cancellis intercludebatur, 1.9.41. *Eiuſdem deſcriptio, ibid. Sedes Pontificum in eius medio affixa, ibid.*

Aracæli vnde dicta, & cui dicata, 4.19.374.

Ara maxima Eccleſiæ Lateranenſis quæ, à quo hic poſita, & cui licebat in ea celebrare, 1.10.44. *Quamuis lignea ab incendijs Eccleſiæ ſemper immunis, ibid. Marmoreis cancellis ſepta*, 1.10.45

Arca Fœderis Teſtamenti antiqui, 1.14.63

Arcarius qui: idem ac Sacellarius, & Theſaurarius &c. 3.18.174. *eius munus*, 2.8.139.

Archiuium Lateranenſe, 1.16.70. *Vide Bibliotheca.*

Auditores Rotæ Subdiaconi Apoſtolici facti ſunt, 2.7.135

Auguſtiniani fratres cuſtodes bibliothecæ Pontificiæ à quo deputati, 3.16.258

Aula Concilij. Vide Baſilica Leoniana &c.

B

B*Alſamum pro tributo dabatur Eccleſiæ Lateranenſi à Populis Orientalibus*, 1.10.44

Bapti-

INDEX

Baptiſterium Lateranenſe à quo fundatum, & à quibus exornatum, 3. 1. 210. & ſeqq. Eius forma, & variæ ſtructuræ, 3. 2. 212. Redditus annui qui, & à quibus eidem aſſignati, 3. 3. 215. Quid in eo agi ſolitum, 3. 4. 217

Baptiſteria apud pleraſque ciuitatis in ſola matrice Eccleſia habentur 3. 1. 209.

Baronij opinio de Baſilica Iulia, 4. 14. 351. & ſeq.

Baſilica *Iulia vbi olim, 4. 14. 351. à quo fundata, 342. quid in ea actum, 351. alia erat ab Eccleſia Lateranenſe, 352.*

Lateranenſis. Vide Lateranenſis Baſilica.

Leoniana, quæ appellatur Aula Concilij, 4. 6. 325. Eius forma, ibid. Eiuſdem aditus quà: 326. Quid in ea agebatur, ibid.

Eiuſdem nominis duæ, & earum ſitus, 325.

Maior. Vide Triclinium Leonianum.

Theodori Papæ. Vide Oratorium S. Sebaſtiani.

Vigilij Papæ vbi nam fuerit, 4. 17. 356

Zaccariæ quæ, & quid in ea agi ſolitum, 4. 5. 323. & 4. 9. 329

Baſilicæ *quid eſſent, 4. 17. 356*

Romanæ Vrbis præcipuæ quot, & quæ, 1. 3. 11. Patriarchales quare appellabantur, ibid. Cardinales eiſdem aſſignati, 14

Plures, & Oratoria in Laterano extructæ, de quibus certa notitia non habetur: quæ, 4. 18. 357

Belliſarij iuramentum de conſeruando Vittige Gotho, 4. 14. 352

Bibliotheca Lateranenſis & Archiuium vnum, & idem fuerunt, 3. 14. 241. Eiuſdem variæ mentiones, 244

Bibliotheca pontificia Auenione inſtructa, 3. 16. 258, & qui cuſtodes eidem deputati, ibid.

Bibliothecæ Lateranenſes quot, & quæ, 3. 14. 245.

Bibliothecarius Apoſtolicæ Sedis, 3. 15. 246. eius officium 247. & antiquorum bibliothecariorum mentiones, 3. 16. 248. & ſeqq.

Bibliothecarij munus idem cùm munere Vicecancellarij, 3. 16. 241. quando hæc duo inter ſe diſtincta, & à quo, 258

Scriniarij, & Protoſcriniarij eiuſdem officij erat nomen, 3. 15. 246.

Bona *Comitis d'Armignach à Rege Galliæ Eccleſiæ Lateranenſi donata, 2. 5. 121*

Eccleſiis ablata retineri ſine labe hæreſis non poſſunt, 4. 4. 220.

&

& caſus memorabilis affertur, ibid.
S.Brigida, 2. 13. 201.
Bulla Gregorij XI. declarans primatum Eccleſiæ Lateranenſis ſuper omnes, & quaſcumque Eccleſias, 1. 4. 17
Pij V. primatum & præeminentiam eiuſdem Eccleſiæ, & Canonicorum confirmans, 1. 4. 18.

C

CAeremoniæ cur in Eccleſia inſtitutæ, 3. 1. 209
Campanarum turris à Sixto IV. reſtituitur, 1. 5. 31
Cancellarij, Bibliothecarij, & Archiuiſtæ nomina eiuſdem perſonæ, & officij olim fuere, 3. 14. 241
Canonici qui dicebantur; & quibus hoc nomen conueniebat, 2. 7. 126
Regulares S. Auguſtini à quo inſtituti, 2. 1. 90. In Eccleſia Lateranenſe officia diuina perſoluebant, 1. 3. 13. à Laterano arcentur, 2. 1. 93. quoties in eam reſtituti, & ab ea remoti, 94
Seculares eiectis regularibue in Eccleſiam Lateranenſem ſuffecti ſunt, 1. 3. 13. & 2. 1. 93. Quoties remoti, & reſtituti ibid. & 94. Præcedere debent Canonicis S. Petri, & quando hoc definitum, 1. 4. 19. Non poſſunt in ius vocati niſi à Iudice ſpecialiter delegato, 2. 7. 128. Exempti ſunt à reſidentia per tres menſes anni, 129. eorum alia priuilegia, ibid. & ſeqq.
Cantharus quid, 2. 3. 102.
Cantorum ſchola quid olim eſſet, 3. 6. 224
Capita S. S. Petri & Pauli à quo inuenta, & vbi, 1. 5. 31. In marmoreo conditorio collocata vbi nunc manent, ibid. & 1. 4. 22.
Cardinales tantum poſſunt eligi in Pontifices ex decreto Concilij à Stephano IV. habiti, 2. 11. 162.
Archipresbiteri Eccleſiæ Lateranenſis recenſentur, 1. 17. 70.
Palatini qui, 3. 17. 268
Præsbyteri vniuerſi quot erant, 1. 5. 14

Re-

INDEX.

Regionarij qui dicebantur, 3. 17. 268
Schiſmatici, & matrimonio ſe pollucentes 2. 11. 169.
Sanctæ Crucis in Hieruſalem, & S. Mariæ Nouæ eliguntur ex Canonicis Lateranenſibus, 2. 7. 126
Carolus Magnus Concilio ab Hadriano Primo habito non interfuit, 2. 11. 163. *vbi error quorundam aucthorum detegitur*.
Carolus V. Imp. Bononiæ coronatus in templo D. Dominici factus eſt Canonicus Lateranenſis, 1. 4. 26
Cellarij, qui, & eorum munus, 3. 17. 265
Cellarium quid, & quot cellaria in Laterano erant, 4. 18. 360
Cencius Camerarius ex gente Sabellorum Honorius III. deinde dictus 1. 14. 60
Ceræ in luminibus alendis miraculoſa perſeuerantia, 4. 19. 377
Ceroſtata quid, 2. 3. 102
Chiſiorum familiæ elegantiſſimum ſacellum in Eccleſia D. Mariæ de Populo extructum, 4. 19. 378
Chorus Canonicorum regularium vbi olim, 1. 7. 38. *dirutus à Clemente VIII.* 1. 8. 40
Chriſma vbi olim ſeruabatur, & eius conſecrationis memoria, 1. 10. 49. & 2. 8. 140
Chriſtiani ſolebant aut genuflexi, aut ſtantes orare, 2. 9. 152. *orabant ad orientem conuerſi*, 153
Chriſtinæ Sueciæ Reginæ pietas, 4. 10. 332
Ciborium aræ maximæ quale, 1. 10. 45
Cypriani, & Iuſtinæ corpora quomodo Romam aduecta, 3. 5. 221
Cleri Romani habitatio, 2. 1. 89
Clerus proprius Baſilicæ Lateranenſis à quo inſtitutus, 2. 1. 90
Clemens V. Romanam Curiam Auenionem tranſtulit, 1. 3. 12. *Eiuſdem Epiſtola ad Siciliæ Regem*, 1. 5. 30
Cænobium Monachorum Caſſinenſium olim propè Eccleſiam Lateranenſem, 2. 1. 90
Columba cælo delapſa adoratum SS. Euchariſtiam ab rapto in extaſim viſa, 2. 13. 196
Columna porphyretica, cui gallus æneus inſiſtit, 1. 14. 62. & *quædam de ea afferuntur*, ibid.
Columnæ *æneæ ſuper quibus erant aureæ, & argenteæ Sanctorum Imagines, & lampades balſamo ardentes propè aram maximam poſitæ*, 1. 10. 44. *Quænam hæ eſſent variæ opiniones*, ibid.

ibid. & 45. à Conſtantino in Lateranenſem baſilicam illatæ, 45. In altare SS. Sacramenti à Clemente VIII. collocatæ, 1. 5. 32. & 1. 10. 45

Prætorij Pilati vbi, 1. 15. 67

Sciſſæ in paſſione Chriſti Domini. 1. 14 64

Comites *olim qui dicebantur, 3. 17. 266. & eorum officium, 268.*

Palatini à quibus inſtituti, 3. 17. 266.

Comitiorum pontificiorum ambitus damnatus, 4. 4. 319.

Concilia *celebrabantur quandoque ad iudicandos Epiſcopos, aut alios in Eccleſia Principes, 2. 11. 157.*

Generalia Romæ celebrabantur in Laterano, 1. 4. 23

Habita in Eccleſia Lateranenſe, 2. 11. 157

Habita in Patriarchio Lateranenſi: & quæ in eis damnata, 4. 4. 316. & ſeqq.

Conclauis vſus à Gregorio X. excogitatus. 2. 12. 177. & 2. 13. 192.

Confeſſio annua Sacramentalis, & communio tempore Paſchatis quando præcepta. 2. 11. 174.

Conſecrationis Chriſmatis, & Olei Sancti ritus; & eiuſdem deſcriptio 2. 8. 140.

Conſtantia Ioannis Baptiſtæ Mellini in retinendo canonicatu. 1. 15. 66.

Conſtantius Chlorus Imp. Chriſtianorum fortitudine & conſtantia delectatus dicitur. 1. 1. 1. Chriſtianæ religionis transfugas auerſatur. ibid.

Conſtantins Fælix quis fuerit, 1 4. 15. eius monumentum olim in Apſide maiori Lateranenſis Eccleſiæ ibid. Interfectus opera Aetij, ibid.

Conſtantinus Imperator quorum parentum filius, 1. 1. 1. Magni cognomentum adeptus, 1. 1. 2. Inſidijs vexatus à Galerio, ibid. Impervtor ſalutatus Eboraci à militibus, ibid. à Pop. Rom. euocatus contrà Maxentium, 3. Maxentium ipſum profligauit, ibid. arcu cum elogio honoratur, 5. Haruſpices conſuli vetuit, 5. Chriſtianis propriam religionem exercere permiſit. ibid Eccleſiarum ſplendori, & Clericorum otio conſuluit ibid. Imperij, ae fortunæ porſperitate corruptus à pietate declinanit. ibid. a Chriſtianis alienior augures reuocauit. ibid. Filium coniugem, & Amicos necari iuſſit. ibid. Sacro Baptiſmate ablu-

tus

tus ibid. Baſilicas in honorem Sanctorum conſtruxit, & quas, ibid. Aedes Imperatorias iuſſit eſſe Pontificum Domicilium, ibid. & 1. 1. 9. Eiuſdem donaria Eccleſiæ Lateranenſi collata, 2. 3. 100. & ſeqq. & 2. 4. 108

Coronæ, ſpecies quædam lampadum, 2. 3. 102

Cruciata *pro Paleſtina recuperanda in Lateranenſi Concilio Statuta*, 2. 11. 174

Contra Fridericum II. Imp. à Gregorio IX. indicta, 3. 19. 368

Crucis Imago tempore Conſtantini viſa in ſole, 1. 1. 3. *ab eiuſdem exercitu ſumitur pro vexillo, ibid.*

Crucis lignum à milite ereptum, 4. 19. 364

Crux elegantiſſima in curuitate apſidis Eccleſiæ Lateranenſis, 1. 1. 9. 42

Cubicularij munus quod, & à quo inſtitutum, 3. 17. 261

D

DEdicationis Eccleſiarum ritus à S. Silueſtro emanauit, 1. 1. 6

Defenſoris officium quodnam, 3. 18. 275

Defenſores regionarij, qui, & à quo inſtituti, 3. 18. 277

Delphini ſpecies lampadum, 2. 3. 102

Deſiderij Regis Longobardi impietas, 3. 18. 272

Diſſidia inter Pontifices à Formoſo vſque ad Sergium III. fuere maxima, 1. 5. 27

Inter Gregorium VII. & Henricum IV. Imp. exorta, 2. 11. 169

Inter Iulium II. & nonnullos Principes, 2. 11. 175

Doctrina ea tantum habebatur tuta, quæ à Romanis Pontificibus tradebatur, 2. 11. 161

Dominicanorum inſtituti confirmatio, 2. 13. 200

Donaria plurima Romanorum Pontificum, & aliorum facta Eccleſiæ Lateranenſi, 2. 3. 100. & ſeqq.

Quædam cuſtodita ſub Ara maxima eiuſdem Eccleſiæ, 1. 10. 49.

Donatiſtæ damnati à quo, & vbi, 4. 4. 316
Eorumdem diſceptatio à Conſtantino Imp. ad Pontificem Romanum remiſſa, 4. 1. 281

E

Ecclesia Lateranenſis. Vide Lateranenſis Baſilica.
Eccleſiarum dedicationis ritus à quo emanatus, 1. 1. 6
Elogium. Vide monumentum.
Epiſcopatus Syluæ candidæ, pariter & Veliternus Oſtienſi adiunctus, 1. 3. 13
Epiſcopi ſeptem finitimarum Vrbi ciuitatum ſingulis diebus hebdomadæ ſuper aram Maximam alternatim celebrabant, 1. 3. 12. *Aſſiſtebant Pontifici ad certas dies ſolemniores celebranti, ibid. Vocati Epiſcopi Cardinales, ibid. à quo conſtituti, ibid. Ordo dierum hebdomadæ ipſis ad celebrandum aſſignatorum, ibid.* 13.
Error iniquè aſſerentium Honorium Pont. in fide erraſſe, 2. 11. 160
Hæreticorum circà præcedentiam Pontificis, & Imperatoris, 2. 11. 163
Nonnullorum, quædam Petri Damiani D. Bernardo adſcribentium, 1. 1. 7
Panuinij, & aliorum ſcriptorum à Sigeberto hiſtorico Schiſmatico profectus, 2. 11. 163 & 167
Euchariſtiæ inſigne miraculum, 1. 15. 66
Eulogiarum ritus à quo inſtitutus, 4. 4. 317
Euſebius Vercellenſis Monachorum vſum ex Aegypto, & Syria deportauit in Occidentalem Eccleſiam, 2. 1. 90
Exarchi, qui, & eorum ſedes, 4. 2. 298
Ipſis Italiæ cura ab Imperatoribus demandata, 4. 11. 343
Excommunicari à nullo Iudice poteſt Clericus Lateranenſis, imò ne Laicus quidem intrà Eccleſiam verſans, 2. 7. 128.

Fons

INDEX.

F

FOns ad portam Lateranenſem deriuatus, 4. 1. 296
Formula compoſitionis controuerſiarum Pontificum; cum Henrico V. Imp. 4. 1. 295
Iurisiurandi Imperatorum de defendenda Eccleſia Romana, 4. 11. 342
S. Franciſcæ Romanæ veneratio erga Baſilicam Lateranenſem, 2. 3. 201. & eiuſdem ſucceſſus notabilis, ibid.
Franciſcani ordinis inſtitutum, 2. 13. 199. eiuſdem confirmatio, 200
Franciſci Cardinalis Barberini magnificentia, 4. 11. 335. & 345
Friderici II. Impietas, 4. 1. 293. & 4. 19. 367
Frontis Baſilicæ Lateranenſis deſcriptio, externæ, 1. 6. 33. & 34. internæ verò, 1. 7. 38
Functiones Pontificum in Eccleſia Lateranenſi, 2. 8. 136. & ſeq.

G

S. GEorgij caput à quonam inuentum, 4. 2. 300
Gratianus compilator decretorum minimè diligens, 2. 11 164
S. Gregorij hoſpitalitas Chriſto conuiua digna, 4. 2. 300

H

HAmæ quid eſſent, 2.3. 102
Helenæ matris Conſtantini caput marmoreum vbi, 1. 14.61
Eiuſdem ſepulcrum ad proprij monumenti vſum ab Anaſtaſio IV. electum, 1.13. 52
Henrici IV. Imper. impietas, 2. 11. 169. & 170. Idem à concilio excommunicatus, 171
Henricus V. cum Pontifice componitur, 4. 1. 295
Heraclij Imperatoris prophana de religione ſanctio, 2. 13. 188
Homiliæ ad populum Romanum à Pontificibus in Laterano habebantur, 2. 13. 196

I

IConomachorum origo vnde; & eorum impietas, 4. 19. 373
Imago Chriſti Domini miraculoſa, 1. 14.64
S. Saluatoris ἀχειροποίητος, 4. 19.362. à Iudæo percuſſa ſanguinem mittit, 4. 8. 329. vbi nunc ſeruatur, ibid. ad propitiaudum Deum per Vrbem circumferri ſolita, 4 19. 374
Exponendæ populo ritus, 4. 19. 383
Beatæ Virginis Deiparæ de Populo per Vrbem circumferri ſolita ad opem diuinam implorandam, 4. 19. 374. Eius templum ab Alexandro VII. reſtauratum, 4. 19. 378.
Imagines Beatæ Virginis Mariæ à Sanctis Sanctorum aliò translatæ, 4. 19. 377
Imperatores & Reges Coronati in Baſilica Lateranenſe quot, eo qui 2. 13. 193
Imperatores poſt acceptum diadema Lateranenſem Baſilicam adibant, 2. 13. 193. Cum Romæ coronarentur Canonici Lateranenſes

nenſes fieri volebant, 1. 4. 25.
Imperij Romani variæ diſtractiones, 4. 11. 343.
Græci exitium vnde ortum, 4. 2. 296
Indulgentiæ Baſilicæ Lateranenſi conceſſæ. 2. 14. 204.
Innocentius II. Roma egreſſus ob factiones Anacleti pſeudopontificis. 1. 4. 21.
Inſcriptiones plumbeæ in Monte Cælio repertæ, & in Eccleſia Lateranenſe affixæ. 1. 4. 8.
Inſignia Lateranenſis Baſilicæ in eiusdem Porticu. 1. 6. 36.
Archipreſbyterorum eiusdem Baſilicæ. ibid.
Quorumdam nobilium pro Eccleſia contrà Longobardos Caroli Magni ſequacium. 1. 7. 37.
Inueſtituras Epiſcoporum dari à Laicis citrà hæreſim non poſſe definitum in Concilio Viennenſi. 2. 11. 171.
Ioannæ Papiſſæ fabula reprobata. 2. 12. 173.
Ioannis Cardinalis Columnæ Epiſtola ad Capitulum Lateranenſe 1. 7. 130.
Ioannis Papæ IV. Dalmatæ pietas ergà patriam. 3. 12. 236.
Ioſephi Mariæ Suaresij Epiſcopi Vaſionenſis elogium. 2. 8. 148.
Italia ab incurſionibus barbarorum afflicta. 4. 11. 343.
Iudices Palatini quot 3. 18. 269.
Iurisdictio ſpiritualis Eccleſiæ Lateranenſis, & quot Eccleſias habeat ſubiectas. 2. 6. 123. & ſeqq.
Iuramentum Imperatorum de defendenda Eccleſia, 4. 11. 342
Belliſarij de Viſtige Gottorum Rege conſeruando, 4. 14. 352

L

Lamine plumbeæ inuentæ in monte Cælio cum memorijs Lateranorum inſcriptis, 1. 1. 8
Laterani mentiones a varijs antiquis auctoribus factæ, 1. 1. 6. & 7.
Lateranorum Familia conſularis, 1. 1. 7
Lateranenſis Patriarchij reliquiæ à Sixto V. ſolo æquantur,

INDEX

tur, 1.6.33. *Eiuſdem ædificatio*, 4. 1. 280. & 4. 20
Lateranenſis aulæ comites, 3. 17. 266. *Eorum officium*, 268
Lateranenſis Baſilicæ forma in quinque naues conſtructa cum porticum ſex columnis fulta, & fronte ad orientem conuerſa, 1. 6. 33. *opere vermiculato, & picturis ornata à Martino V.* 1. 5. 31. *Item elegantiùs à Clemente VIII.* 32. *Dedicata à S. Silueſtro Idibus Nouembris*, 1. 1. 6. *Multos aditus habebat velis tantum, & cortinis clauſas, & quare*, 1. 2. 10. & 65. *Incendio corruit, firma manſerunt tamen Sancta Sanctorum*, 1. 5. 30. *Item ſedente Innocentio VI. qui nullam in ea reparanda operam inſumpſit*, 31. *Incendio conſumpta reſtituitur à Clemente V.* 1. 5 30. *Item poſt aliud incendium ab Vrbano V.* 31. *Terræmotu diruta à Sergio III. reſtituitur*, 1. 5. 27. *Eſt caput omnium eccleſiarum*, 1. 2. 10. *Omnes alias Eccleſias iudicare poteſt, & à nulla alia iudicari*, ibid. *Non venit nomine Eccleſiarum, niſi adſit eius commodum*, 2.7. 127. *A collectis eſt exempta*, ibid. *Generali interdicto non afficitur*, 2. 7. 128. *Eſt hæres omnium peregrinorum, qui in eius Paræcia inteſtati decedunt*, 2. 7. 128
Lateranenſis Baſilicæ dignitas, 1. 4. 22. *Iuriſdictio temporalis*, 2. 5. 120. *Miniſtri pro diuino cultu*, 2. 1. 89. *Officia*, 3. 17. 260. *Ornamenta*, 2. 3. 100. *Priuilegia*, 2. 7. 126. *Pauimentum quale à Martino V. conſtructum*, 1. 7. 38. *Noua inſtauratio*, 1. 19. 79. & ſeqq.
Eiuſdem Archipresbyteri à Bonifacio VIII. inſtituti, 2. 2. 96. *reſtauratores*, 1. 5. 26, & ſeqq. & 1. 19. 79. & ſeqq.
Lateranenſis campus, 3. 3. 216
Laurentius Valla Lateranenſis Canonicus, 1. 13 57. *vbi nam ſepultus*, ibid.
S. Leo Tertius Papa à criminibus ſibi obiectis ſe purgat, 4. 11. 337. *Eius proteſtatio*, ibid.
Leo Iſauricus Imp. Iconomachus, 2. 13. 196. *Eius Claſſis contrà Eccleſiam parata naufragium, facit* 2. 11. 162
Lucernæ balſamo inſtructæ ante Sanctorum reliquias accenſæ, 2. 13 3. 103
Lutherani ſæuitiam omnem abſtinuerunt ab vna baſilica Lateranenſe, 2. 13. 203
Lyhni nomine quid intelligatur, 2. 3. 102

Ma-

INDEX

M

MAnichæorum codices in Eccleſia Lateranenſe combuſti, à quo, 2. 13. 195
Marcus Aurelius Imper. natus propè Lateranum, 1. 4. 16. eius ſtatua vbi olim, 4. 7. 327. à quo in Capitolium translata, ibid.
Mariæ Virginis Deiparæ Imago miraculoſa, 3. 12. 238
S. Martinus dolo à Theodoro Calliopa Exaſcho captus, & Conſtantinopolim miſſus, 2. 13. 184
Martinus V. laudatur, 1. 18. 76. Eius ſepulcrum, 1. 7. 38
Maxentius Maximiani Imp. gener. fit à prætorianis cohortibus Imperator, 1. 1. 2. beneuolentiam erga Chriſtianos ſimulauit, ibid. à Conſtantino fugatus in inſidias, quas hoſti parauerat præcipitatus, 1. 1. 3
Memorabilia peracta in Eccleſia Lateranenſe, 2. 13. 182. & ſeqq. & in Palatio Lateranenſi, 4. 2. 296
Miniſtri diuini cultus in Eccleſia Lateranenſe, 2. 1. 89
Miſſæ ſacrificium celebrantes in Lateranenſe Eccleſia quid differenter dicunt ab alijs alibi celebrantibus, 1. 2. 11
Mitrà S. Silueſtri Auenione Romam deportata, 2. 13. 95. furtò ablata, ibid.
Modeſtia antiquorum Pontificum, 4. 2. 302
Molendina ad Patriarchij Lateranenſis commoditatem conſtructa, 4. 1. 296
Monachorum vſus ab Aegypto, & Syria à quo in occidentalem Eccleſiam deportatus, 2. 1. 90
Monaſterium Honorij Papæ iuxta Lateranum, 3. 13. 240 vbi olim erat ibid. eiuſdem reliquiæ, 2. 1. 92
Monumentum Aloyſii Requeſentij, 1. 7. 37. Antonij de Clauibus Cardin. Portugallienſis, 1. 14. 64. Archipresbyterorum quorundam, 1. 6. 36. Berardi Caraccioli, 1. 15. 67. Bonifacij VIII. 1. 5. 29. Cencij Camerarij. 1. 14. 60 Clementis VIII. 1. 13. 59. Conſtantij Felicis, & Paduſiæ. 1. 4. 15. Conſtanti-
ni

ni in eius arcu. 1. 1. 4. Corcellutæ Familiæ. 1. 15. 65. Dominici de Maximis. 1. 15. 66. Franciſci Card. Barberini. 4. 11. 345. Fuluij Vrſini. 1. 16. 68. Gerardi Blanci Card Parmenſis. 1. 11. 50. Giuliani Com. Cardinalis Mediolanenſis. 1. 15. 66. Guillielmi Pererij Roſæ Auditoris. ibid. S. Helenæ Matris Conſtantini. 1. 14. 60. Helenæ Sabellæ. 1. 15 67. Henrici IV. Galliarum Regis. 1. 17. 71. & 2. 4. 115 S. Innocentij 11. 1. 17. 70. Innocentij X. 1. 19. 87. Ioannis Hieronymi Vainæ: 1. 15. 68. Ioannis Muti de Papazuris. 1. 13. 57. Iſabellæ Sfortiæ Piſaurenſium Domini filiæ. 1. 13. 58. Iulij Sanctorij Cardinalis Sanctæ Seuerinæ 1. 4. 60. Leonis III. Pont. 4. 11. 345. Lucij Saxi Cardinalis. 1. 15. 66. Mellinæ Familiæ. 1. 15. 65. Nicolai IV. 1. 5. 28. Pauli V. 1 16. 69. Pij V. 1 4. 16. Raynutij Cardinalis Farneſij. 1. 15. 65. Riccardi Cardinalis Annibaldenſis, 1. 15. 67. Sergij III. 1. 5. 28. Silueſtri II. 1. 14. 64. Sixti V. 1. 5. 32. Thomæ Aſtallij. 1. 7. 37. Vrſinorum Familiæ. 1. 15. 65.

Monumentum vide Sepulcrum.

Monumenta antiqua dignitatem Eccleſiæ Lateranenſis referentia, 1. 4. & ſequen.

N

Nauis media Eccleſiæ Lateranenſis deſcribitur 1. 7. 37. Tranſuerſa ſiue Crux Eccleſiæ à quibus ornata, 1. 8. 39. picturis Arpinatis, & Ballioni inſignis 40.

Neronis cineres vbi olim erant. 4. 19. 377.

Nomenclator qui, & eius munus, 3. 17. 166. eius opera qui olim vtebantur. ibid.

Nomina varia Eccleſiæ Lateranenſis. 1. 2. 9. & ſeq.

Nortmanni prædones auſi Eccleſiæ Principatum inuadere, 2. 11. 169.

Notarij qui, & eorum munus, 3. 17. 262.
Apoſtolici qui, & eorum officium, 263.
Regionarij qui, 264.

INDEX.

Numeriani Imperatoris odium, & crudelitas in Chriſtianos 4. 19. 370.

Numiſmata antiqua Chriſtianorum Imperatorum inuenta vbi, & à quo, 4. 11. 347: *Indulgentijs inſignita. ibid.*

O

OBeliſcus à Sixto V. erectus, 1. 17. 71.

Oculis & lingua Leo Tertius Summus Pontifex ab impijs sciſmeticis priuatus cum fuiſſet ope diuina reſtituitur 4. 11. 336.

Officia Lateranenſis Baſilicæ, & Palatij, 3. 16. 260.

Palatina quot erant, & quæ, 3. 18. 269.

Oratio Dominicalis tantum alta voce in horis Canonicis recitabatur in Eccleſia Lateranenſe, 1. 2. 11.

Orationes pleræque à ſolis Pontifice, & Cardinalibus in ara maxima celebrãtibus recitabantur: paulatim vero talis mos exoleuit, 1. 2. 11.

Oratorium S. Andreæ, 3. 13. 241.

S. Cæſarei vbi, 4. 13. 349. *ante D. Gregorij tempora extructum, ibid. quid in eo olim geſtum*. 350.

S. Crucis à quo conſtructum, 3. 9. 232. *Eius forma ibid. nihil nunc ſupereſt*, 233.

S. Gregorij vbi, 4. 16. 355. *Eius veſtigia*, 3. 11. 235.

S. Ioannis Baptiſtæ à quo conditum, 3. 7. 225. *eius forma*. 226. *donarijs ampliſſimis ditatum. & quibus: ibid. eius portæ æreæ adhuc integræ*, 225. *Reliquiæ in eo ſeruatæ*, 227.

S. Ioannis Euangeliſtæ à quo ſtructum: & eius ſitus, & forma 3. 8. 229. *à Clemente VIII. reſtauratum*, 230.

S. Laurentij nunc appellatur Sancta Sanctorum, 4. 19. 361. *à quo conditum, ibid. à quibus inſtauratum*, 362. *eius forma, ibid. Capella Pontificum vocabatur*, 363. *in eo tamen Pontifices ob reuerentiam celebrare abſtinent*, 4. 19. 384. *Eius cura quibus demandata*, 4. 19. 363. *Reliquiæ in eo ſeruatæ, ibid.*

S. Laurentij aliud à Sixto V. conditum vbi, 4. 19. 362

S. Mariæ ad fontes idem eſt ac oratorium S. Venantij, 3. 12.

236. *Eius forma, & ſtructura*, 237. *donaria eidem data*. *ibid.*

S. Nicolai in Patriarchio Lateranenſi à quo extructam, 4. 1, 285. *vbi ſituatam verè erat*, 4.12.348

S. Pancratij vbi, 1. 16.68

SS. Ruffinæ, & Secundæ à quo conditum, 3 5.222. *eius forma*, 3. 5. 220. *quid in eo obiri ſolitum*, 3.6.223

S. Sebaſtiani vocatum Baſilica Theodori Papæ, 4. 15. 353. *Quid in eo geſtum*, *ibid. An idem cum Baſilica S. Laurentij*, 354

S. Silueſtri à quo fundatum, 4: 8. 328. *Quid in eo geri conſuetum ibid. vbi nunc*, 329. & 4. 9. 332

S. Stephani à quo conditum, 3. 10. 234. *Situs eius nunc eſt incertus*, *ibid. Idem eſt cum oratorio S. Venantij*, *ibid.*

S. Thomæ vocabatur Pontificum Secretarium, 1. 14. 62. *Quid in eo fieri ſolitum erat*, 63. *Mulieres ab eo arcebantur*, *ibid. Relliquiæ in eo ſeruatæ*, *ibid. Pars eius in fronte Baſilicæ Lateranenſis*, 1. 6. 33

S. Venantij idem eſt, ac oratorium S. Stephani, 3. 10. 234. *Quomodo nunc apellatur*, *ibid. Idem eſt ac oratorium S. Mariæ ad fontes*, 3. 12. 236

Oratoria plura, & Baſilicæ in Laterano extructa de quibus certa notitia non habetur quæ, 4. 18. 357

Organa pulcherrima à Clemente VIII. in Lateranenſe Baſilica conſtructa 1. 8. 40.

P

Palatium nouum Lateranenſe à quo extructum, 4. 20. 385. *Deſcribitur*, 386. & *ſeq.*

Panuinij, & aliorum error à Sigeberto hiſtorico Schiſmatico profectus, 2. 11. 163. & 167

Paracellarij, & eorum munus, 3. 17. 265

Paſchalis II. coactus iurauit ſe Henricum IV. Imperatorem non excommunicaturum &c. 2. 11. 171. *Eius iusiurandam à Concilio*

cilio declaratur inualidum, ibid.

Patriarchales Eccleſiæ, quæ, 1. 3. 11. *pro quinque Patriarchis præcipuis orbis Chriſtiani deſignatæ, ibid.*

Patriarchium Lateranenſe ædificatum à quo, 4. 1. 280. *à quibus aut reparatum, aut auctum*, 283. *à quibus deprædatum*, 4. 2. 297. *à Comite Tuſculano occupatam*, 4. 2. 305. *Solo æquatur à Sixto V.* 1. 6. 33. *Eius nomine quid olim intelligebatur*, 4. 1. 282. *Eiuſdem variæ apud antiquos mentiones*, 4. 1. 281. *& ſeqq.*

S. Pauli Apoſtoli caput in Gallia fuiſſe, commentum impudentiſſimum, 4. 19. 366

Pedum abluendorum ſolemnitas, & ritus, 4. 19. 379

Petræ ſciſſæ in paſſione Domini propè ſcalam Sanctam olim manebant, 4. 10. 333

Petri, & Pauli Apoſt. Capita. Vide Capita SS. Petri &c.

Pharus quid ſit, 2. 3. 102

S. Philippi Nerij veneratio erga Baſilicam Lateranenſem, 2. 13. 202. *Idem Sanctus in obſeſſum à Demone liberat, ibid.*

Picturæ reſtituendæ in Italia quis princeps, 4. 7. 327

Plautius Lateranus occiſus à Nerone in Piſoniana coniuratione, 1. 1. 8

Plutarchi locus vbi Chriſtiani pœnitentis imago deſcribitur, 2. 10. 156

Pœnitentes recipiendi in Eccleſia ritus, 2. 10. 155. *ſeruabatur tantum in Lateranenſe Baſilica*, 156

Pontifices educati in Patriarchio Lateranenſi, qui, 4. 2. 298. *Nuper creati ad ſtercorariam ſedem deducebantur*, 2. 12. 177. *Coronati diſtribuebant pecuniam populo* 179. *Humeris populi Romani ad thronum ferebantur*, 2. 13. 182. *ad poſſeſſionem ſui Epiſcopatus adeundam accedunt ad Lateranenſem Baſilicam*, 1. 4. 23. & 2. 13. 192. *Certis diebus celebrabant in Ara maxima*, 2. 8. 139. *Oracula fidei per totum Orbem ferebant quamuis aduerſis omnibus vexati*, 2. 11 161. 1. 2. 10. *Ibi reſederunt per annos mille* 1. 3. 12. *Scalas ſanctas genibus ſolent conſcendere*, 4. 10. 332. *Sepulti olim in* Eccleſia *Lateranenſe & qui* 1. 18. 73. *& ſeq. Soliti ibidem ſepeliri* 78. *Eis demortuis puluinar*

Fff 2 con-

conficiebatur, & quale, 2.9.150. Eorum electio olim erat res non multi negocij & quare, 2.12.177. Eiſdem celebrantibus in ara maxima quinam aderant, 2.8.137. & ſeq.

Porta maior Eccleſiæ qualis & à quo extructa, 1 17.70

Porta Sancta in porticu Eccleſiæ Lateranenſis anno Iubilæi ſolita aperiri, 1.6.34. & 1.15.67

Portæ e Palatio Pilati ab Hieroſolymis Romam tranſuectæ, 4.6.326. vbi olim, & vbi nunc ſeruatæ, ibid.

Porticus Lateranenſis à quo conſtructa, 4.5.323. deſcribitur, 1.6.34. & 1.17.70. quid in ea gerebatur, 4.5.323

Poſt Tribunam à S. Leone I. extructa deſcribitur, 1.9.43

S. Venantij. vide Oratorium SS. Ruffinæ, & Secundæ.

Prædia à Conſtantino, a Pontificibus, & alijs Eccleſiæ Lateranenſi donata, 2.4.109. & ſeqq.

Præfectus Vrbis in maxima exiſtimatione Romæ habebatur, 2.8.138. Eius indumentum quale, 139

Præputium D. N. I. Chriſti vbi nunc colitur, 4.19.364. ablatum à Sanctis Sanctorum, & eius facinoris hiſtoria, 4 19.364. & ſeqq.

Prætextæ vſus in nobilibus pueris vnde ortus, 2.8.145

Presbyterium quid: quando dabatur, & quale, 4.3.308. In conſecratione Papæ quodnam dabatur. & quibus, 2.12.180 eius conſuetudo quomodo hodiè permaneat, 4.3.315

Primicerij nomen vnde, 3.18.270. Eiuſdem & Secundicerij munus, ibid. & 2.8.139

Primicerius Defenſorum Aduocatis præſidebat, 2.8.139

Protonotarij Apoſtolici de numero participantium vnde originem habuere, & quot ſunt, 3.17.263

Protoſcriniarij qui, & eorum munus, 2.8.139. & 3.18.274

Puellæ ad ſcribendum exercitatæ pro exſcribendis antiquitus libris, 3.14.243

Pulpitum Bonifacij VIII. vbi, & quale, 4.7.327

Qua-

INDEX.

Q

QVadratæ figuræ ratio quid rapræſentat, 4. 11. 340

R

REgis nomen commune Imperatoribus, 4. 11. 343
Rei ob quodcumque crimen ab Eccleſia Lateranenſi extrahi non poterant, 1. 2. 10
Reliquiæ Sanctorum ſub Ara maxima Eccleſiæ Lateranenſis quæ erant, 1. 10. 47
In Oratorio S. Ioannis Baptiſtæ quæ olim ſeruatæ, 3. 7. 277
In Oratorio S. Laurentij, quod Sancta Sanctorum vocatur collocatæ, 4 19. 362. & ſeq. & 369
In Oratorio S. Pancratij, 1. 16. 68
Plures à Pontificibus ex Eccleſia Lateranenſe aliò tranſlatæ, 1. 10. 49
Roberti Guiſcardi ſumma erga Pontificem pietas, 2. 11. 169
Rogerius Siciliæ Rex trabes tranſmittit ad reſtaurandam Eccleſiam Lateranenſem, 1. 5. 28
Roma à Ponte Aelio ad Lateranum vſque incendio, & ruina proſtrata, 2. 11. 170
Romani impiè prætendentes ſibi competere electionem Imperatoris non vero Pontifici, damnati, 2. 11. 168
Ritus conſacrandi ſummi Pontificis in Eccleſia Lateranenſe, 2. 12. 177
Ritus prophani cur ad Chriſtianorum ſacrorum morem accommodati, 2. 8. 144

INDEX.

S

SAcella ad latus ſacrarij quæ 1. 16. 69. & 70
Sacellum vide Altare, & Oratorium.
Sacellarius qui & eius munus, 2. 8. 139. & 3. 18. 273. Idem ac Fiſcalis, ibid.
Sacrarium vetus, ac nouum, 1. 16. 68. Præcipua quæ in eo aſſeruantur, 69
Sancta Sanctorum ab incendio Eccleſiæ Lateranenſis immunia, 1. 5. 30. Vide Oratorium S. Laurentij.
Sarraceni ſæuitiam omnem abſtinent à ſola Eccleſia Lateranenſe, 2. 13. 203
Scalæ Sanctæ quæ, 4. 10. 331. vbi olim & nunc ſeruatæ ſunt, ibid à Pontificibus conſcendi ſolitæ genibus flexis, ibid.
Scalæ aliæ propè Scalam Sanctam, 4. 10. 332
Schiſmata aliquot picturis relata, 4. 1. 285. inter Symmachum & Laurentium, 2. 13. 184. & 4. 4. 318.
Inter Bonifacium & Dioſcorum, 2. 13. 184
Inter S. Damaſum, & Vrſicinum, 2. 13. 182
Inter Bonifacium, & Eulalium, 183
Scipio ſine nomenclatore omnium ciuium nomina pronunciabat, 3. 17 266
Schola Cantorum quid olim eſſet, 3. 6. 224. à quo inſtituta, 3. 17. 261. qui in ea educabantur, ibid.
Scriniarius. Vide Bibliothecarius.
Secundicerius qui, & eius officium, 3. 18. 273
Sepulcrum Agapiti P. II. 1. 18. 74. Agnetis Imperatricis, 2 13 199. Alberti de Albertis Cardinalis, 1. 14. 62. Alexandri II. & III. 1. 18. 75 Anaſtaſii IV. 1. 18. 77. Aſdrubalis Capranicæ, 3. 12. 239. Bonifacij VIII. 1. 18 78. Calliſti II. 1. 18. 74. Clemẽtis III. 77. Cæleſtini II. & III. 74. S. Helenæ Auguſtæ, 1. 13. 58 Hieronymi Garimberti hiſtorici, 1. 14. 62. Honorij II. 1. 18. 74. Innocentij II. 1. 18. 74. & V. 78. Ioannis X, XII, & XIV. 1. 18.

1. 18. 73. & ſeqq. Lauræ Tomacellæ Philippi Columnæ vxoris, 1. 13. 58. Laurentij Vallæ, 1. 13. 57. Leonis V. 1. 18. 73. Lucij II. ibid. Mariæ Honorij Imper. vxoris, 2. 8. 145. Martini V. 1. 18. 77. Neronis Imp. 4. 19. 377. Paſchalis II. 1. 18. 74. Petri Cardinalis de Piperno, 1. 14. 62. Rualdi Placentini, 3. 12. 239. Riccardini Alidoſii Vrbis Senatoris, 1. 14. 62. Sergij III. & IV., 1. 18. 74. Silueſtri II. 75

Sepulcrum vide Monumentum.

Signa Vgonottis victis erepta, à Pio V. in Eccleſia Lateranenſe appenſa, 1. 4. 16

S. Simeon Armenus orans accuſatur pro Manichæo, deinde recognoſcitur, 2. 13. 198. Eiuſdem miraculum, ibid.

Simulacrum Henrici IV. Galliæ Regis, 1. 17. 71

Solis radius miraculosè veſtem ſacerdotalem D. Adhelmi ſuſtentat, 2. 13. 197

Somnium Innocentij III. de Eccleſia Lateranenſe, 1. 4. 22

Stationes quid propriè eſſent, 2. 9. 150. & ſeq.

Antiquæ, & recentes Eccleſiæ Lateranenſis, 2. 9. 149. ad eas eundi ordo, ibid.

In Laterano quibus diebus ſint, 2. 9. 153. pleræque aut aliò translatæ, aut penitus exoletæ, 154

Statua Marci Aurelij Imp. vbi olim, & à quo in Capitolium translata, 4. 7. 327

Statuæ argenteæ Petri, & Pauli Apoſtolorum à quo conſtructæ, 1. 10. 45. gemmis à Carolo V. Galliæ Rege donatis ornatæ, 1. 10. 46

Stercoraria ſedes vbi olim, & nunc, 1. 6. 36 & 2. 12. 178

Subdiaconi ſeptem creati ad colligenda acta Sanctorum Martyrum, 3. 17. 263

Supplicationes quando fieri ſolitæ, 4. 19. 376

Symbolum à Pontificibus ſibi eligi ſolitum, 4. 11. 339

Synodus vide concilium.

Ta-

INDEX.

T

TAbula Aenea decreti, quo S. P. Q. R. Veſpaſiano Aug. abſenti Imperium confirmauit à quo inuenta, & vbi, 1. 13. 57.

Marmorea repræſentans menſuram corporis Chriſti D. N. 1. 14. 62. & 4. 6. 326

Porphyretica in qua veſtimenta Domini diuiſa fuerunt, 1. 15. 67

Tarquinius Priſcus ob res fortiter geſtas bulla aurea, & prætexta donatus, 2. 8. 144

Templum S. Mariæ de Populo extructum à quo, 4. 19. 378. ab Alexandro VII. renouatum, ibid.

Nemeſis Aere conſtructum erat, 1. 10. 45. Eius fores in Templo Pantheon, & in Choro Canonicorum Lateranenſium ſpectabantur, ibid.

Theodorici Hæretici Regis notabilis obedientia erga decretum concilij 4. 4. 320

Theſaurarius, vide Arcarius.

Thymiamateria quid, 2. 3. 102

Tituli Cardinalium S. Crucis in Hieruſalem & S. Mariæ Nouæ dabantur Canonicis Lateranenſibus, 2. 7. 126

Tributum balſami ſolitum dari Eccleſiæ Lateranenſi à quo, & in quid commutatum, 1. 10. 44

Triclinium Leonianum quod, & vbi conſtructum, 4. 11. 334. à quo fundatum, & reſtauratum, ibid. eius forma, & varia nomina, ibid. quid in eo agi ſolitum, 335. & 345

Zaccariæ tabulis Geographicis depictum, quare, 4. 9. 330

Turres Eccleſiæ Lateranenſis, 1. 17. 71

Tuſculani Comitis ſacrilega Impietas, 1. 18. 76. & 4. 2. 303

Valen-

INDEX.

V

VAlentiniani Auguſti liberalitas, 2. 3. 102
Vandali ſæuitiam omnem abſtinent ab vna Eccleſia Latera-teranenſe, 2. 13. 203.
Vaticana Baſilica incenditur à Friderico Aenobarbo, 4. 2. 306.
Veſtiarius qui, & eius munus, 3. 17. 264.
Veſtiarium vbi, & quid in eo agebatur, 4. 12. 348.
Vicarij Pontificum abſentibus eis conſtituebantur in Laterano, 1. 4. 21.
Vicecancellarij munus quando à munere Bibliothecarij diſtinctum, 3. 16. 258.
Vicedominium quodnam, 4. 18. 359.

Primus numerus ſignificat paginam. Secundus lineam eiuſdem paginæ.

Errata ſic emendentur.

1 16 iuſſerit. Solerter - iuſſerit, ſolerter 8 27 *in Neronis coniuratione* - in Neronis coniurationem 9 1 repoſi-
tum - ſepoſitum 10 12 ſipurijs - ſiparijs 11 23 condiderant condiderant, delegére, 25 fuerunt-fueruntque
13 17 deinceps-deinceps; 32 dicimus-diximus 14 25 extollendas extollenda 25 20 manuſcripta hiſtoria
de-manuſcripta de 27 20 clade-clades 30 36 hac Eccleſia-hanc Eccleſiam. 31 5 Baſilicæ-Baſilica 37 23
Requeſenio-Requeſentio 41 14 Calchidica-Chalcidica 31 Calchidicæ-Chalcidicæ 42 31 *Domini-Domine*
45 36 pondere-ponderis 46 24 Ioauuis-Ioannis 51 14 *qu m-quæ* 54 8 calchidica-Chalcidica 55 8 Calchi-
dicam-Chalcidicam 65 5 ſanſti-Sancti 68 4 Calchidicæ-Chalcid cæ 69 5 præbere-præbet 71 31 *innictiſsima*
inuictiſsima 75 7 quum-quem 30 *ſemit - ſumit* 76 36 *Eccleſia-Eccleſiam* 81 7 oblatus-oblatus ad 82 38
adſpectus-adſpectu 85 14 reductis, à - reducis à 24 diſceſſumque videri ea - diſceſſumque ea 38 Epiſti-
lium-periſtilium 94 7 ſuut-ſunt 21 Canonico-Canonicos 99 24 S. Clementi-S. Clementis 103 25 Chy-
ſoclauo-Cryſoclauo 34 Ctiſoclauo-Cryſoclauo 114 30 Palneariæ-Balneariæ 117 3 *aut-aut* 123 in tit. La-
teranenſe-Lateranenſis 125 17 Garmania-Germania 24 Propontiois-Propontidis 128 17 Lateranenſe-La-
teranenſem 129 31 piaculiares-piaculares 131 12 *autidora-antidora* 26 *ooligere-coligere* 134 31 efflicta-af-
flicta 136 vlt. Oſtienſi-Oſtienſis 142 11 *Domona-Domino* 143 33 ttito-trito 37 ſalutatem-ſalutarem 154
19 ſnnt-ſunt 156 28 recepit-recipi 157 9 à deinde-deindè 158 3 ſynodus-ſynodi 159 16 Sophronico - So-
phronio 24 dininæ-diuinæ 160 26 ibelli-libelli 165 26 robori-roboris 35 eius-ius 169 22 in qua
in quam 170 19 plerosque-& plerosque 171 38 præſtaſſet-præſtitiſſet 172 34 inſuperſunt - inſuper ſunt 173
15 reddira-reddita 180 vlt. confidens-conſidens 192 19 capite, capite in quo 20 erat, in quo-erat
23 & etiam - etiam 29 diuerſa - diſerta vlt. audiſſe - accidiſſe 194 17 iniunctus inuuctus 198 18
exiuit-exciuit. 26 Simonis-Simeonis 37 memorem. - memorem? 199 31 ſpeciæ-ſpecie 200 4 eggreſſu
eggreſſum 20 diſplomate-diplomate 210 14 rerum-verum 30 *vita-vitæ* 214 11 antique-antiqui 216
32 ibro-libro 218 19 agamine-agmine 220 8 conſeri-cenſeri 19 elegentia-elegantia 221 12 cœtera cæ-
tera 223 8 quamque-quemque 226 5 porphyreticis? - porphyreticis 8 munuò-muſiuo 232 10 Zephoro-Zo-
phoro 22 lapidia-lapidea 233 19 *fundentem - fundente* 237 13 interiore-interiorem 15 eſt eſt - eſt 242
8 *Meyſen-Moyſen* 247 vlt. alienatum-alienum 263 1 *admittatur - admittitur* 13 *prefecta - perfecta* 267 1
aput-apud 33 Conſiſterio-Conſiſtorio 276 15 *fœcondaue - fœcundaue* 278 28 perpectus - perpeſſus 279 2
Longobardum Longobardorum 9 catulam-caſulam, 10 tuniam-tunicam 12 habebat - habebant 285
22 Saluatorit-Saluatoris 295 9 minor-minore 10 Antiſtum-Antiſtitum 18 ſtrepcuque-ſtrepituque 327
10 Ciamboti - Cimabouis 12 Itatia-Italia 13 Totti-Iotti 333 8 arce areæ 10 eſſecuturi-exequuturi 339
9 deineps-deinceps 15 Carateribus - Characteribus 343 8 emblemmatibus-emblemmatis 346 20 *Magi-*
ſtrato - Magiſtro 354 19 Baſilida-Baſilica 364 22 Barboniana-Borboniana 382 5 pro vnum marabottinum nu-
ciatione 1. marabottin. - pro nunciatione vnum marabotinum.

REGESTVM.

¶ §§ Sunt Duerniones.
§§§ Sunt Terniones.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ
Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff

Omnes ſunt Duerniones; ſed Fff Sunt terniones.

R O M AE,

Ex Typographia Ignatij de Lazaris,

M. DC. LVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

1355-671